


Apologia pro Confessio in Belgio Remonstrai


XXVII

REMONST

Apolog:

7

II 6 381










XXXIV
REMONSTR
Apolog



APOLOGIA
PRO
CONFESSIONE
SIVE
DECLARATIONE
Sententiæ eorum,

Qui in Fœderato Belgio vocantur REMONSTRANTES, ſuper præcipuis Articulis Religionis Chriſtianæ.

Contra

CENSVRAM

Quatuor PROFESSORVM LEIDENSIVM.


Inſcripta Nobilibus, prudentibus ac potentibus D. D. Deputatis & Conſiliariis Ordinum Hollandiæ & Weſt-Friſiæ.







Impreſſa Anno Domini cIↄ Iↄc xxx.



NOBILIBVS,

Prudentibus & Potentibus Dominis

D. D. DEPVTATIS.

ET

CONSILIARIIS ORDINVM

Hollandiæ & West-Frisiæ.

NObiles prudentes ac potentes Domini,

Apologia hæc Remonstrantium, pro divina veritate, vestra autoritate & ipsorum innocentia est. Ignoscite si eam inscribant angusto nomini vestro. Nulla temeritate id fit, sed partim necessitate, partim exemplo: Necessitatem iis imposuit Theologorum vestrorum labor, qui simplicem atque innoxiam eorum Declarationem, ante annos aliquot editam, tot atrocibus criminationibus & suspicionibus onerarunt, ut tutam esse non posse credant in Repub. vestra innocentiam suam, nisi apud vos justa responsione eas diluãt. Exemplo, quia præiverunt Theologi vestri, & censuram suam vobis inscripserunt, quibus fidei & causæ suæ innocentiam Remonstrantes quam maxime probari cupiunt ac desiderant. Sequuntur actores suos ex lege & ritu gentium pene omnium, nec exceptione fori utuntur. Enimvero ea est veritatis & innocentiæ fiducia, ut nullum forum, nullum tribunal reformidet, ubi alteram partem non audire religio est. Secura est apud omnem judicem, qui sine gratia, sine offensa ambigua causarum fata dirimit, nec difficile credit eum, licet accusationibus præventum, nuda causæ suæ & innocentiæ ostensione in subsellium suum trahere. Ea vero etiam est Reipub. Vestræ supra alias non paucas gloria, ut alteri parti aurum non præbere, nefas esse judicetis, ne causa quidem Religionis excepta. Nempe supremam causarum omnium cognitionem ad istud auditorium & tribunal pertinere creditis, cui summa Reipub. cura & populi suprema salus concredita est. Sola itaque æqui-

tatis Vestræ & causæ suæ fiducia freti Remonstrantes, supplices se advolvunt genibus vestris, & ut causam eorum ex æquo & bono cognoscatis, obnixe postulant.

Ne vero vos N. N. D. D. quos hoc tempore gravissimis de summa Reipub. curis ac negotiis occupatos esse non ignorant, prægrandi hac Apologia remorentur, paucis, si placet, accipite, quæ in ea pluribus disceptantur, ut uno quasi oculi ictu omnia habeatis perspectissima.

Summa accusationis duobus fere capitibus continetur. Primum spectat Declarationem ipsam. Alterum eos, quorum nomine Declaratio edita est. Declarationem Theologi vestri errores nec paucos nec leves continere asserunt, quos vel Pelagio vel Semipelagianis aut Massiliensibus, vel Socino acceptos ferendos esse ajunt, Declaratores vero schismatis ac secessionis nuper natæ autores faciunt ac fomites. Vitam eorum, quæ, cœlo ipso teste, sine labe, sine macula fuit, aperte non traducunt, sed subinde hic illic veluti in transcursu admordent, usque adeo tamen inverecunde, ut quod mens vel cogitare horret, eos in suspicionem læsæ Majestatis aut perduellionis vocare per intervalla non dubitent. Ita enim fere fit. Quorum ingenium errare creditur, eorum pietas in dubium vocatur, perinde ac si errorum scelerumque necessaria sit cognatio, & adeo individuo nexu cohæreant Error atque Impietas, ut errorum reprehensio justam criminum omnium suspicionem post se trahat.

Summa responsionis est. Primo, errores quod attinet. Nec ad justam probationem, quod sententia aliqua erronea sit, sufficere, si hunc aut illum damnati vel exosi nominis autorem habeat; nec, si id omnino sufficere creditur, justam causam esse, cur Declaratio Remonstrantium damnatis aut exosis istis, quos ajunt, autoribus accepta sit ferenda. Ad justam probationem autoritas humana non sufficit, nisi in consistorio Pontificio. Nec satis est damnatam olim sententiam esse, nisi damnandã eam aut jure ac rite damnatã esse constet. In foro conscientiæ & Christi auditorio nõ alia constant argumenta, quã quæ suppeditat aut Scriptura aut recta ratio: Cætera, etsi pondus suũ habeant, tanti tamen non sunt, ut

propter-

propterea recte aut secus sentire quisquam judicandus sit. Quare nec pro dignitate sua nec pro causæ suæ merito egerunt Theologi vestri, cum id unum potissimum operam dederunt, ut Declarationem Remonstrantium, non tam erroris convincerent, quam similitudinis cum iis, quos errasse olim Antiquitas & nunc errare communis credit opinio. Hoc eorum est, qui cum causæ suæ diffidant, adversarios suos speciosis autoritatibus malunt obruere, quam rationibus conscientias eorum convincere.

Sed nec caussa ulla est, cur Declaratio Remonstrantium autoribus istis, quos volunt, accepta ferri debeat. Etenim quæ de prævenientis gratiæ necessitate non uno in loco statuit, ea toto cœlo distare à Pelagio & Massiliensibus seu Semipelagianis, nemo dubitare potest, nisi qui profunda Pelagianæ historiæ ignorantia laborat. Socini propria placita quã longe dissita sint à Remonstrantium sententia, tria fidẽ faciunt. Primum, quod ipsi hi Theologi vestri, eos in Articulis de Trinitate, Deitate Filii, ac Spiritus S. de Satisfactione, aliisque *secum sentire* fateantur, *Si modo quod Verbis testantur animo sentiunt.* Imo ea affirmare, *Quæ in justam reprehensionem non incurrunt & cum fidei analogia quadrant.* Deinde, quod eos non modo in pluribus quam professi antea fuerant, recedere asserant ab Ecclesiis Reformatis, verum etiam in *Fundamentali Reformationis Articulo*, puta de *Iustificatione, Socino se socios præstare, ita ut Socino propriores quam Ecclesiæ Reformatæ* videri *possint.* Cætera itaque omnia Reformationis fundamenta sarta tecta manere volunt apud Remonstrantes, quæ à Socino convelli credunt. Quare si in eo ipso de *Iustificatione* Articulo, Reformatarum Ecclesiarum sententiam tuentur, quid restat aliud quam ut, vel Theologis vestris judicibus, orthodoxi censeantur? Id autem tam clare à se demonstratum credunt in capite Apologiæ hujus undecimo, ut non dubitent, quin suffragaturi sint omnes, quorum non interest ut contrarium verum esse credatur. Denique, quod nusquam aperte, nusquam directe ullam seu veterem seu novam hæresin Declarationi impingant. A capite ad calcem Censuræ, non occurrunt nisi leves conjecturæ, hariolationes, consequentiarum & suspi-

cionum inania, quæ circa phrases, circumstantias, aliaque ad principalem causam non facientia versantur, ex quibus tandem operoso molimine aliud nihil extorquent, quam suum illud millies pene in tota Censura inculcatum, VIDETVR. Ex his æstimare potestis N. N. D. D. an justam ullam causam habuerint Theologi Leydenses, cur Declarationem Remonstrantiũ odiosis atq; invisis istis nominibus infamaverint.

Neque tamen diffitentur aut dissimulant Remonstrantes, se in Declaratione sua non pauca silentio præteriisse, quæ in Scholis & Academiis operoso conamine & magno spiritu disceptari solent. Silentii hujus sui causam passim in hac Apologia sua ingenue exponunt. Nimirum iis libenter accedunt, qui intra necessaria rigide consistentes, in cæteris veniam dare & petere vicissim amant. Reciproca ista commiseratione & benevolentia mutua pacem & concordiam inter dissentientes redimi ac constare posse existimant. Multa esse credunt quæ condonari humanæ imbecillitati possunt ac debent, quæ nec ignorata saluti cujusquam mortalium officiunt, nec male intellecta animorum concordiam turbant. Multa periculose disceptantur, difficillime intelliguntur & vix sine hæsitatione creduntur. Sectas illas oderunt, in quibus omnia pene licent, præterquam dissentire; quæ in summis fidei capitibus consentientes, ex rituum atque opinionum dissidiis in factiones aguntur, & ob non necessaria ad salutem dogmata cælum & inferos sibi invicem superbis denunciationibus decernunt.

Atque hinc facile colligitis N. N. D. D. necesse non esse, ut multis à se amoliantur schismatis crimen, quod *Eorum opera & artibus* in Repub. vestra procuratum esse & indies adhuc foveri passim asserere non erubescunt. Obtestantur vos ipsos N. N. D. D. si unquam tanto crimini causam præbuerint. Archiva vestra pro ipsis loquuntur. Habetis libellos eorum supplices, alios ex aliis, qui pene aliud nihil quam mutuæ in non necessariis dogmatis tolerantiæ consilia continent. Possuntne jure merito schismatis rei agi apud vos ii, quibus tam salutare contra schisma consilium placuit? Et ne quid dubitetis, in ea mente ac sententia perstant adhuc, parati tanti boni causa aptare se dissentientiũ

omnium

omnium infirmitatibus, & ad ultimos usque caritatis Christianæ terminos, patientiam & æquitatem ac moderationem suam extendere. Nec dubitant quin hæc una sit Panacæa illa, quæ medendis omnibus non patriæ tantum suæ, sed totius Christiani orbis schismatis sufficit. Sed proh dolor! eo usque processit plerorumque longissime ab aliis dissentiendi & discedendi libido, ut jam Ecclesia Christi nec mala sua nec malorum suorum remedia ferre possit. Et vos nostis N. N. D. D. eos, qui crimen hoc Remonstrantibus objiciunt, hactenus isti eorum consilio, voto ac conatui summa animi contentione obstitisse, & etiamnum velis remisque obniti, tanto zelo, ut qui inter eos vel leviter tantum significant se ab isto consilio non abhorrere, pene capital admittere censeantur, & ab iis refugiatur, tanquam si bidental aliquod calcassent aut Reformationi bellum indicerent.

Majestatis crimen atrocius est, quam ut per suspicionem ingeri debeat, Ab eo se operose purgare est pene crimen agnoscere. Si ejus rei sunt Remonstrantes, causam non dicunt, sæviat in eos ira Vestra ad extremum usque, tanquã in perduelles & patriæ hostes. Sin insontes sunt, cogitate, quantum crimen sit eorum, qui eo innocentes gravant, ut adflictis adflictionem addant.

Hæc summa est Apologiæ hujus N. N. D. D. quam vobis Remonstrantes offerunt & dedicant, non sponte sua, (utinam id liceret!) sed provocati, sed lacessiti, sed protracti ad tribunal vestrum; nec alio animo, quam ut vobis suam & Ecclesiarum suarum fidem atque innocentiam probent, & id à vobis si possunt impetrent, ut, si eos favore vestro dignari nondum potestis, saltem eos favore vestro non indignos esse intelligatis. Optassent se hoc tam molesto labore defungi potuisse, sed per Censores vestros id non licuit. Digladiationes & certamina de non necessariis aut non valde utilibus ad salutem dogmatis ex animo aversantur: Theologia eorum practica est, quæ in morum reformatione totiusque adeo vitæ ad præscriptum Iesu Christi correctione & directione posita est, quæ vix constare potest inter acria ista dissidentium ac certantium studia. Difficile est clavum animi recta tenere in tam turbido

mari,

mari, ut non fluctibus contentionum aut abripiatur aut obruatur. Sanctimoniæ & caritatis rudentibus opus est, ut Ecclesiæ & cum Ecclesiis Respub. non fluctuent. Hinc arduas, subtiles & elaboratas circa Religionem quæstiones vitant ut scopulos: Ignorare licet, quæ non nisi periculose disputantur. Doctrina pietatis plana, facilis, expedita & rudibus pariter atque eruditis obvia est. Per eam recta itur in coelum. Cætera nec sine labore quæruntur, nec sine periculo creduntur, & plerumque tantis animis agitantur, ut pietatis simul ac caritatis internecionem post se trahant.

Vtinam Deus, Misericordiarum Pater, Rerumpublicarum & Ecclesiarum Rectoribus aliquando spiritum illum mansuetudinis & caritatis indat, ut sublatis partium studiis, de pietate ac pace inter Christianos restituenda, illæsa necessaria veritate, consilia omnia studiaque sua conferant! Nil dubium est, quin multa hominum millia tot malorum, odiorum, schismatum pertæsa, tam sanctum propositum piis votis, suspiriis ac studiis prosequerentur, & frequentes concurrerent ad sublatum concordiæ vexillum.

Istum Spiritum ut vobis etiam, atque universis Fœderati Belgii Rectoribus, potenter suppeditet, cæterisque Vestris pro salute atque incolumitate Reipub. consiliis propitius benedicat, ex animo precantur

Nobil. Prudent. ac potentibus D. D. vestris ad omne obsequium paratissimi

REMONSTRANTES.

PRÆFA-

PRÆFATIO

Ad Reverendos, Clariſſimos, Doctiſſimos Viros, Fratres ac Symmyſtas, pro veritate & bona conſcientia partim proſcriptos, partim incarceratos, partim adflictos oppreſſoſque in Belgio Fœderato.

VT Siſyphus ſaxum ſuum, ita nos argumentum de Prædeſtinatione volvimus ac revolvimus. Recidimus ſemper in eundem lapidem, & veluti æſtu quodam indeſinenter in ſe ipſum reciprocante, fluimus ac refluimus per eundem controverſiæ alveum. Nihil mirum. Suus cuiq; ætati atque homini labor eſt in divinæ veritatis promotione. Vti morbi in corpore, ita ſe habent errores in ſpiritu. Alii magna remedii cura opus non habent: Sponte ſua dilabuntur ac diffluunt, non aliter quam catarrhi. Alii omnem atque imprimis ſolicitam remedii vim reſpuunt: quanto acrius eos attrectas atque urges, tanto atrocius irritantur ac ſerpunt latius gangrænæ inſtar. Alii longa lentaque cura opus habent: Principio non cedunt ullis remediis; hærent non aliter quam ſcabies & impetigo; ſed ſi inſtes, ſi urgeas per intervalla paulatim exhauriuntur ac deficiunt. Hinc varii variorum labores, pro errorum malitia ac pertinacia; Nec defuerunt, qui uni ſoli exſtirpando ætatem atque induſtriam omnem ſuam fruſtra impenderunt.

Hæc jam noſtra Sparta, noſtra provincia eſt. In hac nobis ſtandum & laborandum eſt, ac fortaſſe etiam moriendum. Nec tædere nec pigere nos debet, hujus tam piæ, tam laudabilis, tam egregiæ operæ.

Sunt qui aliter cenſent, & nos identidem, veluti per Satyram, naſo ſuo ſuſpendunt, jubentque ex formula ſua,

miſeros nos eſſe libenter
Quatenus id facimus.

Eſto. Hæc ſacra aliter non conſtant. Etiam per ludibria, per probra atque opprobria maleferiatorum quorundam, divinæ gloriæ, aliorum utilitati, & noſtræ bonæ conſcientiæ litandum eſt.

Sunt alii, quibus farrago diſputationum & altercationum, in ſe ſemper

recurrentium, displicet: Litem totam una vice semel ac simul confectam cuperent. Sed hi mancipia pauci laboris sunt. Nesciunt, quanta sit vis inolitæ opinionis, & quantum possit inveteratum in suam cujusque sectam studium. Error, ubi semel adlibuit & consuetudine longa familiaris esse cœpit, malum est quavis scabie insanabilius. Hydræ instar est: Cervicem unam si amputes, ilico plures repullulant, per quas respirat. Germen intus latet, & præjudicia, affectus, aliaque subito protrudunt. Hinc novus semper labor, & qui, ut ille ait,

redit actus in orbem.

Sunt alii, qui solo litium odio, & puro puto amore ac studio pacis, controversias omnes de Religione videri volunt respuere, nosque, ut litium ac rixarum mancipia, damnant; sed, si paulo propius eos videas, aliud in causa est. Laborem inquirendi in res sacras, utpote rebus suis inutilem, defugiunt, & ignorantiæ simul atque ignaviæ suæ, pii affectus purpuram prætexunt, ne studio utramque affectasse videantur. Docet id vita eorum in rebus mundi hujus negotiosissima simul ac litigiosissima. De stillicidio, de tigno, de cloaca, de osco & obsoleto aliquo vocabulo, de commate, de accentu, de lana caprina, de umbra asini, lis modo incidat, disputaciores mortales, in foris, in compitis, in circulis, in ambonibus non reperias. Crederes eos ad jurgia natos factosque, & in litibus veluti Pyraustas in igne vivere. Solæ res sacræ mortalibus istis non magis curæ sunt & cordi, quam suibus. Susque deque habent, quid quisque de quaque re in divinis credat.

Minimum est, quod scire labora,
De Iove quod sentis.

Frigido huic atque otioso animo suo pacificæ affectionis mantellum circumdant, ut quiete & tranquille vivant, inter certantum ac dissidentium studia. Hæc summa voti illorum est, hoc unum agunt, ut cætera licet negotiosissimi, de solis Religionis controversiis securi vitam hanc transeant, ut pecora. Fruantur equidem voto suo ex animi sui sententia, & cum morientur spei suæ saturi, tropæum animæ suæ statuant, habuerunt mercedem suam.

Sunt alii, & qui ad istos proxime accedunt, qui sciendi quidem recteque sentiendi de rebus divinis studium & libertatem probant, sed professionem dissen-

dissensionis ab eo, quod publice semel receptum est, & veluti in axioma religionis transiit, alto silentio ac profundo dissimulationis arcano tegere, præcipuam rationis ac prudentiæ humanæ partem faciunt. Hisce si recte ac penitus eos perspicias, una eademque cum cæteris meta est, ad quam collineant. Tranquillitati ac securitati tantum suæ student, aliorum hominum curam procul habent, contenti sola sua conscientia; quasi videlicet sapere sit, sibi soli sapere, & foris cum cæteris omnibus desipere: quasi pietatis apex sit scire quid rectum sit, & probare animo, quod ore atque opere ipso damnas. Miserrimi profecto sunt hujusmodi mortales, qui servitutem istam sibi ipsis imperant, & dum intra se cæteros homines rident ut stultos fatuosque, seipsos interim ejusdem stultitiæ professione damnant, & sapientibus ac cordatis omnibus ludibrio propinant. Atque hujusmodi quidem hominum genus non exiguam mundi partem facit. Quotquot supra vulgi & proletariæ turbæ fæcem sapiunt, atque accuratiore judicio pollent, quam ut vanis futilibusque sectarum quarundam de Religione neniis capi se sinant, & interim securitatem ac tranquillitatem rerum suarum supremam vivendi legem sibi ponunt, ii omnes ad hanc turbam pertinent. Omnes hi mortales hunc unum sibi scopum habent propositum, ut sine cruce vivant. Conscientiam suam sibi liberam servant, cætera omnia publico vænalia habent. Domi suæ sapiunt, foris histrioniam exercent cum universo mundo, ut Polypi, referentes semper ejus saxi colorem, cui se applicant, aut lamiarum instar, exemtiles oculos in publico assumentes, quos domi iterum deponunt. Hoc pacto securitatem sibi in hoc seculo parant: Enimvero nemini sola sua conscientia causa unquam crucis fuit. Quare qui cum istis mortalibus commune aliquid sibi esse volunt, iis necesse est, ut Religio Christi aut crux, quæ Religionis Christianæ gloria est, pro deridiculo sit.

Sunt alii, qui studii melioris speciem præ se ferunt: Nempe, qui non tam odio disputationum liberarum dissensionisque publicæ, quam schismatis, aliorumque quæ ex schismate veluti ex perenni fonte fluere solent, malorum, ad pacem & concordiam quovis modo inter dissidentes conciliandum aut schismata averruncandum omnia studia sua, omnemque ingenii sui vim conferre videri volunt. Hisce prætextus paulo melior quam cæteris favet. Pax

enim & concordia, Christianorum insignia sunt, ex quibus eos Dominus ipsorum dignosci vult. Optime suscipi ac geri creditur, quicquid salvis istis auspiciis geritur. Nec injuria sane, ubi pax & concordia animorum voluntatumque pro scopo est. Hæc enim sola est vera illa pax, sine qua cætera omnia ficta, fucata, simulata, ac nil nisi meræ pacis ac concordiæ larvæ sunt. At si propius horum consilia videas, comperies ea longe aliò, quam videntur, tendere, adeoque unam & eandem cum cæteris causam habere. Nimirum, pacem & tranquillitatem cupiunt; non quia rationalis, libera, vera atque ingenua pax est, sed tantum quia pax est & imperturbatus rerum omnium status. Eam quovis pretio redemtam cupiunt, ut sibi cæterisque bene sit ac commode. Unde fit, ut schismatis odio fere in alterum extremum concedant, & Tyrannidem paucorum ac plurium servitutem, pacem publicam vocent; quasi videlicet pax vera, quæ non in corporum aut linguarum, sed in animorum conjunctione sita est, & schismati proprie opponitur in sacris, constare possit, ubi libertas dissentiendi, & libera ac modesta dissensionis professio locum non habent. Atque hic est scopulus, ad quem isti semper impingunt, Libertatem judiciorum animorumque proscriptam cupiunt, ut concordiæ isti locus sit in Ecclesia, in qua vivunt, & quam unicam Dei Ecclesiam ac sponsam esse fortiter sibi persuadent. Quod si veram, si Christianam pacem propositam sibi haberent, utique non tollerent judiciorum libertatem, sine qua vera animorum pax constare nullo modo potest. At eam usque adeo oderunt, ut ad ejus vocem pene nauseent, ac tantum non horreant. Vocant illam pestem animarum, regnorum ac Religionis; certo indicio, eos nihil minus quam veram pacem cupere. Nam quæ, per Deum immortalem, pax, quæ concordia religionis esse potest, quæ aliunde quam ex libera atque incoacta conscientiarum persuasione oritur? Hanc tolle, pacem ac concordiam, veluti Solem, ex medio sustuleris. Pacem veram non facit quovis modo procurata linguarum factorumque unitas, sed ex animo profecta consensio. Consensio non est, quam extorquet vis, aut necessitas imperat. Libertas sola consensionis radix est & scaturigo. Absque illa concordia omnis nil nisi mera servitus est, eruptura aliquando in nervum, nisi vi retineatur. Sic aut hypocrisis, aut innoxius sanguis pacis istius cæ-

mentum

mentum sit ac vinculum. Alio pretio pax ista non constat. ô diram pacem! Atque hinc fit, ut istorum hominum consilia studiaque, ut ut videantur pia ac seria, fere tamen infrugifera sint ac sterilia. Quanto satius tutiusque consulerent orbi Christiano, si judiciorum libertatem, & in media libertate animorum concordiam suaderent, hoc uno saltem nomine carnali ac spuriæ isti paci, sive imperturbato statui anteferendam, quod cum persecutionis & innoxii sanguinis periculo non sit conjuncta. Neque vero incommodum ullum ex libertate ista metuendum est, nedum incommodum, quod tam immani sceleri ac flagitio, directe legibus omnibus I. Christi contrario, æquari meretur: Dissensio sententiarum concordiam non turbabit eo ipso, quia libera erit. Suam enim quisque liberam sibi esse cupit pari jure. Et cum rationibus utrimque nitatur, rationibus ut tollatur necesse est. Si consensionem vi extorquemus ab aliis, ut eam alii à nobis vicissim per vim extorqueant, jus damus. Et, sive ab istis, sive à nobis consensio vi extorqueatur, utique ea non est concordia rationalis, sed irrationalis servitus. Nec Religio laborat, si libera urgeatur consensio; sed contra, si libera non urgetur consensio, aut laborat Religio sub ignorantiæ jugo, aut sub hypocriseos larva latent. Medium non datur. Religio non est religio, quæ à libero animo non proficiscitur. Liber animus non est, ubi aut judicia sunt legi humanæ serviliter adstricta, aut alterius arbitrio per vim obstricta. Deus tum colitur, non quia eum colendum esse animus noster dictat, sed quia colere cogitur. At religio non est, à qua animus aut abest, aut aversus est. Nec à diversitate aut multitudine dissentientium periculum regnis ac Rebuspub. imminet. Commune libertatis privilegium regnorum ac Rerumpub. columen est. Ita censuit, ita statuit melior Antiquitas. Et floruerunt olim hodieque adhuc florent non pauca regna sub auspiciis hujus libertatis. Vnde hæc libertas proscripta est, ibi quot Christianos, totidem videre est aut bruta pecora, aut ingenia alienæ libidini serviliter mancipata: Solum Pontificium atque Hispanum regnum videte, Iumenta ibi sunt, non homines. Quicquid imponitur, id portat vulgus, ut asinus Isidis sacra. Nec magis intelligit, quid sit Religio, quam mulus aut equus; Nec mirum: Cæca obedientia & tantum non stupor ibi encomium est Christiani populi, & bubalorum instar naso circumduci

 in omnem

in omnem partem ad ſuperſtitionem uſque, hoc ibi eſt Chriſtianum eſſe. Ire qua itur, non qua eundum eſt, hoc vulgi gloria eſt, & Chriſtiani obſequii laudem habet ac meritum.

Qui ſupra hos ſapiunt, ii amant quidem judiciorum libertatem & à vi ac ſanguine abhorrent, controverſias tamen omnes averſantur quia per eas ſanctimonia ac pietatis ſtudium labefactari, ac tantum non peſſumdari clamant. Simplicem, carbonariam, ac non contentioſam veritatem amare ſe dicunt, & doctam eſſe ignorantiam, quæ litibus caret ac diſſidiis. Horum ſtudium etſi libens cæteris prætulerim, tamen multum vereor, ut ex eodem cum cæteris fonte originem ducat. Vix enim fieri poſſe videtur, ut qui ſerio veræ pietatis ac ſanctimoniæ ſtudio ducitur, non eas ſaltem controverſias ſolicite excuſſas, ventilatas, trutinatas cupiat, per quas fieri videt, quominus ſtudium pietatis & ſanctimoniæ inter plures vigeat; aut ſi quod viget, quominus iſtud rationale pietatis ſtudium cenſeri debeat. Si ſpinoſas, ſi non neceſſarias, ſi inutiles, ſi noxias controverſias averſarentur ac fugerent, utique cum manifeſta ratione conjunctum foret eorum ſtudium. At cum omnes ſimul uno ore damnant, & neſcio quam ſimplicitatem & doctam ignorantiam affectant; fieri vix poteſt, quin alius affectus in cauſſa ſit, quam prætenditur. Mollities animi ſubeſſe mihi videtur, quam propriæ quietis tranquillitatis atque otii amor de ſe gignit. Nempe moleſtum, grave, laborioſum ac difficile eſt, in arcana iſta controverſiarum deſcendere, errorum atque impietatum, quæ ex erroribus naſcuntur, angulos ac receſſus perreptare, ſtrophas, artes, tricas ac nodos quibus teguntur ac retinentur, detegere, diluere, explicare ac ſolvere. At quis enim aut veritatis piæ ſtudioſum, aut pietatis veræ amatorem cenſuerit, qui veritatem, quæ ſecundum pietatem eſt, arctiſſmis pravarum opinionum compedibus vinctam ſolvere, laborem credit? qui pietatem gementem ſub jugo impiorum errorum, non eripere, non in libertatem adſerere meliorum rationum ope atque auxilio, pietatem putat? Enimvero ſi iſto ſæculo viveremus, quo veritas non laboret ſub profanis erroribus, aut ſub iis non uſque adeo laboret, quin puro puto ſilentio meraque controverſiarum abſtinentia, ut morbi quidam pertinace inedia, liberari poſſet; nemo tam iniquus foret, quin controverſiis omnibus epicedium primo quoque tempore ſcribendum

bendum esse concederet. Sed proh dolor! longe alio seculo vivimus. Hypotheses, præjudicia, errores, affectus pravi simul ac speciosi occuparunt animos mortalium pene omnium. Istos nisi eximas, nisi exstirpes, nisi evellas, frustra pietatem inculcaveris, aut, si quam inculcabis, ea fere erit bruta, & stupidæ affectioni propior, quam obsequio rationali. Sola præjudicia obstabunt. Ea succum omnem seriæ pietatis à radice voluntatis divertent, atque ad se trahent. Hinc tenues & rari pietatis fructus, & plerique fere abortivi erunt. Neque vero generosa aut Deo Christoque ejus digna pietas est, recte pieque vivere, quia ita vivere docemur, & aliter vivendum esse ignoramus, sed idcirco, recte pieque vivere, quia ut ita vivamus, sicuti vivere docemur, rectum ac justum deoque gratum esse solidis rationibus persuasi sumus. Pietas nostra nisi sit rationalis & λογικὴ λατρεία, cadaver est & σκελετὸν, sine nervis, venis, sanguine, medulla, anima, Spiritu. Solida veritatis scientia eam informet necesse est, ut sciamus, quod vere ac jure pii simus, & pii simus, quia scimus quæ sit vera pietas. Quisquis aliter pietatem aut exercet ipse, aut alios docet; is non aliter se ipsum & alios pie vivere docet, quam Psittacum docet humana verba sonare. Atque hinc sunt tot infrugiferæ conciones, tot steriles scriptiones, tot infæcunda multorum pro pietate molimina. Hortamur ad pietatem magnis & pene herculeis nisibus. Orationem comimus non aliter quam cynædi & mangones, ut auditoribus adlibeat. Eloquentiam nescio unde accersimus ut grata sit oratio, fluatque

Monte decurrens velut amnis.

Sed irrito fere semper conatu. Cur? Non docemus solide veritatem, quæ pietatis anima est. Intra nuda Scripturæ loca magno agmine coacervata, intra Scholæ conclusiones, Doctorum, Conciliorum, Patrum sententiolas & flosculos stamus, & postquam ea firmis lateribus expectoravimus, tum vero pulchre & valide veritatem simul ac pietatem docuisse nobis videmur. Affectus deinde scenicos, comicos, tragicos pro occasione miscemus, fingimus, & pro affectibus, verborum ampullas, tonitrua, fulmina. Accendimus, inflammamus, abripimus animos auditorum; sed non hæret ardor. Flamma in stipula est. Fomes deest. Exprimimus affectus, sed non imprimimus. Nimirum veritatem, quam ipsi solide non didicimus, odio controversiarum &

doctæ

doctæ ignorantiæ studio, solide non docemus. Non occurimus præjudiciis, non revellimus radices errorum, non convincimus conscientias. Superficiem rerum lambimus; at in penetralia earum non introimus amotis sipariis velisque larvarum ac præstigiarum, quibus obstruuntur à carne & à Spiritu erroris. Rimæ omnes rimulæque penetrandæ sunt, per quas errori datur aditus in animam. Nisi id fiat, dictum factum effluet quicquid instillabis, non aliter quam aqua per cribrum. Nec juvat, si pietatem ad ravim usque inculces, & nihil pene quam hoc agas aliud. Obruuntur animi, non aliter quam tenellæ stirpes nimia irrigatione. Erudiendi sunt & persuadendi. Semel recte persuasa veritas hæret altius, quam millies inculcata sine solida persuasione pietas.

Neque tamen hæc idcirco à me dicuntur, dilecti Fratres, quasi probem aut sententiam eorum, quibus istud semper in ore est, Quicquid quæritur, optimum est; *aut morem & consuetudinem aliorum, qui pro concione nil nisi disputant cum adversariis, & de ejusmodi fere controversiis, quæ ad pietatem aut omnino nihil faciunt, aut non nisi per decimamtertiã consequentiam ad eam aliquomodo facere posse creduntur. Absit. Hoc foret ex suggestu arenam facere gladiatoriam, & ex Dei Ministris, quos* ἀμάχȣς *esse jubet Apostolus, luctatores ac pugiles. Qui quicquid quæritur, optimum censent, ii semper discunt & nunquam ad veritatis cognitionem perveniunt. Qui de rebus levibus operose disputant ii magno conatu magnas & difficiles nugas agunt. Pietatis est non semper hæsitare: Caritatis; non docere nisi quæ usum habent & fructum. Scio ingenia & dona esse varia. Non omnibus eandem docendi rationem convenire: Alios esse, quorum oratio tota flexanima ac mera quædam suada est: Alios melle consolationum adeo diffluere, ut quicquid aliter agunt, id omne pene affectatum videatur: Aliis inesse aculeum, quo in errores ac vitia fortiter simul ac fæliciter invehuntur, quem nisi adhibeant, tota eorum oratio languet frigetque: Alios esse quorum dictio tota, sive consolentur, sive redarguant, sive corrigant auditores suos, nervosa potius est quam affectuosa; doctrinæ perpetuæ genium ac vim potius in se habens, quam gratiæ aut suadæ medullam: Alios esse, quorum oratio continua quædam hortatio est: Alios, qui ad multa, alios, qui ad omnia simul nati factique videri possunt.*

possunt. Scio hæc ita se habere, sed existimo tamen omnibus hoc unum commune esse debere, ut Veritatem solide doceant. Solide doceri Veritas non potest, nisi controversiæ, per quas labefactatur & convellitur, sic tractentur, ut eas solide à nobis intelligi & cum accurato judicio decidi perspiciat Auditor. Controversias vero non intelligo alias, quam quæ vel necessitatem, vel luculentam aliquam utilitatem habent ad affectiones pietatis vel inserendum, vel excitandum, vel fovendum, vel promovendum, de quibus postea agetur. Hasce solide doceri, & contra errores, exceptiones, sophismata, distinctiones, tanquam impietatis latebras, tibicines, ac fomites adseri ab omnibus in hoc controversiarum diluvio ex animo opto. Cæteræ nauci non sunt. Aut leviter summaque cum moderatione animi tractandæ sunt, aut prorsus à templis, ambonibus, Scholisque relegandæ. Nempe, etiamsi optime intelligantur, nihil tamen nos reddunt meliores, ac non raro etiam deteriores: ut plurimum nos acuunt ad non necessarias pugnas rixasque & tanquam, si salutis cardo in earum recta intelligentia versaretur, ad miraculum usque reddunt pertinaces. Atque hic merito deflendus venit plurimarum Scholarum mos, in quibus ingenia alioquin fælicissima & ad maxima quæque nata non exercentur à primis annis nisi in istarum quæstionum inutili simul ac laboriosa arena, nullo alio fine, quam ut acuantur ad subtiliter adserendum & colore aliquo veri fucandum, quæ in Scholis vera esse supponuntur, aut publica authoritate, ut axiomata omni exceptione majora, credi jubentur, etiamsi falsissima sint, & à recta ratione primisque adeo mentis nostræ notionibus alienissima. Istæ disputationes sunt ingeniorum cruces, bonarum mentium compedes, latebræ superstitionis, veritatis pestes, Tyrannidis nutrices. Memini me, cum in exilio vobiscum vixi, non paucas ejusmodi vidisse & audivisse. Credidisses ingenia quædam Dædaleo artificio ab subtilitatem facta, & quamquam hypothesin manifeste falsam tuebantur, tamen tanta arte atque industria eam adstruere & variarum distinctionum coloribus pingere, ac si totam veri speciem pro se habuissent. Et hæsisses cum iis implicitus implexusque, nisi hypothesin respexisses, quæ totius subtilitatis basis erat. Ea quia laborabat, utpote Scholæ tantum fulta autoritate, facile statim videre erat, cætera, quæ ei inædificabantur, fragilitate ipsa fragiliora esse, & præter fucum ac fumum operosæ subtili-

tatis nihil habere. Nimirum ea est falsitatis indoles; Multis fictionibus ut velis opus habet, ne diluceat: Falsum falsi tegula est, ne hypothesis perpluatur: Hujusmodi disputationes, quæ crudæ sæpe in ambonem protruduntur, deflere merito potest Christianus, tanquam veræ pietatis & caritatis remoras atque obstacula: Nec spes est ut exolescant, nisi Tyrannis desinat, qua hypotheses istæ statuminantur. Si in eas inquirere liceret, repente & illæ & cæteræ ejusdem generis disputationes ad claram veritatem evanescerent, uti nebulæ ad ardorem solis. Sed hoc optare juvat, sperare vix licet.

Vltimo demum loco colloco eos, qui proxime nos tangunt, & rem nostram, qui, videlicet, controversias nostras tanti faciendas non putant, ut propter eas disputationis labor suscipiatur, nedum ut earum causa exilium, carcer, vincula, aliaque mala subeantur: pro utraque parte militare argumenta non levia, difficile judicium esse quæ quibus præponderent. Ac licet pro nostra opinione videantur facere optima aut melioris notæ, contraria tamen tanta veri specie incrustari, ut, qui iis subest error, leviculus videri & humanæ infirmitati condonari debeat. Denique cum isto errore consistere posse pietatem & salutis æternæ spem.

Horum oratio semper mihi visa fuit digna accurato examine. Nihil enim indignius homine nedum Doctore Christiano, quam levibus controversiis divinam veritatem prostituere, caritatem lædere, & pacem Ecclesiarum Dei ac Christi turbare. Quod si inter leves etiam hæ nostræ censeri debeant, utique omnia ea, quæ perpessi hactenus sumus earum causa, nec patientiæ Christianæ laudem, nec bonæ conscientiæ gloriam habent. Quare quæ huic orationi subsit ratio, operæ pretium est expendere.

Certum est controversiarum, quæ hodieque Christianum orbem agitant, alias esse graves, alias leves. Inter graves, aliæ sunt graviores, aliæ gravissimæ: uti inter leves, aliæ leviores, aliæ levissimæ. Graves appello eas omnes, quæ versantur vel circa necessaria vel circa utilia ad salutem dogmata. Necessaria dogmata voco, quæ ex officio nobis in Euangelio Iesu Christi præscripto necessario tenenda ac facienda sunt, ut æternæ salutis participes evadamus; quæ tribus his comprehendo, Fide divinorum promissorum, obedientia

dientia divinorum præceptorum & debita Scripturis, quibus præter promissa ac præcepta, alia omnia divina oracula atque enunciata continentur, reverentia. Vtilia voco, quæ ex natura & proprietate sua, non post alia plura ac certiora, sed primo ac per se serviunt ad excitandum, fovendum & augendum in animis nostris scientiam earum rerum, quæ promissorum fidem, præceptorum obedientiam, debitamque Scripturis reverentiam alere aptæ natæ sunt. Inter graves itaque gravissimæ sunt controversiæ primi generis, quæ circa præcise necessaria versantur. Ad eas proximo gradu accedunt controversiæ secundi generis. Ceteras omnes, quæ non versantur aut circa necessaria, aut circa utilia ad salutem dogmata, appello leves, non quod aut levia tantum tractent, aut non nisi leviter: Sæpenumero enim controversiæ hæ circa maximorum mysteriorum arcana versantur, & acrioribus fere animis ac studiis agitantur, quam quæ sunt circa necessaria aut utilia: Sed quia eas in unam partem decidere, aut magno molimine ac conatu tractare operæ pretium non est. Neque tamen prorsus inutiles eas censeri volo, quasi nullus earum usus sit in polienda aut acuenda mente nostra in rerum divinarum cognitione; sed quod ad dogmatum necessariorum aut utilium inculcationem per se parum aut nihil conferant. Sunt autem eæ duorum generum: Aliæ speculativæ, aliæ practicæ. Speculativas voco eas omnes, quæ in merā mentis speculationem desinunt, sive eæ versentur circa arduas ac sublimes res, sive circa res minus arduas humilesq;, sive speculatio nitatur rationibus certis aut verisimilibus sive hypothesibus, definitionibus & postulatis in Schola aut Ecclesia receptis, sed tamen reipsa dubiis atque incertis. Ad hanc classem etiam refero controversias, quæ circa historias, genealogias, successiones temporū ac vaticiniorum arcana versantur, quorum decisio conjecturis & hariolationibus potius nititur quam justis argumentis. Practicas controversias voco, quæ circa ritus, cæremonias, & consuetudines, quas Agendas vocant, occupantur, quæ videlicet à Deo præcise mandatæ non sunt, & quæ in se non continent aut superstitionem aut actus ejusmodi, qui sine violatione præcepti alicujus divini, vel saltem sine periculo violationis præstari non possunt. Sic enim ad primam classem gravium & quidem gravissimarum controversiarum pertinent.

Ad utram harum duarum nostræ hæ controversiæ referendæ sint, quoties

mecum attente considero (considero autem sæpissime) toties mirari satis non possum sententiam eorum, qui eas in levium adeoque inutilium turbam conjiciendas esse censent. Neque videre unquam potui, qua solida ratione adducti ita statuant. Me quod attinet, Ego ita censeo. Post gravissimas istas, quæ circa præcise necessaria dogmata versantur, controversias, nullam inter cæteras, quæ utiliter agitantur, hac nostra graviorem esse, quæ aut justioribus titulis in quæstionem adducitur, aut utilius expenditur, aut facilius deciditur, aut certius tutiusque defenditur. Controversiæ autem hujus nostræ summa huc redit: An res omnes quæcunque sunt & fiunt, imprimis virtutes ac vitia, à fatali atque inevitabili rerum, actionum, eventuum omnium adeoque salutis ac perditionis æternæ Prædestinatione nominatim facta dependeant? Hoc enim si ita est, tum cætera omnia consequuntur necessario.

Christum non nisi pro paucis nominatim ad vitam æternam electis mortuum esse.

A fidei donatione omnem liberæ nostræ receptionis operam excludi.

Neminem posse plus boni facere quam facit: nec plus mali omittere quam omittit. Nulla peccata saluti sic nominatim electorum obesse posse: Nullas virtutes, nulla bona opera cæteris nominatim perditioni æternæ destinatis ad salutem prodesse posse. Æternā salutem paucioribus serio promitti quam foris offerri, aliaque ejus generis infinita alia. Nullā controversiam justioribus titulis ventilari ab iis, qui alios docent veritatem quæ secundum pietatem est, duo fidem faciunt; Quod hæc controversiarum omnium prima sit, & quod sit universalissima. Prima est, quia absque ea cæteræ omnes de hoc illove Religionis capite controversiæ vanæ, frustraneæ, ac non nisi ludicræ & inanes velitationes sunt. Universalissima est, quia absque ea non modo Christiana, sed omnis in universum Religio nil nisi mera histrionia est. Quæcunque sunt controversiæ, eæ agunt de particulari aliquo dogmate aut ritu ad religionem spectante: Hæc totam atq; universam Religionem spectat. Nam si fatalis necessitas in rebus, actionibus & eventibus omnibus dominatur; Si

Fata regunt orbem ac certa stant omnia lege;

Et

Nec nos obniti contra, nec tendere tantùm
Sufficimus:

Actum

Actum est de Religione tota, conclamatum est de officio nostro, & quæ de singulis capitibus moventur controversiæ, eæ meræ nugæ nugarum sunt. Quid enim attinet de hoc aut illo Religionis capite funem contentionis trahere, si hoc ipsum, quod quisque de unoquoque capite sentit ac credit, ab inevitabili fato est? Et,

Si quoque fatale est, sic ipsum expendere fatum?

Quid sunt controversiæ omnes aliud, quam ludus & jocus? quid Religio nisi fabula in theatro operosa simul ac ludicra? Mandata, jussa, leges, edicta, statuta, quid aliud sunt quam pantomimorum ridicula, fictiones & commenta in proscenio? obedientia, sanctitas, pietas, fides, non sunt nisi inania nomina. Inobedientia, peccatum, culpa, tituli sine re. Promissa, invitationes, blanditiæ, merus fucus, purpurissa, ceroma. Minæ, querelæ, obtestationes, μορμολυκεῖα, *larvæ ac lemures terrendis pueris. Præmia ac pœnæ catastrophe fabulæ ingeniosa simul ac ridicula. Sed & quid est disciplina omnis privata publicaque, sine qua tamen nec Respub. nec civitas, nec domus, nec societas ulla humana constare potest, quid, inquam, est aliud, quam bruta simul ac crudelis carnificina! is qui cædit & qui cæditur, eodem fato aguntur. Nec ille facit, nec hic patitur injuriam, etiamsi nec ille causam habeat, nec hic dederit. Iam vero vos obtestor, Fratres, ecqua controversia justiorem titulum habere potest, quam ea, quæ pro gloria sacrosanctæ Religionis, pro officii nostri Deo hominibusq; debiti necessitate, pro divinarum præceptionum, promissionum, comminationum, præmiorum ac pœnarum justitia & dignitate, pro domesticæ & civilis disciplinæ æquitate, pro totius deniique humanæ societatis incolumitate suscipitur? Comparentur cum his cæterarum omnium utilium controversiarum caussæ, nulla, non dico justior, sed ne paris quidem ponderis ac momenti esse comperietur. Luberet equidem mihi, dilecti Fratres, in apertum hunc campum latius exire, & comparatione facta per omnes Christianorum controversias discurrere, sed maligno admodum sæculo vivimus, & ea vestra est prudentia atque* ἀγχίνοια, *ut id vestro proprio Marte facile possitis colligere, si modo animum judicio liberum adferatis.*

Neque tamen cum hanc nostram controversiam primam omnium & universalissimam facio, id sic accipi volo, quasi negem fieri posse, ut quis de

Prædestinatione perperam sentiat, & idem tamen pie sancteque vivat: Absit: Sed quod is, qui pie vivit, ab ista opinione habeat ut pie vivat, ac non potius ab ea habeat cur pie non vivat, id vero est quod nego. Vbi fatalis necessitas dominatur, ibi pietas non est virtus nostra, sed pura puta Dei actio: ibi virtus non est actus officii nostri, sed merus divinæ virtutis effectus in nobis: ubi vero ista persuasio de virtute & pietate locum habet, ibi studium pietatis ut langueat frigeatque necesse est. Recte Suetonius de Tiberio scripsit, Circa Deos negligentior erat, quippe addictus Mathematicæ, persuasionisque plenus omnia fato agi. *Itaque nec impius ab hac opinione habet, ut pius esse velit, nec pius, ut nolit esse impius, imo ab ea & ille habet, cur aut pius fieri nolit, aut ut pius sit non laboret, & hic, cur aut impius esse nolit, aut ut impius non fiat non laboret. Iustissima itaque, si ulla alia, hæc à nobis controversia mota atque agitata videri debet.*

Ex hoc jam non obscure colligitur, quanto utilior cæteris omnibus hæc nostra sit controversia. Vtilitatem controversiarum æstimo ex intrinseca earum vi & proprietate, quam habent ad promovendum pietatem. At cæteras omnes controversias, si placet, expendite. In quibusdam utilitas non adeo insignis est, nec inesse creditur ad pietatis promotionem: Præcipuam partem speculativæ esse creduntur, & revera intra nudam speculationem fere consistunt. In quibusdam major videtur inesse utilitas, quam revera inest. Majestas earum major est, quam utilitas. In multis quæ inest utilitas, ea ex aliis prioribus, certioribusque fontibus hauritur, & per se obvia est. In aliis si qua est utilitas, ea vix apparet, ac non nisi per longas & operosas consequentias velut per trochleas ex iis educitur. At hujus nostræ controversiæ utilitas, ad acuendum in nobis pietatem, latissima est & in aperto posita. Nemo eam non videt, nemo non palpat, præjudicium modo absit & affectus. Quid enim clarius, quid apertius, quam quos fatalitatis opinio apta nata est eximere mortalium animis stimulos ad pietatem, eos libertatis veræ patrocinium subdere? Si liber es, debes ac potes bona ac bene agere. Si non bene agis, jure puniris. Si bene agis, jure præmio adficeris. Tam certa hæc est veritas, ut nec Doctorum Schola, nec indoctorum turba dissentiat. Nec obedientiæ laudem, nec inobedientiæ labem habet, quicquid aliter fieri non potuit. Qui non potest non

facere

facere quæ facit, etiamſi rectiſſima faciat, indignus eſt præmio. Qui non poteſt non facere quæ facit, etiamſi peſſima faciat, indignus eſt ſupplicio. Superfluus labor eſt, ut recte olim ſanctiſſimi Galliæ Epiſcopi Auguſtino opponebant, ſi neque rejectus ulla induſtria poteſt intrare, neque electus ulla negligentia poteſt excidere. Quoquo enim modo ſe egerint, non poteſt aliud erga eos, quā Deus definivit, accidere, & ſub incerta ſpe curſus non poteſt eſſe conſtans, cū, ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit annitentis intentio. *Poſſem utilitatem hanc per totam humanam vitam latiſſime extendere: Sed id non eſt neceſſe in re per ſe clariſſima.*

Ex hoc jam fluit tertium; Faciliorem hujus noſtræ, quam ullius pene alterius controverſiæ deciſionem eſſe. Experimentum capiatur. Nulla controverſia citius, indubitatius, univerſalius, conſtantius deciditur, ſi modo paulum à Sophiſtarum quorundam Scholis abeas. Totum genus humanum teſtor. Vox vulgi, vox populorum, vox mortalium pene omnium eſt: Vbi libertas non eſt, ibi nec præmium nec pœna eſt. Natura hoc axioma ſuggerrit, ut primam notionem. Argumentis opus non eſt, ut iſtud capiat cerdo, tyro, infans pene dixerim. Ex terminis ſuis liquet. Conſcientia quemque ſua de ejus veritate convincit. Praxis hominum, familiarum, Rerumpubl. Regnorum, denique mundi totius ubique ei ſuffragatur. Qui reclamant, ii oppido ſunt pauci, nec alii, quam quos vel Scholarum præjudicia faſcinarunt, vel vitæ impietas in ſenſum egit reprobum, Scurræ, nebulones, athei, qui cauterio iſto fati opus habent, quo conſcientias ſuas inurant, ut ſine remorſu peccent, & fortiter in ganeis luſtriſque, aut, ut ille ait, clam & in ſcrobe virtutem omnem ejurent, quorum illud carmen eſt:

Solvite mortales, animos, curiſque levate,
Totque ſupervacuis animum deplete querelis.
Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege.

Præter hos ſi qui alii ſunt, ii aut ipſi parum recte ſapiunt, aut aliorum exemplo deſipiunt. Ratio manifeſta eſt. Simulatque præceptionum, prohibitionum, promiſſionum, comminationum, præmiorum, pœnarum vel ſolæ audiuntur voces, vim ſibi faciat homo neceſſe eſt, ut credat cum iſtis fatalem neceſſitatem poſſe conſiſtere. Ingenioſa quidem eſt humana induſtria ad fabricandum

candum fictiones, quibus sibi ipsi aliisque fucum faciat, quin & maligna sæpe, ut quod vehementer vult atque amat, fortiter sibi verum esse persuadeat; sed ut hanc tam claram atque evidentem notionem animo aut suo aut alieno extorqueat, fieri non potest. Simulatque ad se redit, sentit se in Euripo difficultatum & absurditatum versari, adeo ut velit nolit se sibi ipsi aliisque imponere intelligat, nisi animum obstinet ac frontem. Atque hinc est, quod ii, qui fatalem rerum omnium necessitatem propugnant, & libertatem voluntatis aut prorsus negant, aut meram spontaneitatem cum judicio conjunctam, ad eam credunt sufficere; ex præceptis omnibus Euangelicis promissa faciant respectu electorum, aut si id non audent, nulla in re magis laborent ac sudent, quam ut istam necessitatem cum præceptis, comminationibus, præmiis ac pœnis concilient. Distinctionum, respectuum montes accumulant, non ut doceant te, sed ut obruant. Proteos eos diceres, qui in omnes formas se vertunt distinctionum veneficio. Nescis ubi sint, quo tendant, ubi consistant. Eadem est ratio cæterarum controversiarum; Nulla est, pro qua ratio recta manifestius militat. Comparatio fiat & res elucescet. Controversia est inter Pontificios & Reformatos de Iudice Controversiarum. An, videlicet, præter Scripturam judex aliquis loquens sit in Ecclesia, qui controversias omnes decidat autoritate irrefragabili? Plana & facilis videtur hujus controversiæ decisio, si modo præjudicia ponantur, & animus judicio affectuque liber ad eam dijudicandam adferatur. De Scriptura constat, eam primitus scriptam ac traditam esse simplicibus, rudibus ac vulgaribus hominibus, eo fine, ut ex ea viam salutis æternæ peterent ac discerent: Eam continere sensus omnes necessarios ad salutem pars utraque fatetur: Iudicem perpetuo loquentem in ea nominatim non designari certum est. Ex quibus quam facile hæc controversia possit decidi, nemo non intelligit. Attamen hæc tam plana, tam facilis controversia, tot tantisque difficultatum nodis implicita est ab iis, quorum interfuit ut pars plana non crederetur vera esse, ut jam involutissima, difficillima, ac pene inextricabilis videatur. Si Scriptura dicatur esse norma illa judiciaria, de ipsius Scripturæ autoritate comprobanda lis movetur. Et species additur; Et species additur; Nemo legitimus judex in propria sua causa est. Contra: Si Ecclesia in Concilio congregata, aut Pontifex, aut cum Pontifice major minorve Concilii pars statuatur

tuatur judex iste loquens, eadē lis movetur de autoritate Concilii aut Pontificis. Et eadem species liti datur. Nemo judex in propria sua causa est. Ita Pontifex suopte argumento jugulatur. Attamen præcipitium hîc est, in quo fere consistunt ingenia, & controversia æternum suspensa hæret. Ab hoc enim si divertas ad alia argumenta, in distinctionum, cavillationum, exceptionum vortices ac gurgites pene inexhaustos delaberis. Neque tollit difficultates Calvinista, quando judicem istum facit Spiritum S. intus in cordibus electorum, quos vocat, loquentem; sed eas multo magis auget: quin imo omnibus simul sectis pallium dat, quo absurdissima quæque placita ac commenta sua, tanquam Spiritus istius dictata, tegant, atque ita litem æternam & immortalem facit: Quisque quamlibet litē decidet, prout volet, pari jure. Spiritus solus ac semper decisionem istam fecerit, nec finis erit: Ita quod volent, Sabini somniabunt, & quicquid somniaverint, oraculum erit Spiritus S. & Sibyllæ folium. Sed neque via exeundi ex hac tam intricata controversia apparet, nisi piis & veritatis studiosis, qui exuti affectibus facile videre possunt hanc controversiam studio involvi ab iis, quorum interest ut involuta credatur, quo sarta tecta maneat eorū autoritas in sanciendo, pro arbitrio, quæ volunt in Ecclesia. Interim cæteri fere omnes hærent ac stupent in tricis istis, &, prout cujusque animus aut ingenium est, ita in hanc aut illam partem rapitur, non tam judicio quam impetu atque affectu. Nec levioribus nec paucioribus difficultatum salebris obrutæ sunt controversiæ, quæ in Scholis agitantur de Natura & attributis Dei, de Personis divinis, de personarum reali, rationali aut modali distinctione, de Generatione Filii per intellectum, de processione Spir. S. à aut per Filium, de Peccati Originalis forma: De communicatione idomatum; &c. Bone Deus! si à simplice atque incuriosa Scripturæ locutione, quæ in tam augustis mysteriis sufficere nobis debet, & facillime intelligitur, ad Scholarum conclusiones abis, quot quantisque terminorum, definitionum, respectuum, modorum, notionum, relationum senticetis horrent omnia? Distinctionum nec modus nec finis est. Ne Lynceus quidem earum profunditates ac βάϑη pervideat. Labyrinthi undiquaque sunt, in quibus perspicacissima ingenia hærent, omniū subtilitatum Logicarum, Physicarum, Metaphysicarum flexibus, gyris ac mæandris circumvoluta. Nec exire datur, nisi obstupescant & patiantur sibi horrida distinctione, veluti duro

Saxo cere-comminui-brum.

Esto, inquiet aliquis vestrum: Non minoribus nec paucioribus difficultatum ac subtilitatum spinis obsita nunc est nostra hæc de Prædestinatione controversia: Fateor. Si ulla alia, hæc controversia in pulverem usque secta est. Quicquid industria humana excogitare potuit, id omne huc contulit, ut sentinam controversiæ hujus totam exhauriret, & claritudini ejus veluti Soli tenebras suffunderet: Cribrum diceres humani ingenii, in quo percolata est ejus acies. Nuspiam magis sudatum aut laboratum est. Quid enim non potest ac non audet humanum ingenium, ut causæ omni colorem det? Sed hoc interest inter cæteras controversias & hanc nostram, quod in illis tanto minus videat, tanto magis cæcutiat humanum ingenium, quanto penitius acriusq; eas introspicit. In hac nostra vero, quanto contentius omnia considerat, quanto altius penetrat in intima eorum, quæ pro fatali necessitate adferri solent, tanto clarius videat, atque intelligat, se id concludere, à quo tota natura humana abhorret, quod mundi totius praxis redarguit, quodque ipse homo ore atque opere suo singulis pene momentis damnat ac destruit; adeo ut fati istius patronis idem prorsus usu veniat, quod Scepticis solet, qui postquã magno molimine id egerunt, ut evincant, Nihil in rerũ natura sciri posse: Vnum non esse magis hoc quam aliud; *hoc ipsum evincendo, seipsos suopte ore coguntur damnare: Nam*

Nil sciri quisquis putat, id quoque nescit,
An sciri possit, quo se nil scire fatetur.

Rationem addamus, quæ vel mantissæ loco sit. Nemo tam fatuus, tam crudelis in se ipsum est, etiamsi Parcarum tabulas mordicus tenere velit, qui, si credat sciatque, se in crimen aliquod non voluntate sua, sed invicta necessitate incidisse, reum se supplicii aut tormentis dignum fatebitur. Conciliationem libertatis & necessitatis nullam à lictore aut carnifice fieri permittet: Distinctiones omnes in equuleo positus respuet, damnabit, execrabitur. Solam necessitatis exceptionem ad justam excusationem sufficere sibi dicet, clamabit, vociferabitur. Quod si tamen forte quis adeo fatuus aut iniquus in se ipsum reperietur, ut contrarium se credere dicat, ecquis adeo Barbarus aut immanis Pater erit, qui Filium suum flagris, virga, fustibus dignum judicabit, nisi firmiter persuasum sibi habeat Filium suum ea commisisse aut omisisse, quæ poterat non committere

vel omittere? Quisquamne Magistratus, Princeps, Rector aut Dominus adeo à Sole aversus ac demens reperietur, qui virgas, secures, laqueos, furcas, cruces, rogos non damnabit, si subditos suos non libera prorsus voluntate peccare, sed necessitatis impulsu incidere credat in crimina? Nimis, nimis clara & plana est hæc notio. Nemo eam expectorare aut revellere potest de animo suo, nisi qui hominem totum exuit, & generis humani hostem se facit. Hæc cum ita uno omnes ore censeamus, annon evidentia rei convincimur facillimam esse hujus nostræ controversiæ decisionem? Nempe, nos injusti, crudeles, barbari erimus sic agendo, & Sapientissimus, justissimus, atque optimus Deus, cujus nos propago sumus, inclemens, iniquus, crudelis ac barbarus non erit, si temporalibus atque æternis cruciatibus excarnificet multo maximam generis humani partem, quam ipse necessitate inevitabili incidere voluit in peccatū & ineluctabilem peccandi necessitatem. Ratio hæc per se adeo clara est, ut ad decisionem faciendam sufficiat. Tam facili momento eam percipit olearius in velabro, sutor ac fullo in trivio, quam Angelicus, Seraphicus aut illuminatus Doctor in Academia. Cæterarum controversiarum dispar est indoles: difficillime fit earum decisio. Principalia argumenta, quibus adstruuntur in Scholis, humanum ingenium aut præ imbecillitate sua non capit, aut pro libertate sua carpit. A nonnullis etiam prorsus abhorret, adeo subtiliter contortis, ut ab iis circumveniri metuat tanquam à laqueis. Unde fieri fere videmus, ut qui in ejusmodi controversiis extra aut præter Scholas sapere audent, tandem intra sobrias scripturæ locutiones, tanquam intra tutum fidei vallum, se recipiant, malintque tam sublimium mysteriorum decisionem, aut studio defugere, tanquam periculosam, aut cujusque judicio liberam relinquere, tanquam incertam, aut negligere, tanquam difficultatibus & subtilitatibus Scholarum inextricabilibus refertam. Nec injuria. Quotusquisque enim est, qui controversias Scholarum circa Trinitatis, unionis hypostaticæ, &c. materias, de notionibus, actibus, potentiis notionalibus relationibus, reduplicationibus, modis, conceptionibus, subsistentiis, aliisque difficiles atq; obscuras esse nō cogitur fateri? Ut termini intelligantur sæculo pene opus est. Ut fundamenta, rationes, distinctiones concipiantur, tota Philosophia proluendus est animus. De Peccato Originali quindecim sunt opiniones, omnes fere æque obscuræ atque intellectu difficiles. Decima sexta si

addatur, quod ſit, ut Geneſ. 8. dicitur, cordis humani prava cogitatio ab ineunte ætate, *non tollitur, ſed augetur obſcuritas. Sacramenta tot habent definitiones quot fere ſunt ſectæ. At in hac noſtra controverſia plana ſunt omnia. Res, termini, rationes, ſimulatque proponuntur, ſine hæſitatione intelliguntur. Quæ objicuntur, apparet ſtatim eſſe ſophiſmata arte elaborata ab ingeniis, curioſis dicam an otioſis, ad obſcurandum controverſiæ hujus lumen: Pleraque ex Metaphyſicis diſputationibus hauſta ſunt, de concurſu cauſæ primæ cum ſecundis, de ſecundarum cauſarum ſubordinatione ac dependentia à cauſa prima, de coordinatione & diſtinctione facultatum vitalium in anima, de intellectus & volũtatis diſtinctione, de libertatis definitione, de jure ac Dominio Dei in res creatas, aliiſque Philoſophiæ Scholaſticæ arcanis. Ea omnia ſi propius paulum videatis, nil niſi operoſæ Scholarum nugæ ſunt, leviores quam ut omnes ſimul conſtipatæ in bilance appendantur cum uno iſto argumento, quod pro noſtra parte ex præceptionum, prohibitionum, promiſſorum, comminationum, præmiorum ac pœnarum æquitate deſumitur. Hoc unicum argumentum omnibus iſtis ſimul junctis longe præponderat. Hoc ſentit palpatque verum eſſe, quiſquis tantum audit. Iſta ut intelligas tota acuminis Metaphyſici ſubtilitate opus eſt: Vt aſſentiaris vim tibi facias neceſſe eſt, niſi mancipium fias alienæ libidinis.*

Neque vero ad rem quicquam facit, quod controverſiæ iſtæ multis, variis, elaboratis probationibus conſtant. Quanto operoſiores ſunt, tanto ſunt difficiliores, tanto magis ſuſpectæ. Comta & elaborata omnis oratio Cynæda eſt. Multo fuco indiget meretrix, quanto deformior, tanto copioſiore. Vnaquæque veritas non habet niſi unam præcipuam rationem, qua conſiſtit.

ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

Sermone veritas amat uti ſimplice.

Quocirca controverſiæ iſtæ ſimiles videri debent matronis, quæ cothurno indigent, quo ſe attollent, ut grandes ac proceræ videantur; eo exuto, pumilæ ſunt ac nanæ: Ita iſtæ hypotheſibus ſublimibus Scholarum ſubnixæ magnæ atque excelſæ videntur: Subduc eas, jacebunt

Velùti ingentes littore trunci.

Accedit, quod cæterarum iſtarum controverſiarum deciſiones pauciſſimis Scripturæ locis, aut, quæ ex iis depromuntur, conſequentiis innitantur: Hujus vero

noſtræ

nostræ controversiæ veritas per totum Scripturæ corpus longe lateque innumeris fibris, venis atque arteriis diffusa sit. Nam præceptorum, prohibitionum, promissionum, comminationum, præmiorum ac pœnarum à capite ad calcem plena sunt omnia. De personarum Trinitate, de Vnione hypostatica, de modo incarnationis &c. quam parce, quam sobrie loquitur Scriptura? Consequentiis multis veluti gradibus opus est, ut ad controversiarum, quæ in Scholis agitantur, apices perveniatur. Peccatum Originis non nisi ex duobus aut tribus Scripturæ locis effoditur. Pædobaptismus ut ex ea eruatur, Syllogismorum amfractibus opus est. Cœnæ Dominicæ controversia pene in unius verbi substantivi, Est, *examine veluti cardine vertitur. Caput Ioannis sextum frustra basis illius esse creditur. Non agitur in eo de Eucharistiæ Sacramento. Temporis historia id arguit. Nondum tum adhuc institutum erat hoc Sacramentum. Diversitas enuntiationum, quæ in isto capite sunt, ab ea, quæ in institutione Sacramenti hujus à Servatore facta est, id confirmat. Quod enim subjectum hîc est, id ibi est prædicatum, & vice versa. Hîc dicitur, Caro Christi est panis vivificus; Isthîc dicitur, Hoc est corpus meum. Denique contrarietas enuntiationum rem indubiam facit. Hîc enim, edere carnem Christi & bibere ejus sanguinem, dicitur conjunctum semper esse cum salute & vita æterna: Isthîc corpus Christi sive panis, qui corpus Christi est, edi posse dicitur ad judicium. Adde, quod carnem Christi edere, & sanguinem ejus bibere, & Christum ipsum edere pro eodem hîc sumuntur. Christus hîc seipsum appellat panem vivificum. Isthîc minime. Neque enim dicitur, Hoc est Christus, sed hoc est corpus meum; Hoc poculum est N. Testamentum in sanguine meo. Quantum autem & quam immane discrimen sit inter hæc, quis non videt? utinam id animadverteret Christianus orbis! Magna idololatriæ ansa præcideretur. Christus totus præsens in Eucharistia esse creditur, atque idcirco magna religione isthîc colitur, adoratur, invocatur à multis, cum verba ipsa textus manifesta arguant Christum totũ ibi præsentem non esse, sed corpus Christi mortuum sive separatum à sanguine, id est, anima ac vita sua, repræsentari per panem & ejus fractionem, vinique in poculum infusionem. Mortuum autem Christum sive cadaver ejus, qua tale, colere, adorare, invocare, quæ ratio, quæ Religio permittit? O cæcitatem! Hoc loco sublato apparet, quam tenuibus, quam imbecillis fulcris nitatur solem-*

nis & principalis iste ritus, qui centrum ac fulcrum est totius Religionis Pontificiæ, & pro qua tamen credunt militare tot loca, tot rationes, tot argumenta, ut γάγγραινα *eorum Christianum orbem pene obruant & suffocent. Cætera omnia Religionis Pontificiæ axiomata, de Sanctorum mortuorum intercessione & invocatione, de Imaginum religiosa adoratione, de Reliquiarum veneratione, de Indulgentiarum nundinatione, de Purgatorio, votis Monasticis, aliaque ejus commatis plura, quibus, quæso, Scripturarum locis superstruuntur? Tolle autoritatem Ecclesiæ loca Scripturæ obtorto collo eo trahentis, & pro arbitrio atque ex usu suo interpretantis, repente videbitis*

ruere alto à culmine Trojam.

Nec mirum. Vnus tantum est articulus, quo tota Pontificiorum fides nititur, nempe, Ecclesiæ, aut potius unius Pontificis autoritas. Ex hoc clavo cæteri omnes istius Religionis proprii dependent. Conciliorum, Patrum, qui vocantur, consensus adjungitur quidem, sed in speciem tantum, ne fraus transpareat. Hoc ipsum enim, quæ concilia, qui Patres orthodoxi sint censendi, ab arbitrio unius dictatoris Pontificis dependet. Quæ res adeo clara est, ut articulos, quos cum Reformatis totius Religionis ac fidei Christianæ præcipuos censent, de Trinitate Personarum in una numero essentia, de hypostatica unione, de peccato Originali, de Pædobaptismo, de Scripturarum autoritate, non nisi traditionibus ἀγράφοις*, aut sola autoritate Ecclesiæ, nullis vero invictis Scripturarum testimoniis niti, adserere non dubitent. Sed redeamus ex diverticulo in viam. Tota Scripturæ sacræ compages, ratio manifesta, nullis consequentiis difficilibus elaborata, nulla subtilitate nixa stant pro hac nostra controversia.*

Neque tamen diffiteor esse loca quædam, quæ pro adversa parte aliquo modo videntur militare: Sed ea oppido sunt pauca, adeoque obscura & controversa, ut in computum venire non mereantur cum tot tantisque planis, perspicuis, & extra omnem controversiæ aleam positis Scripturæ testimoniis, quæ ubique in singulis fere paginis ac periodis occurrunt. Et miseri sane ac miserandi merito sunt isti mortales, qui præteritis infinitis ejusmodi testimoniis sua propria luce splendentibus, & quæ, nisi per vim, in sensum alium detorqueri non possunt, pauculis istis & controversis adhærent non aliter quam hirudines; istis pugnant, istis se jactant, istis triumphant contra clarum cæterorū Solem. AEquissi-

mum

mum profecto est ut pauca pluribus, obscura claris, dubia indubiis cedant, & non hæc ad illorum, sed illa ad horum incudem revocentur. Quolibet interpretationis malagmate utendum potius est, ut paucis, obscuris, dubiis lux adferatur à claritudine cæterarum, quam ut pluribus claris apertisque vis inferatur, & tenebræ ab obscuris suffundantur. Qui contra faciunt, ii sane parum sunt æqui erga veritatem, & ingenio suo abutuntur ad multorum perniciem. Inter ista loca caput nonum ad Romanos proram pene ac puppim facit. Isto, veluti Gorgonis capite, pugnant non Doctores tantum, sed & fabri sutoresque. Et in eo præsidium adeo firmum positum esse creditur, ut inexpugnabile censeatur. Nec desunt qui mirantur, quomodo, eo conspecto, non protinus convertamur in lapides ac saxa, ac vel hiscere contra audeamus. Atque, ut verum fatear, quia caput istud ut non pauca alia Paulina, operosiore explicatione eget, utpote totũ allegoriis & typis involutum, sententiisque brevibus & abruptis intercisum, parum abest, quin revera inexpugnabile sit apud eos, qui verbis ejus ac literæ mordicus volunt inhærere, neutiquam attendentes ad id, quod de Paulinis quibusdam monet Petrus, esse in iis nonnulla intellectu difficilia, quæ indocti, parumque stabiles detorquent, ut & reliquas Scripturas ad suum ipsorum exitium. *Interim quotquot mancipia literæ non sunt, cũ de allegoriis agitur, sed veritatem amant sine præjudicio, ii facile vident, non modo nullum præsidium in isto capite situm esse pro ista de Fatalitate opinione, sed in eo arcem atque armamentarium reconditum esse, ex quo ea fortissime oppugnari, labefactari ac tantum non suppeditari potest. Præter & extra hoc caput, quæcunquæ allegantur testimonia, ea nil nisi laciniæ quædam sunt, hinc inde à reliquo Scripturæ corpore avulsæ, & quæ solo locutionis methaphoricæ colore nitent. In eo hærent ac stupent non aliter, quam fascino præstrictæ mentes. Nempe Deus aliis dicitur* dare cor novum, facere ut in viis justitiæ ambulent, trahere, creare, gignere, vivificare, suscitare eos in novam vitam: *alios vero* excæcare, indurare, in sensum reprobum tradere, *aliaque. At quam, obsecro, levidense argumentum est, quod ex vocibus petitur? Scriptura plena est figurarum, troporum metaphorarum, allegoriarum. Nunquam finis erit, si quis mordicus istis velit inhærere & pugnare, Et cũ eædem voces, eædem actiones tribuantur hominibus ab eadem Scriptura, quæ tribuuntur Deo, quis exitus? Sola ratio præceptionum*

præmiis

præmiis ac pœnis sancitarum, in quibus tota Scripturæ medulla sita est, legem interpretandi nobis ponat necesse est. Ubi istæ locum habent, ibi impossibile est, ut phrases istæ aliter quam violenta manu trahantur ac torqueantur in istam pro Fato partem. Hæc enim ratio tam clara, tam evidens, tam palpabiliter manifesta est, ut ex ea una ac sola controversiæ hujus decisio facillima, si quæ alia ulla, censeri debeat.

Hinc jam id, quod ultimo loco proposuimus, liquet; videlicet, quanto certior, tutiorque sit hujus nostræ, quam cæterarum pene omnium controversiarum decisio. Certissima decisio est, quæ fit ex clarissimis Scripturis & rationibus nulli non obviis, quæque statim & facillime ab unoquoque mentis tantum suæ compote fieri potest. Tutissima decisio est ea, quæ pro pietate, pro officii nostri necessitate facit, & ad nullum alium finem spectat, quam ut divinis legibus, jussibus, promissis, minis sua constet autoritas. Sed audire mihi videor, qui contrariũ nobis persuasum volunt: Periculosam, scilicet, esse decisionẽ, quæ pro libertate humanæ Voluntatis fit. Quia, si homo liber est, tũ totus quãtus quantus est, non dependebit à Deo: si vero à Deo homo totus non dependet, ex homine tandẽ Deus fiet. ô Subtilitatem! Nempe isti mortales metuunt, ut, si homo liber dicatur, ex homine tandem Deus efficiatur, & non metuunt, ut contra, si homo liber non est, ex Deo Diabolus aut Tyrannus Phalaride quovis immanior efficiatur. Hæc consequentia plana, facilis, obvia & palpabilis est. Ista ne speciem quidem habet. Quæ enim, obsecro, ista est divinitas hominis, quæ tota in sola volendi libertate consistit, atque interim potentia, autoritate & jure omni proprio destituta est? cujus usus ex alterius arbitrio ac Voluntate pendet, & cujus abusus eum, in quo est, gravissimæ pœnæ reum facit? At manifesta est ista crudelitas, si Deus dicatur, innoxias suas creaturas inextricabili peccandi necessitati illigare, & eas deinde ob peccata ad ineffabiles atque æternos animæ & corporis cruciatus damnare. Neque vero est quod hîc quisquam mihi regerat, hominem in statu primo liberum conditum fuisse. Sic enim alterutrum sequetur; Aut Deum aliquando fecisse ut homo Deus esset, aut, si liberum eum creando id non fecit, certissimam esse consequentiam, summam Tyrannidem & crudelitatem Deo tribui, quando hominem non liberum æternis cruciatibus destinat. Qui istis magis sapere videri volunt, ii gratiæ divinæ detrahi & homini glo-

& homini gloriationis ansam subministrari clamant, si homo liber statuatur; quasi vero aut gratia divina nō sit gratia, nisi homo bos aut lapis fiat, aut gloriationi vanæ locus esse possit, ubi primus ac principalis libertatis usus in bono à gratia suppeditur. Nugæ; Sed hæc omnia aliaq; in hac Apologia plenius tractātur. Nolo actū agere. Hæc cum ita se habeant, dilecti Fratres, non est quod aut vos aut me pigeat pudeatve eorum, quæ jam per decennium integrum & fecimus & passi sumus pro hujus controversiæ patrocinio. Ego vero etiam mihi vobisque gratulor, gloriorque in Domino Iesu, quod dignos nos judicaverit & idoneos fecerit, per quos tam justa, tam utilis, tam clara, tam facilis, tam certa, tam tuta veritas adsereretur. Parum nobis videri debet, quid alii de nobis nostrisque laboribus ac doloribus sentiant. Fatua sæpe hujus ævi judicia sunt, aut iniqua: Pauci sine gratia, sine offensa aut odio judicant. Rationes solæ ponderandæ sunt, & conscientiæ bonæ studium alienis omnibus judiciis est præferendum. Nemo mortalium omnibus simul placuit; & nos, si hominibus placere studemus, Christi servi non sumus. Bonis ac bonæ conscientiæ studiosis si consilia, si studia nostra probamus, ultra nihil aut exspectemus aut optemus. Axiomata eorum, qui omnia ex usu suo aut quiete publica metiuntur, ad nos non pertinent. Istis Caiaphæ consilium hodieq; sacra Reipub. anchora est, qua stat vigetque. Conducit nobis ut unus homo moriatur pro populo, & gens tota non pereat. *Et dubitare liceat, an non isti ipsum Dominum Iesum denuo in crucem acturi essent, ut istius axiomatis hostem & pacis publicæ turbatorem, si ad eos rediret: utilitate publica compensatam crederent privatam iniquitatem. Nobis alia mens, alius animus est. AEquissimum esse novimus ut Dei veritas, quæ ad pietatem utilis est, & à seditione omni aliena, non ad mundi hujus legem, sed totius Mundi Lex ad Dei, Christique unius sacrosanctam veritatem dirigatur. Vbi id non licet, ibi Synagoga Satanæ est, qui homicida fuit ab initio, & Pater est mendacii. Sed valeant hi, & res suas sibi habeant. Eorum vicem imprimis doleo, qui cum veritatem recte norint, & pietatis amorem ac studium præ se ferant, quin etiam eos qui propter eam in hoc seculo affliguntur, recte atque egregie facere credant, adeo tamen segnes ac socordes sunt, ut præter inanem adfectum sterilemque juvandi voluntatem, nihil conferant. Indigni utiq; sunt, qui sub Christo mereant & stipendium melioris vitæ faciant. Nos, uti cæ-*

pimus, ita pergamus, non minus fortiter, quam alacriter. Deo hoc debemus & proximo nostro. Sacramentum semel diximus Domino ac duci nostro Iesu: Perfidi ac perjuri sumus, si Sacramento isti renunciamus, si deficimus, si cedimus, aut nos ipsos subducimus tam præclaræ, tam utili, tam gloriosæ pugnæ pro divina veritate. Et cur cedamus, Fratres? Vidimus, & gratia tibi sit Domine Iesu, vidimus, inquam, jam per annos aliquot fructum laborum nostrorum non exiguum. Semen jactum in terram, & aliquamdiu rore patientiæ vestræ, quin & sanguine vestrorum irrigatum fœliciter hîc illîc adolevit, & adolevisset longe altius uberiusque, nisi, proh dolor! malesana & cruenta paucorum consilia plurium innocentiam maculassent, & veritati fœliciter succrescenti, contraque onera ac pondera afflictionum, palmæ instar, sese erigenti, manum & remoram injecissent. Nostis quanta nos adversariorum phalanx hactenus presserit: quam diris animis, sanguinariis consiliis, immanibus ausibus in nos sævierint: quot convitiis, maledictis, suspicionibus nos publicæ infamiæ prostituerint, ut per latus nostrum veritatis cursum sisterent: Nihilominus tamen divina veritas per omnia ista obstacula viam sibi fecit, & veluti ruptis obicibus flumen solet, per universum terrarum orbem se longe lateque diffudit. Parum, fateor, profectum est apud eos, qui malorum nostrorum authores sunt. Sed quid mirum? Interest eorum ne veritatem & innocentiam damnasse, ac sine causa patriam atque Ecclesiam turbasse videantur. Tum frustra fere disputatur cum duobus hominum generibus. Cum iis, qui credunt se errare non posse, & cum iis, qui credunt se ea fide præditos à Deo esse, quæ excidere nunquam potest. Vt hi errorem suum videant pene impossibile est. Laterem lavat, qui rationibus eos ab errore ipsorum abducere conatur. Nolent videre, etiamsi Solem manu tua portes, ut hæc vestra Apologia recte loquitur. Talium non est fides. Alii sunt inter eos, iique magno numero, qui vel simpliciores sunt, quam ut arcana doctrinæ istius pervideant, vel segniores quam ut in ea inquirant, vel doctiores quam ut ea probent, vel æquiores quam ut dissentientium rationes non posse veras esse in animũ suum velint inducere; vel probiores quam ut iis, quæ semel didicerunt, pertinaciter hærere velint, aut meliora monstrantibus non cedere. Sunt qui fundamenta & axiomata eorum non intelligunt, adhærent tamen sectæ, prout aut suus quemque affectus impellit, aut aliena allicit suada, aut spes metusve devin-

devinciunt. Sunt qui uni isti sectæ odio aliarum sectarum omnium usque adeo bene volunt, ut in animum inducere nolint, esse in ea, qui tam horrenda, tam absona in sinu suo fovent. Excusant, emolliunt, dedolant scabra, dura & aspera omnia benignæ interpretationis aut elaboratæ alicujus distinctionis ascia, &, si nihilominus sentiatur asperitas & horror, caritatis pallio ea velant; & hoc appellant non revelare patrum pudenda. Tantum valet quo quis affectu in Sectam suam feratur. Sunt qui nihil horum probant, adhærent tamen & silent, quia credunt se impares defensioni, ne culpa ingenii divinam veritatem prostituant. Alii aliis de causis adhærent, prout quisque aut sibi ipsi palpum obtrudit, aut ab aliis sibi obtrudi non illibenter sinit. De hisce omnibus spes est, ut ab errore suo in rectam viam revocentur. Quæ eos impediunt, quominus in errore se versari intelligant ex maligno fonte non proveniunt. Præjudicium non fixit adhuc radicem in animis eorũ, nec pessulum adhuc menti voluntas obdidit. Rationibus aditus adhuc patet. Nec raro tempus, veritatis filia, lemas sponte sua facit excidere. Vti mustum tempore despumat, & fæcibus in fundo subsidentibus enubilatur ac serenũ redditur; ita etiam temporis tractu non raro componuntur turbati animi, ubi ebullierunt odia, affectusque eruperunt. Sæpe subita & levis quædam occasio errorem tollit, ut radius nubem. Inter hos fructum fecit labor noster, & faciet cum bono Deo. Nostrum est curare ne illis desimus, ne causam habeant à nobis, cur in errore maneant, imo ut causam à nobis habeant, cur ab eo exeant, atque ita, quod errori conjunctum est æternæ salutis periculum, nostra ope evadant. Atque hoc quidem fieri tum inprimis æquum est cum videmus errores noxios nova specie veluti honesto stragulo tegi, aut autoritate eorum fulciri, quos eruditio ac professio sua supra alios longè extollunt: Id toties hoc nostro ævo factum vidimus, ut jam pene exhausta credam ingenia & ad errores incrustandos nihil pene fuci ac ceromatis reliquum esse. Tentarunt quidem nuper Theologi Leydenses in Censura declarationis nostræ novo fuco errores suos circumlinere & declarationem nostram in suspicionem variorum errorum vocare, sed quam infæliciter, Christianus orbis discet ex hac Apologia nostra. Atque hac quidem ratione si veritatem propugnare pergamus contra mangones istos, qui errores suos fuco ac specie veri circumlitos incauto populo obtrudunt, fieri non poterit, quin multorum minime malorum

oculos aperiamus, ut videant quanto in errore versentur, atque ita populum meliore veri cognitione imbutum Christo Domino nostro lucrifaciamus.

Neque tamen existimo hac in re præcipuum laborum nostrorum fructum consistere, quod multos ab erroribus noxiis liberemus, & meliore veri rectique scientia instruamus. Absit: Scio majores & meliores fructus requiri, ut Christianus populus simus, & à reliqua pereuntium turba segregemur in peculium Dei, atque immortalis vitæ hæreditatem consequamur. Scientia sola neminem facit Christianum, ac non raro inflat hominem, ut Christianus fieri vix possit, aut factus semel Christianus, paulatim Christianus esse desinat. Scientiæ fructus pietas esse debet, & vitæ sanctimonia legibus Christi digna. Sine hac nemo Christianus esse potest, nemo videre Dominum. Hic scopus itaque laborum nostrorum, post divini nominis gloriam potissimus esse debet. Verum enimvero, si huic nostro scopo, aut hisce laboribus nostris non respondit adhuc fructus iste, inde tamen neutiquam æstimanda est doctrina nostra. Ex fructibus æstimandi sunt homines, non semper doctrina. Fieri enim potest ut doctrinam optimam pessimi mores consequantur, ut acetum optimum vinum solet. Doctrina æstimanda non est ex fructu suo, sed ex fine & ex propria vi atque indole sua. Semper ea manet sanctissima atque optima, etiamsi in iis, qui eam norunt & profitentur, nec finem istum suum adsequatur, nec vim suam exserat. Pietas non fluit ex ea, uti fructus ex arbore. Nempe non efficit vi sua, ut homines non possint non esse pii, sed dat ut habeant, unde pii possint evadere. Pluribus opus est ut reipsa pii sint. Nimirum, per ipsos stare potest, quominus pii evadant, etiam cum ab ea acceperunt unde pii fieri possunt: Ut in tenebris positus videas, lumine opus est & videndi potentia; ut accenso lumine, & potentia visiva uti nolis, tui est arbitrii. Non videbis, si nolis, etiamsi meridies sit, & tu acutius possis cernere,

Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius.

Similis doctrinæ ratio est. Illius lumen & tua potentia, quam à divina gratia accepisti, ut pius possis evadere, non facient unquam ut reipsa pius evadas, si animum refractarium ipse adferas. Voluntate tua obicem potes ponere, quominus te irradiet lumen aut potentia se exerat, nullo doctrinæ vitio, nullo potentiæ defectu. Qui doctrinæ suæ peculiarem quandam vim divinam adspirari

volunt,

volunt, quæ in voluntate nostra, sine voluntate id efficiat, quod doctrina mandat; ii divinæ doctrinæ usum, & voluntati nostræ officiũ suum adimunt. Quicquid aliunde in nobis, sine nobis efficitur, id nec per doctrinam præcipi nobis, nec à nobis ex officio nostro fieri, dici potest. Voluntas ista jumenti instar est, aut potius organi, quod ex aliena inspiratione movetur, & modulos facit ad digitorum arbitrium. Doctrinæ itaque hujus nostræ utilitas ex fine & vi sua propria æstimanda est, non ex effectu aut eventu. Ea vero multo maxima est, & quæ per se sola sufficit, ut non debeamus videri non satis gravem causam habuisse, cur tam fortiter, tam constanter eam cum stipendiorum, fortunarum, patriæ ac libertatis nostræ damno, aliorumq; gravissimorum malorum toleratione propugnaverimus. Bene habet, dilecti Fratres, Per eam bellum indiximus impietati. Per eam sanctimoniæ & bonis operibus operam nostram navavimus, quorum portæ & muri quatiuntur à fatali ista machina. Nunquam nos hujus conatus studiique pœnitere debet. Nimis multis validisque fulcris pene ubique fulcitur impietas. Ex omni parte bellum ei est indicendum. Minimus quisque error pro tibicine est, quo se sustentat. Ex omni occasione pabulum sugit, quo se alit augetque. Nisi nos, qui ei destruendæ vocati sumus, pro virili nostra fulcra, quæ videmus, subtrahamus: nisi subducamus pabulum, indigni utique sumus, qui serviamus sanctissimo Domino nostro Iesu. Christianus orbis gemit sub onere. Et utut quælibet secta videri velit in tollendo onere isto idem nobiscum facere, vix tamen ulla est, quæ hunc præcipuum scopum suum facit. Quælibet pene intra reformationem errorum aut rituum quorundam stat, & hoc titulo sese ab aliis segregat. Quæ errores, superstitiones, ritus reformant eo solum fine, ut impietati, peccatis, vitiis, odiis, dissidiis, schismatis ansa præcidatur & vera Christiana pietas ac caritas vigeant,

Apparent raræ nantes in gurgite vasto.

Atque hinc fit, ut sectæ ipsæ perpetua odiorum, &, quæ odia consequi solent, variorum enormium peccatorum fomenta sint, &, Deo ita permittente, in singulis pene aliqua doceantur, quæ cedunt in alimentum aut impietatis, aut non necessarii schismatis. Nulla tamen est, quæ impietatem validius firmat ac stabilit (etiamsi aliter ipsi videatur) quam Prædestinationis Fatalis magistra Secta. Atque hinc sunt tam acria, tam crudelia, tam indefessa pro ea molimina. Nihil

intentatum relinquit Satanas, ut istam arcem sibi retineat. Quin & ingenia omnia, omnes strophas, artes, consilia & studia adhibet, ut persuadeat mortalibus eam pietatis ipsius sedem esse ac domicilium. Quo magis laborandum nobis est, ut contrarium Christiano orbi, atque imprimis bonis omnibus in patria nostra magis magisque pateat. Diluendus est hic fucus & detrahenda hæc larva omni cura studioque. Silentio id fieri non potest. Tergiversatio etiam omnis errantibus fiduciam, & errori addit incrementum. Controversiarum examine opus est, ut ventilabro, quo ventiletur palea subtilitatum, qua error tegitur. Nullus Zelus hic potest esse nimius, si intra modestiæ fines se contineat, & affectus affectuumque causas omnes procul habeat. Si disputationes & lites fugimus, fugiamus vanas & inanes, quæ nec sciente juvant, nec ignoranti nocent. Istæ sunt otiosarum, & curiosarum mentium diversoria, in quibus otii simul atque ingenii sui opes misere dilapidant, &, non aliter quam viperæ mutua salivatione, venenum simul ac voluptatem sibi affricant. Necessarias aut utiles pro pietate, pro religione nunquam aversemur. Hoc foret hastam abjicere, & terga dare Satanæ per errores ad impietatem grassanti, & tantum non de pietate ac pace triumphanti. Superflua atque inutilia quæstionum γάγγραιναν ne consectemur. Quod in corpore sunt humores supervacui, id in Theologia sunt quæstiones superfluæ. Quando istis turget tumetque mens nostra, necessaria atque utilia vix admittit, inflatis utribus non absimilis, in quibus nil nisi ventus est. Atque hinc fit, ut in scholis raro aut nunquam discantur necessaria atque utilia, quia fere non necessariis & superfluis diffluunt ac redundant earum cathedræ ac pulpita. Transcurrendæ sunt solertissimæ nugæ, & properandum ad ea, quæ in vita nostra usum, & in morte solatium secum adferunt.

Atque hæc eo pertinent, dilectissimi Fratres, ut intelligatis scopum hujus mei ad vos alloquii non esse, quasi cura nostra tota in hac de Prædestinatione controversia recte intelligenda stare debeat. Absit. Priores habere debet & succedaneas alias curas. Rerum necessariarum cura primas semper tenere debet. Nec discrimen inter eas ullum faciendum est. Pari necessitate singulæ semper urgendæ sunt. Necessitatis etymon hoc docet. Vtilium rerum cura ut eam sequatur necesse est. Magna earum vis est in animis nostris: Et ea nostra est infirmitas, ut iis veluti stimulis ac calcaribus excitari, veluti fulcris sustentari

opus

opus habeamus; fulti vero excitatique, alacrius multo curramus in viis Domini: iis destituti, aut jaceamus toti segnes inertesque, aut lento valde gradu pergamus ad metam. Adeo repente sentit caro nostra remoram ex omni occasione, ut in cæpto cursu aut hæreat, aut retrocedat. Posthæc inutilium & noxiarum rerum ratio habenda est, ne bonæ segeti se misceant veluti Zizania, & pietatis succum ac medullam alio derivent.

Atque hæc isto ordine cum facimus, tum vero viam obstruimus impietati, quantum in nobis est. Habent tum à nobis omnes, ut non de parte vitæ una, sed de tota vita sua deliberent. Si in hac una controversia perpetuo stamus, si hoc tantum agimus, ut de quinque, qui vocantur, Articulis, recte sentiatur, parum profecto egimus: Vti ideo plerique peccamus, quia de partibus vitæ omnes, de tota vero nemo deliberat; ita ideo desipimus plerique, quia de hoc aut illo Religionis capite recte intelligendo & aliis persuadendo soliciti sumus, de tota vero pietate curam, quam par est, non suscipimus. Aut tota pietas urgenda est, aut nulla. Non magis ad salutem proderit in una sola pietatis parte stetisse, quam in nulla. Nec vera pietas, nec Deo Christoque digna est virtus, non esse pessimum.

Virtus est vitium fugere, & Sapientia prima
Stultitia caruisse.

Non fugit vitium, qui ab uno alterove se expedit, & pluribus aliis nihilominus tenetur implicitus. Habitus omnes exuendi sunt. Exceptionem nec facit, nec patitur pius animus. Vt exuantur serio, totius divinæ Religionis amore opus est. Sic enim fit, ut omnes ac singuli pariter odio habeantur. Religio distinctionem non patitur, nec amor divisionem. Nec mirum. Quod in corpore letale vulnus, id in anima cujuslibet peccati habitus est. Vnus solus ad nos æternum damnandos sufficit.

Atque hisce quidem omnibus si conjungamus caritatis & commiserationis affectum, tum vero explevimus numeros omnes officii nostri. Videmus Christianum populum in infinitas pene sectas & sectarum particulas membratim discerptum ac divulsum esse, & dirarum, inimicitiarum, quæ ex istis fere solent fluere, nec modum nec finem esse. Iacet, jacet, proh dolor! corpus illud sacrosanctũ, quod tam blandi, tam pacifici, tam misericordis Domini ac Magistri

nomen

nomen præ se fert, misere in sua propria viscera conversum, Cadmæis victoriis dilaceratum ac pene in frusta concisum. Quælibet secta ungues & dentes in vulneribus istis impactos tenet, ut labia jam satis hiantia magis magisque à se invicem divellat ac distrahat. Nulla fere de iis adducendis, conglutinandis, sanandis cogitat. Ferreus est, quisquis hæc videt, & non ex imo pectore ingemiscit. Fieri enim non potest, quin hæc labes, hæc macula, hoc opprobrium in Dominum ipsum Iesum & sacrosanctam ejus Religionem redundet. Habent inde Iudæi, cur ab ea toto animo maneant alieni atque aversi: Profani vero & mundani homines, cur ex præscripto ejus non vivant, adeoque in pejus indies proficiant. Et quæ, obsecro, tanti mali causa est? Nempe, quælibet secta non tam hoc agit, ut se à superstitiosis, idololatricis, falsis cultibus præstet immunem; quam ut opiniones suas peculiares stabiliat & statuminet. Qui in istas consentiunt, eos singulæ suos vocant, nullo pene vitæ cæteræ discrimine. Quanto quis fortiores iras pro istis gerit contra dissentientes, tanto sincerior, tanto purior, tanto creditur esse reformatior. Nusquam mortalitatis recordatio, nulla errato venia. Adversariis veritatis puræ, quam vocant, acerrime contradicere, plumbeas iras gerere, Vatiniana odia contra eos exercere, longissime ab iis recedere, imo eos proscribere, relegare, æternis carceribus mancipare, apex pene veri Zeli esse creditur. Sola consensione opinionum, non aliter quam tessera, suos dignoscunt; odium dissentientium in parte officii ponunt. Et quod pessimum est, Nullius ingenium errare potest, quin probitas ejus male audiat. Opinionum reprehensio in morum criminationem degenerat. Etiam ipsi veritati fraudi est, ab errantibus esse prolatam aut defensam: Diceres sectas omnes veluti sentinas esse, ad quas confluere permittuntur impurissimi & maledicentissimi quique, ut fæces atque excrementa generis humani, quibus hoc unum studium est, ut fortiter à cæteris omnibus dissentiant, & supera inferis potius misceant, quam ut vel latum unguem à placitis suis deflectant. Hic est væcors ille Spiritus, qui jamdudum totum Ecclesiæ corpus exagitat, & singula secum membra intestino dissidio committit. Hunc si curatum volumus, contraria nobis via insistenda est. Illi operam dant divisioni, disseparationi, odiis, rixis, schismatis: Nos colligamus, congregemus, uniamus nobiscum quicquid cum Christo unum est. Illi opinionibus reformandis potissimum student, & pro erroribus quos exemtos cupiunt,

piunt, non raro tetriores errores inserunt: Nos ante omnia pietati & paci Sacramentum diximus. Reformemus animos, consilia, studia, mores ad præscriptum Christi. Nam ut ait ille:

Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam.
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Vbi malos mores affigi multo fuerat æquius.

Et,

Mores mali quasi herba irrigua succreverunt uberrime;
Neque quicquam hîc vile nunc est, nisi mores mali.
Eorum licet jam messem metere maximam.

Nunquam hîc frustra esse possumus. Pietas si non errorem, errandi saltem animum tollit. Recta sententia errorem quidem tollit, sed pravitatem animi sæpe non corrigit. Error veniam & commiserationem meretur; Impietas odium & pœnam: Errantes nuspiam cœlo proscribit Deus, Impios ubique. A mundo & ab iis, qui se inordinate gerunt, à dissidiorum & scandalorum autoribus, à profanis, peccatoribus, impiis declinare, fugere nos jubet. Pios, Dei timentes, amare, complecti; cum lenitate erudire eos, qui contrario animo sunt affecti, errantium misereri. Exemplum dedit divinus iste Apostolus, acerrimus alioquin veritatis divinæ & libertatis Christianæ assertor. Quando cum Corinthiis agit, qui futuram corporum resurrectionem negabant, Christiani tamen animis ac studiis videri volebant, ipsa lenitas est. Non indignatur, non exacerbatur, non jacit excommunicationis fulmen contra eos. Fert, tolerat, patitur, fratres eos nihilominus vocat. Et tamē opinione ista quid fœdius, quid turpius, quid religioni Christianæ magis contrariū dari potest? Et redarguit eos, inquies. Ita est, sed argumentis, sed demonstrationibus, absurdis, aliisque, ut instruat, ut doceat, ut erudiat. Longe aliter profecto quam cum de malis, improbis, impuris & injustis agit. Toto Zeli Spiritu in eos invehitur, ardet, indignatur, tonat, fulminat contra eos, qui communionē eorum ut pestē & lepram non fugiunt. Scripsi vobis, *inquit,* ne commisceamini, si quis, cum frater nominetur, sit scortator, aut avarus, aut ebriosus, aut convitiator, aut rapax: *Dico atque edico etiamnum,* cum istis ne edatis quidem. *Incestuosus ille pro exemplo est: quanto animo, quanto Zelo, quā acri Spiritu incusat Corinthios, quod eum in communione*

sua ferrent, quod ab eo divortium non facerent? Nec hoc contentus, jubet eum absens corpore, sed Spiritu præsens, frequẽte cætu, in nomine & cũ potestate Domini Iesu congregato, Satanæ tradi ad interitum carnis: Cur, quæso, isthic adeo lenis, hîc adeo acer est Apostolus? Scilicet, errorum & peccatorũ longe dispar est ratio: In his culpæ, in istis soli locus est infirmitati ingenii aut judicii. Hic idem limes, hic terminus noster esto. Deus hunc nobis figit: nostrum est eum non refigere. Quare, si qui à nobis dissentiunt cæteroquin probi piiq;, cogitemus idem nobis agendum esse, quod nobis fieri cupimus, qui ipsis aliisque errare credimur: Reciproca ista commiseratio concordiæ mater est. Neque vero existimare debemus inter opera carnis, quæ recenset Apostolus, dissensiones meras recenseri, sed lites, sed rixas, sed hæreses. Lis non nudam dissensionem, sed contentiosam dissentiendi libidinem significat. Hæc enim est carnis fructus, & carnalis animi propago ac surculus. Nemo litigare censendus est, qui eam, quam veram atque utilem scitu credit opinionem, placida mente & rationibus adhibitis tuetur ac defendit. Qui id non facit, is segnis inersque merito habetur. Hæresin non facit opinio, sed animus. Illa in potestate nostra non est: Hunc, quia in potestate nostra est, prohibet ac damnat Deus.

Amemus itaque, complectamur, exosculemur eos, quos hactenus Sectæ pene omnes implacabiliter oderunt, fugarunt, proscripserunt, & omni malorum genere affecerunt. Ista opera carnis odio habeamus, si salvi esse volumus. Damnemus, fugiamus, aversemur sectas istas, ubi omnia pene licent, præterquam dissentire: Vbi fratres & collegæ levissima ex causa sibi invicem superbis denunciationibus cœlum & inferos decernunt. Non licet nobis cum istis vivere ut fratribus. Caro ibi dominatur, non Spiritus Iesu Domini nostri: Sapientia, quæ de cœlo est, ea est pura, pacifica, moderata, obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorũ, absque disceptatione, & hypocrisi. Ante omnia vero demus operã, ne consilia studiaq; nostra jungamus cum iis, qui piorũ hominum, quos errare credunt, persecutionibus, cæde ac sanguine se poluere non dubitant. Non discedamus modo, sed fugiamus quam possumus longissime & citissime à sanguinariis istis cætibus, ne cum iis pereamus. Servari non potest, qui istis, non dico favet, sed non se opponit, non refragatur, non reclamat. Totus Christi Spiritus, tota regia caritatis Christianæ Lex, tota anima Euangelii simul ac semel isto axiomate suffocatur

atque

atque eliditur. Sanguis iste vindictã clamat, & exaudiet eum Dominus. Sanguis Abel est, sanguis innocentium & justorum, quorum mors pretiosa est in oculis Domini. Ne simus sicut Cain, qui ex malo illo erat, & occidit fratrẽ suum, cujus opera justa erant. Nullus homicida habet vitam æternam in se manentem. *Justum, pium, innocentem, quem errare credimus, lædere, verberare, vexare, scelus est coram Deo: Flagitiũ ac prope parricidium occidere; quid dicam in crucem agere, lentis ignibus ustulare, & rotis tormentisque excarnificare? Nemo id suadet, nisi Spiritus ejus, qui homicida fuit ab initio. Scio, Fratres, hæc vos mecum ita judicare & credere, atq; hoc nomine inter alia, ferre ac perferre tot adversa, tam gravia, tam diuturna: Vos imprimis Societatis nostræ decora ac lumina, quorum vincula jam non in Belgio tantum, sed pene ubiq; per totum orbem Christianum celebria facta sunt, qui patientia vestra jam per tot annos invicta atq; infracta, adversariis totiq; adeo mundo fidem fecistis, Conscientiam Remonstrantibus pluris esse, quam quicquid uspiam carũ est in mundo. Ita pergite mecum ad metam,* per gloriam & ignominiam, per convitia & laudes, per bonam & malam famam, ut seductores & tamen veraces, ut ignoti & tamen noti, ut morientes & ecce vivimus; ut qui castigamur, non tamen occidimur, ut dolentes, sed tamẽ semper gaudentes, ut pauperes, sed multos ditantes, ut nihil habentes, sed omnia possidentes.

Deus veritatis, Deus pacis, Deus consolationis, Deus Pater misericordiarum omnium, benedicat vobis, vestrisque laboribus, & perficiat vos in omni opere bono, ad laudem nominis sui, & multorum ædificationem.

Ita voveo, ita precor ex animo vestri studiosissimus in Christo frater ac socius adflictionis vestræ

N. N.

Epist. 2. ad Timotheum cap. 2. 24.

Servum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos.

Cum lenitate erudientem eos, qui contrario animo sunt affecti, si forte Deus aliquando eis det resipiscentiam ad agnitionem veritatis.

Conscientia virtuti satis amplum theatrum est.

Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus est.

AD LECTOREM.

Benevole Lector. In vestibulo hoc paullum sta.

Apologia hæc Remonstrantium serius, parcius, & incorrectius, quam pro voto ipsorum & tua forte exspectatione in lucem prodit. Pericula & impedimenta in causa fuerunt, quæ sub cruce plurima & gravissima esse solent. Operæ Typographicæ diu defuerunt, quæ tandem non nisi maximis impendiis redemtæ ac nihilominus tardæ editionem ejus protelarunt. Parcitatem rerum ac testimoniorum peperit librorum defectus & adjumentorum necessariorum inopia. Latendum fere fuit, & longe aliquando à libris aliisque subsidiis fugiendum ob edictorum severitatem. Quæ singula Censoribus suppetierunt, ea omnia defuerunt exulibus, & adflictis. Nihilominus satisfactum putant causæ simul ac Censorum curiositati. Nihil dissimularunt, aut consulto prætererunt: Ubique sententiam ingenue dixerunt, & libere. Ingenue, ne suspicioni locum relinquerent. Libere, ut conscientiæ suæ satisfacerent & bonorum desiderio. A necessariis non necessaria dogmata solicite ex animi sui sententia distinxerunt, ut quæ ad pacem & mutuam Christianorum cœtuum tolerantiam pertinere putant Christiano orbi repræsentarent. Nempe hac via, Sectis, Schismatis, ac factionibus quibus passim fervet Christi populus, optime ac tutissime occurri posse persuasissimum habent. Hinc acrius aliquando carpserunt Censuras illas, quæ milium, quod dicitur, terebrant, & leviculas dissensiones circa non necessaria aut non valde utilia, tanto cum supercilio exaggerant, ac si ex musca Elephantum facerent. Hoc tam noxium ulcus, hoc cacoëthes acri aliquo cauterio subinde opus habere crediderunt. Nec uspiam facile adfectus reperies, nisi in simili causa, ubi ad minutula & levia controversiarum tanquam ad vada & scopulos concordiæ & mutuæ tolerantiæ naufragium futurum metuunt. Ista censendi impetigo salem postulavit, quo defricaretur. Per totum Censuræ corpus serpit & recurrit cum ardore & molestia. Animus pacis & mutuæ tolerantiæ studiosus non magis eam sine commotione ferre potest, quam tener oculus festucam. Hinc enim omnes in Ecclesia lachrymæ. Cæterum ne te offendant ταυτολογίαι, quæ passim occurrunt. Censuræ id vitium est, non Apologiæ, quæ presse vestigiis Sectionum singularum institit, ne calumniæ studio quicquam præteritum esse conquereretur. Et tamen eas hic illic nonunquam resectas & in suum locum rejectas reperies, ne fastidium te aut nausea caperet. Nec male te habeat, quod plerumque non Censorum sed Censoris vox occurrat. Consulto id factum est, quia Censura cento est, ad quem singuli laciniam contulerunt. Stylus & frequentes παλιλλογίαι id arguunt; Inde nata est tam ingens Censura, quæ alioquin pumila fuisset & nana: Mendæ Typographicæ non paucæ, si alicui tibi spinæ & remoræ videbuntur, cogita eas ex temporis injuria, & variorum correctorum seu inscitia, seu incuria, seu oscitantia natas esse, & disce afflictorum misereri. Vale & sine gratia sine odio, lege, judica.

APO-

APOLOGIA PRO DECLARATIONE REMONSTRANTIVM, contra Censuras quatuor Theologorum Leydensium.

Introductio ad Lectorem Christianum.

QVÆ omnium sæculorum, eadem hujus nostri calamitas est. Miserrima ferè est conditio eorum, qui veritati contra errores inveteratos, & innocentiæ contra criminationes publicâ autoritate & vi armatas patrocinium suum commodant. Fieri vix potest, quin in diras obtrectationes incidant, ac tandem, quomodocunque se gerant, publici odii victimæ fiant. Nec silendo se probant, nec scribendo se purgant. Silentium eorum aut tacita culpæ confessio, aut perfida causæ desertio esse creditur: Scripta eorum vix nata, aut opprimit violentia, aut infamat calumnia. Quorum interest, ne ea pluribus adlubescant, ii ea aut in ipso partu velut infelices & communi suffragio damnatos fœtus suffocant, aut censuris suis, veluti stigmatis inusta, publicæ infamię prostituunt. Nempe ab istis deinde abhorret populus, veluti à monstris & infamibus ac mali ominis prodigiis. Et rarò deest species iis, quibus publica autoritas & vis patrocinantur. Quicquid volunt, id scriptis istis penè cum cauterio inurunt, ut deleri vix possit sine cicatricis macula. Suspicio advocat ingenium, calumnia adhibet fucũ, & utriq; mantellum circumdat, roburq; addit autoritas publica. Hinc fit, ut qui Confessiones semel scribere incipiunt, de scribendis sine fine Apologiis cogitare opus habeant. Apologia deinde Apologiam trudit, uti fluctus fluctum. Nihil tam rectè scribi potest, tam innoxiè defendi, tam candidè suggeri, quod suspicio malesana non detorquet in pejus, & livor morsu suo, non maculat ac conspurcat. Hinc Apologiarum ac Declarationũ nec modus nec finis.

Experiundo id jam per annos aliquod didicerunt, qui in Belgio Fœderato vocantur, Remonſtrantes: Poſtquam ex Academia, Eccleſiis & patria ſua per vim & nefarias Miniſtrorum quorundam molitiones ejecti fuerant, eò quod Canonibus Synodi Dordracenæ ſubſcribere, aut prodigioſo ſilentio conſcientiam & bonam mentem ejurare detrectaverant, in eam tandem neceſſitatem compulſi fuerunt, ut de Confeſſione fidei ſuæ in lucem edenda cogitarent. Criminationes adverſariorum id effecerant, quibus palam ac tantum non viritim traducebantur, quod mira opinionum portenta in ſinu ſuo alerent, vetereſque omnes ac diu ſepultas hæreſes refoderent, & de novo veluti paxillo ſuſpenderent. Ac licet crebræ Remonſtrantium Apologiæ, ipſaque adeo Synodi Dordracenæ ſententia in eos lata, jampridem calumniam iſtam penitus exautoraverant, erant tamen, qui eam apud inſanem fluxæque fidei plebem fovebant. Et color erat, quod, niſi ita eſſet, Remonſtrantes publica fidei declaratione contrarium teſtaturi eſſent. Id enim deſiderare Reformatum orbem, & Belgium totum una voce poſtulare. Hinc nata Remonſtrantium Confeſſio. Ea res cum ſufflaminatura videretur iras & odia adverſariorum, oleum, quod dicitur, camino addidit. Nempe ſimulatque lucem vidit Confeſſio, expalluit calumnia, & innocentia Remonſtrantium tam clare eluxit, *quam Solis eſſe radii, olim cum ſudum eſt, ſolent.*

Hinc creſcebat favor publicus, &, uti fit, damnatæ triumphatæque Remonſtrantium cauſæ accedebant complures. Febris hoc erat iis qui Remonſtrantes damnaverant & calumniam ſparſerant. Irritati Confeſſione iſta fuerunt, non aliter quam purpura tauri ſolent. Ac ne fidem inveniret apud plures, gliſceretque bona de ea exiſtimatio, ex Confeſſione ſolis pæne radio clariore pomum ἔριδος fecerunt. Quæſiverunt in ea hæreſium pæne omnium labes, non aliter quam qui in Sole maculas quærunt: Et pretium laboris erat, quod hac arte alebatur ſuſpicio in animis eorum, quos jam pridem odia affectusque ſui à Remonſtrantibus alienaverant. Nimirum levi momento opus eſt, ut ea, ubi ſemel nata eſt, figatur, hæreatque. Vt tabes corporibus, ita ſuſpicio animis inſidet. Exinde Confeſſio Remonſtrantium ſcopus eſſe cæpit, in quem dirigebantur tela & ſpicula linguarum pæne omnium. Sed ea principio non niſi eminus & clam jaciebantur. Qui palam & γυμνῇ τῇ κεφαλῇ id auderet, nemo erat. Nemo contra Solem loqui audebat. Sequebantur deinde, qui eam laceſſebant ex alto, apud inconditam plebem, ſed procacibus

potius

potius dicteriis, quam justis rationibus. Alii laciniam ejus aliquam hic illic sustinebant sugillare, vellicare, admordere, arrodere; sed tam ignava lingua, tam futili opera, tam imbelli calamo, ut non nisi fermentum animi sui proderent. Qui justo examine eam sollicitaret, nemo erat. N. Bodecherus signum primus supra alios omnes extollere videri voluit, sed in eo nil nisi vænalis industria, vilis labor, & mercenaria diligentia apparuit. Remonstrantes eum judicarunt indignum serio responso, rati sufficere si ineptas ejus chartas exibilarent, ut dignas

Deferri in vicum vendentem thus & odores,
Et piper & quicquid chartis amicitur ineptis.

Nec movebat eos judicium, quod insulsæ & propudiosæ ejus farragini, tanquam amuletum aliquod appenderant, quatuor Doctores Academici. Nempe horum intererat ut operosæ istæ nugæ in pretio haberentur, eo solum nomine, quod calumniæ jampridem ab ipsis aliisq; de Remonstrantibus sparsæ, momentum aliquod allaturæ videbantur, si non apud æquos & bonos, saltem apud eos, qui affectibus potius quam judicio ducuntur. At evanuit jamdudum tam inepta farrago ad conspectum lucis, non aliter quam ros ad Solis æstum.

Et nunc quarto demum post anno, Doctores ipsi quatuor, levato velo in scenam prodeunt, & quæ ab aliis antehac, aut per arcani licentiam perperam mussitata, aut palam, sine pudore, inconditis vocibus & scriptis contra Confessionem Remonstrantium sparsa fuerant, recolligunt, & mutata tantummodo scriptionis facie ac scena, publica veluti autoritate in integrum restituunt. Hæc res fumus erit in oculis multorum. Nec enim obscurum est, quantum possit apud imperitos rerum æstimatores tam immane præjudicium. Censura vocatur, probroso quidem & inauspicato titulo, sed qui autoritatem præfert censendi judicandique. Et Facultatis Theologicæ nomenclatura reverentiam addit ac prætium. Stupet populus in titulis istis plus quam in rebus, & judicata jam causa creditur, quæ istos præ se ferre meretur. Absit verò à Remonstrantibus, ut eos leviter habeant aut flocci pendant, etsi non ignorent, quid sit Facultas Theologica Leydensis, & qui viri qui eam constituunt: sed silentium obstinare hic non possunt, nec debent. Vbi rea agitur divina veritas, in eodem foro, ut causam dicat innocentia, æquissimum est. Nec ægre ferre debent Doctores Academici, si Censuram suam ad incudem revocari videbunt, & quam graviter in ea pæne ubique hal-

hallucinati fuerint, quantaque injuriâ Remonſtrantes eorumque Declarationem oneraverint, Chriſtiano orbi repræſentabitur. Fiet id à nobis ea animi æquitate, qua par eſt, & ea libertate, quæ humano omni judicio emancipata eſt, neque perſonas judicantium, ſed judiciorum pondera ad veritatis rectæque rationis trutinam amat expendere, ut omnibus quaquaverſum conſtare poſſit, Remonſtrantes Apologias ſcribere non pro ſectæ ſuæ gloria, ſed pro innocentiæ ſuæ veritatiſque divinæ victoria.

Cenſendi modus reprehenditur tribus nominibus.

I.

Quod ſit admodum immodeſtus.

Ac primùm quidē Cenſendi modus animadvertendus venit, deinde Cenſura ipſa. In Cenſendi modo, tria ſtatim occurrunt animadverſione digna. 1. Quod ſit admodum immodeſtus & inclemens. Variat quidem pro cujuſq; Doctoris ingenio, indole atq; induſtria, ſed ubiq; ſe prodit exeritq; fermentum inclementis animi. Inter cæteros tamen unius torvum atque ubiq; adſeveratum ſupercilium eminet. Nihil iſte leniter, nihil clementer, nihil moderate cenſuit: Minoëm crederes aut Rhadamantum, tetro atque irretorto vultu, nil niſi amarulentas damnationes de plano ſcribere: ubique in adverſarios cenſoriam virgulam vibrat, veluti in hoſtes feralem haſtam. *Scepticos, Pyrrhonios, circumcelliones, mendaces, turbones, ſeditioſos, blaſphemos* eos facit, perinde ac ſi ſentina ſint omnium errorum ſimul ac ſcelerum. Proſcriptiones æternas, incarcerationes perpetuas, perſecutiones diriſſimas, pro levibus ſtricturis, quin & pro moderatis benigniſque tractationibus habet crudelis Cenſor. Vtinam hoc ei Deus aliquando non imputet! Neque tamen ab ingenio & indole ejus abhorrent cæteri, etiamſi oratio eorum paulò ſit mollior mitiorque: Similes habent labra lactucas. Cum ad rei apicem ventum eſt, conſpirant, uti in velabro olearii. Mira utique eſt vanitas iſtorum hominum, quos cum titulus profeſſionis ſuæ affectibus manſuetudinis, modeſtiæ & clementiæ ſupra cæteros deberet imbuere, cæteris omnibus longe reddit tetriores atque immitiores. Nempe ſimul atq; titulus eos ſupra vulgus extulit, repente videas eos altiore cothurno & erectiore ſpiritu ſublatos incedere, loqui & ſcribere, non aliter quam ſi cum inani titulo tota facultas Theologica eveſtigio in eos commigraſſet.

II.

Quod ſit faſtidioſus.

Deinde cenſendi modus ubique admodum eſt illiberalis & faſtidioſus. Nihil intactum relinquunt: Vbique dentem aut unguem habent, non aliter quam ſi Confeſſio tota non eſſet niſi pus & ſanies. Omnia adeo ſcrupulatim cenſent, ut non tam cum judicio ſingula cenſuiſſe, quā ex morbo animi omnia cenſere tantum voluiſſe videantur.

Neque hoc tantum; ubique fere omnia simul censent, adeo ut censura veluti anima in corpore ubique & in singulis Confessionis partibus ac sectionibus pene tota sit. Credas eos singulos certatim id operam dedisse, ne vel censura videretur pumila nani instar, vel ne alter altero in censendo videretur fuisse aut oculatior aut acrior: ubi rebus sensibusque unguem non possunt imprimere, ibi verbis phrasibusque dicam scribunt, quas tamen, si Calvinus modo aut alius quisquam de grege eorum protulisset, ambabus manibus amplexarentur: Hæreses ex loquendi formula aucupantur, quasi qui receptas eorum Formulas tanquam prætoria aliqua edicta ad digidi crepitum non amplectuntur, non secus horrere oporteat, ac si elephanto assem porrigant aut Locris legem suadeant. Vbi nihil habent quod censeant, ibi censendi cupiditatem veluti aliquod curiosæ industriæ suæ vestigiū relinquunt. Et suspicio ubique in singulis penè sectionibus velum est, quod malèsanæ curiositati suæ obtendunt, quasi sc. caritatis & industriæ Theologicæ apex sit, nihil boni de adversario suo credere, omniaque etiam optimè dicta ejus pejore semper viâ trahere.

Denique censendi modus passim valde est iniquus: Ex privatis clariss. Viri M. Episcopii thesibus, exercitii gratia intra domesticos parietes & multò ante, quā Confessio edita est, disputatis, publicā & communem omnium Remonstrantium Confessionem censent; dignissime profectò mortales, quorum fides Dordracena ex Piscatoris, Gomari, Maccovii, aliorumq; ejusdem exedræ Doctorum scriptis lege talionis censeatur. Sicubi in thesibus Episcopii minus aliquid occurrit quàm in Confessione legitur, tum ex Confessione omniū theses Episcopii censent. contra, sicubi plus occurrit, tum mutatâ rursum scenâ Confessionem ex Episcopii thesibus censent. Sicubi Episcopius disertè contraria iis, quæ Confessione continentur, in thesibus suis statuit, ea dissimulatione tegunt, & Confessionem nihilominus suspicione veluti atramento maculant, nō aliter quam si histrioniam exercerent cum mundo, & incautioribus tàm inani commento fucum ac præstigias facere, Theologicæ subtilitatis & Academicæ industriæ culmē esse crederent. III. Quod sit iniquus.

Hi censendi modi quam sint alieni ab ingenuâ & candidâ indole Christianorum, qui ex æquo & bono aliorum scripta censent, non est necesse ut multis demonstretur. Nihil tam alienum à regiâ Christi lege, quàm crudelis animus. Nec fieri potest, ut judicium sit sincerum atque incorruptum, quod à tali animo proficiscitur: Cavillatio ei propria est, quæ circa festucam hæret, tanquam si trabs esset, & in scirpo

nodum quærit. Commiſeratio bonæ mentis index eſt, & animorum errantium, licet obſtinatiſſimorum, illicium ſimul ac glutinum. Cavillationem omnem procul habet, & affectibus fibulam imponit, ne in cenſendo exorbitent; acrimoniam vitat æque ac faſtidium. Sufficit animo pio errorem detegere, ita ut errantem non exulceret, aut lectori non pariat nauſeam. Quicquid excuſationem, aut benignam interpretationem pati poteſt, id diſſimulat ac præterit tanquam non animadverſum; in leviculis hærere nec vult nec poteſt: in majoribus hæret, ſed ſine morſu, ſine affectu. Hæc ſi perpendiſſent Doctores Academici, nec tam inclementer, nec tam illiberaliter, nec tam iniq; in cenſendo ſe geſſiſſent. Sed hanc monelã ſupercilium eorũ non capit, & crudeliſſimus animus in tuto eſt, quando magni zeli ſpecie tegitur.

Examen Cenſuræ Præfationis.

CEnſuram ipſam quod attinet, ea verſatur circa præfationem Confeſſionis, & circa articulos Confeſſione comprehenſos.

Cenſura quæ circa præfationem verſatur, multas habet λεπτολογίας & minutias, quas in pulverem pæne ſecuit Cenſor. Nos eas non conſectabimur, ſed ſilentio & contemtu vindicabimus, indignæ enim ſunt Cenſore ſerio. Injurias etiam, convitia, ſcommata & calumnias, quibus hic illic reſperſa eſt, negligemus. Magni animi eſt an iſtas habere nolle, nec aurem, nec linguam. Tantum ea tangemus, quæ ſpeciem juſtæ Cenſuræ habere videntur, & lectorem maxime remorari, atque in Confeſſionem iniquiorem reddere poſſe credimus. In limine ipſo, magnitudo & prolixitas præfationis offendit Cenſorem; Nempe verbo ſimul ac ſemel dicta vellet omnia, idque ad præſcriptum artis. Vſque adeo ad Scholarum regulas ac formulas adſuefactas habent aures oculoſque Doctores umbratici, ut nihil ſapiat niſi quod ad amuſſim earum accurate exactum eſt. Cum proportione ſcribendum eſt & oratio elaboranda, veluti trabs ad libellam, ne quid extet aut protuberet: Alioquin delicatæ aures & tenelli oculi iſtorum Magiſtrorum dolent, tanquam ſi monſtrum informe viderent, aut tonitru audirent, fragoremque è cælo. Iſta vanitas trivialis eſt, quam libenter relinquimus Scholæ mancipiis, & iis qui docte & ex arte malunt ſcribere, quam in gratiam & ad captum eorum, qui legunt aut audiunt. Sufficit quod præfatio ſit ſine affectibus. Hi non decent Chriſtianos, & qui veritatem libenter aliis perſua-

Sarcaſmus Cenſoris de Præfationis magnitudine refellitur.

persuasam volunt. Prolixitas affectari aliquando sine vitio potest. Nunquam satis dicitur, quod necessario dici debet, aut quod ex re & usu est, ut recte ac solide intelligatur.

Quæ post hæc sequuntur querimoniæ, eæ tam sunt futiles frigidæque, ut cavillatorem & κυμινοπρίστην potius deceant, quam Censorem. Andabatarum more pugnat censor. Nunc in hoc, nunc in illud præfationis comma, quod εὐδιάβλητον putat, incurrit, & si quid oblique in se suosque quadrare credit, id arripit & in illud fertur ταῦρος ὡς εἰς κέρας θυμούμενος, sed conatu inepto plane atque irrito. Abusus quos circa formulas Confessionum accidere posse crediderunt Remonstrantes, veluti exerto digito indicarunt sine cujusquam Ecclesiæ insectatione: Omnia in genere ab iis dicta sunt, quæ sic accepta nemo nisi væcors sustinuerit admordere : At ista tanquam in se suosq; ex obliquo dicta operoso conamine à se amoliri studet Censor. Certe quanto istud facit curiosius, tanto magis suspicionem movet, ulcus istud in intestinis Ecclesiæ suæ latere, quod tactum & detectum non vult. Omnis non necessaria nimiumque sollicita defensio merito suspecta est. *Atqui*, inquit, *si causam suam contra nos non agunt, quid quiritantur de autoritate eorum, quæ ab Augustino adversus Pelagiũ disputata & condemnata sunt, nisi quia existimant, se prægravatos fuisse sententiæ Augustini præjudicio, &c.* Quasi vero palã non sit Remonst. nullam humanam, nedum unius Augustini autoritatem tanti facere, ut ejus præjudicio prægravari metuant: aut si quis, Pontificium fermentum adhuc redolens, isto argumento pugnare velit, eos eodem illo non tantum libenter pugnasse, sed & feliciter de adversariis suis triumphasse. Sola historia Pelagii ejus rei fidem facit. Sed istic non urebat eos calceus. Tantum id voluerunt, ut constaret quantopere paulatim invalescat in negotio fidei & formularum fidei, humana autoritas: Exemplum Augustini instar plurium esse poterat, & controversiæ nuperæ effecerant, ut exemplum istud lippis ac tonsoribus notum esset. Augustini enim & Pelagii nomina jam fabri ac sutores tenent : Et adeo unius Augustini autoritas apud summos imosque hodie invaluit, ut Pelagii sententia non amplius expendatur an vera sit, sed eò ipso falsa credatur quia Pelagii est, & ab Augustino damnata, imo vero, quod multo pejus est, ut sententia omnis, remotissima licet sit ab erroribus Pelagii, eo ipso ut Pelagiana damnanda censeatur quod, Augustinum patronũ non habeat. Nemo id nescit, & qui id cum dolore non animadvertit, næ is parum intelligit, quam profunde adhuc hæreat in veteri luto.

Abusus formularum generaliter à Remõstrantibus indicatos, suæ Ecclesiæ impactos credit Censor.

Quantopere autoritas formularum paulatim invalescat exemplo Augustini ostenditur, quo solo fere pugnat Censor hic aliique in controversia de gratia & libero Arbitrio.

Censo-

Censorem hunc tantùm vide. In omnibus quæ contra Remonstrantes edidit scriptis, nihil penè aliud crepat ex Patrum scriptis, quam unius Augustini formulas & ὁμοιοτέλευτα. Et mirificè sibi placet, quando autoritate ejus aut sententiola aliqua à reliquo ejus scriptorum corpore avulsa, tanquam amentato aliquo telo pugnare se posse credit. Cæteri Patres, imprimis quos prior & purior Antiquitas vidit, sordent præ Augustino. Quibus gemina germana videre est in scriptis penè omnium qui de controversiâ Prædestinationis disputant, non Pontificiorum tantùm, quibus id condonari posset, sed Reformatorum etiam, qui vocantur, pœnitendo sanè errore ac stupore. Quod interim, quæ de abusu, in extollendâ nimium autoritate humanarum formularum, in Præfatione sunt dicta, verissima etiam sint, & experientiâ ipsa comprobata, id non ignoravit Censor, cum disertè ipse fateatur, Bergenses Concordistas, quos ita vocat, eo usque circa ipsa Reformationis incunabula prolapsos fuisse, *ut verba Confessionis Augustanæ & Lutheri scripta pro normâ fidei obtruserint*: Et hos tamen non Reformationis tantùm titulo se venditasse, sed etiam à Pontificiorum sententiâ hac in parte non minùs quam Censorem hunc videri voluisse alienos, nemo historiæ gnarus negaverit. Idem aliis pluribus accidisse, & quotidie adhuc accidere non obscurè fatetur, *quorum eâ in re judicium suos non probare, nec praxin imitari velle* protestatur. Quare, cum idem tanquam in suos dictum magno molimine à se amovere studet, non immeritò sanè causam suspicandi dat, suos eodem intercute morbo laborare: Neque dubium est quin verum sit, quicquid istud Censor neget ac perneget. Axiomata eorum, de quibus paulo post acturi sumus, id adeò clarè probant, ut candela in meridie opus non sit. Eadem conclusio ex iisdem præmissis sequitur. Nec terminorum fucus, nec axiomatibus contraria protestatio sufficiunt evertendæ aut tegendæ manifestæ consequentiæ: ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis? Sed nos jam ea videamus.

Confirmatur exemplo Bergensium Concordistarum, & Censoris de iis propriâ Confessione. Parag. 4.

Examinantur præcipua Cēsuræ in Præfatione capita.

Primum caput est de fine, propter quem declarationes & Confessionum Formulas cudi velint Remonstrantes.

Primum ac præcipuum caput, circa quod Censura Præfationis versatur, est Quod Remonstrantes *Confessionum formulas edendas arbitrentur, non propriè eum in finem, ut iis declaretur quid de controversiis singulis constanter firmiterque orthodoxis omnibus ubique credendum sit, sed quid ipsi de iis sentiant ac credant, quo tempore istas Confessiones pro suis agnoscunt*: Deinde, quod formulas istas Confessionum *idcirco edi nolunt, ut statuantur veluti limites ac termini, intra quos solos Religio & salvifica Dei cognitio consistere credatur.* Hîc ardet, hîc æstuat,

hîc

hic tumultuatur Cenſor, tanquam ſi iſtâ oratione Majeſtas Synodorum & conciliorum omnium læſa ac violata eſſet, Symbolorum veterum autoritas depreciata, & Pyrrhonia ἐποχὴ in Eccleſiam introducta. Mira hæc profectò eſt inſolentia ac temeritas in Doctore Reformato, qui non ita nuper omnium Conciliorum, omnium Patrum, totiuſque adeò antiquitatis authoritatem ejuravit, ut Scripturæ unius formulæ ſe obſtringeret. Vix potuit propiùs redire ad damnatam & ejuratam non ita pridem ſententiam, aut pejus conſulere orbi Reformato. Res meretur, ut id clarum faciamus. Certum eſt ex Pręfatione, Remonſtrantes non loqui niſi de formulis Confeſſionum, quę diverſas de Religione ſententias, circa dogmata non præcisè creditu neceſſaria, exprimunt, idque aliis quàm meris Scripturæ verbis. Ratio manifeſta id evincit. Neceſſaria enim non tantùm credi à nobis, ſed credenda eſſe omnibus, omni tempore, ex æquo, juxta Dei præſcriptum, nemo Chriſtianos dubitat. Quare cum Remonſtrantes Formulas Confeſſionum edi volunt, non ut iis declaretur quid omnibus conſtanter & ex æquo credendum ac ſentiendum præciſe ſit; fieri non poteſt ut id intelligant de formulis, quatenus dogmata creditu neceſſaria continent: Dicerent enim credenda non eſſe ea, quæ neceſſariò credenda ſunt. Similiter, ſi formulas iſtas, quatenus neceſſaria dogmata exprimunt, negarent ponendas eſſe veluti terminos ac limites, intra quos Religio & ſalvifica Dei cognitio credatur conſiſtere, dicerent Religionem & ſalvificam Dei cognitionẽ extra neceſſaria dogmata conſiſtere: quo utroque nihil abſurdius cogitari poteſt. Deinde, cum de formulis Confeſſionũ diverſis agunt, non agunt niſi de formulis, quatenus aliis quàm meris Scripturæ verbis conceptæ ſunt. Mera enim Scripturę verba non poſſunt eſſe diſſociationis teſſerę, nedum cauſſę. Quid ergo? Concludendum certè eſt, eos de formulis iſtis loqui, quæ verſantur circa dogmata non præcisè creditu neceſſaria, quæque inter Chriſtianos controverſæ, ac proinde aliis, quàm Scripturæ puris putis verbis, conceptæ ſunt. De hujuſmodi ergò formulis quæritur, quomodo optimè, tutiſſime atque utiliſſimè concipi poſſint ac debeant? An ſic, ut in iis præcisè definiatur, quid de ſingulis cõtroverſis dogmatis conſtanter, firmiterq; Orthodoxis omnibus credendum ſit: An verò ſic, ut in iis declaretur, ſimplicibus atque innoxiis verbis, quid ii, qui eas pro ſuis agnoſcunt, de ſingulis controverſis dogmatis ſentiant ac credant. Remonſtrantes hunc poſteriorem modum probant, utq; ei in principio locus datus eſſet aut etiamnum adhuc detur,

Oſtẽditur, Remonſtrantes per formulas Confeſſionum in Præfatione ſuâ non intellexiſſe niſi formulas quæ diverſas de Religione ſententias circa dogmata nõ præcisè creditu neceſſaria, exprimunt.

De optimâ, tutiſſimâ, utiliſſimaq; Formularum editione.

ex animo cupiunt, optantque. Rationes eorum ſunt luculentæ. Sic periculoſiſſimæ præſumtioni, in rerum controverſarum deciſionibus, anſa præciditur: Sic pertinaciæ fomes ſubtrahitur: Sic vitatur partium & ſectarum exacerbatio: Sic ad unionem & redintegrationem partium aditus non admodum difficilis relinquitur. Quam ingentia hæc ſint bona, quis non videt? Si contra fiat, contraria omnia facile evenient. Vide autem quam ſit ineptum, Controverſias decidere velle ex priore formula, ſine irrefragabilis autoritatis titulo, idque contra plures doctos, pioſque aliter ſentientes: Quam ſit periculoſum ſic decidere, cum fieri poſſit ut pertinacia pro cauſa induatur, & conſtantiæ titulo tegatur: Quam noxia ſit ejuſmodi deciſio, cum ſine graviſſima partium offenſione fieri non poſſit. Exacerbationes animorum inde oriuntur. Eæ gignunt dira odia, quæ gangrænæ inſtar latius ſemper ſerpunt, ac tandem pacem atque unionem reddunt deſperatiſſimam. Hiſce tam enormibus atque ingentibus malis janua occluditur, hac Remonſtrantium agendi ratione. Et hæc tamen res bilem concivit in naſum horum Theologorum, tanto cum ardore, ut pæne exibilent tam ſalutare conſilium. Deciſiones de ſingulis controverſiis fieri volunt. Eſto. Fiant. Qui ſe credere profitetur hoc aut illud, is decidit, is dicit ſententiam ſuam. At fiant placide, fiant modeſte, fiant ſine imperio, ſine præſcribendi autoritate, ſine damnationibus, ſine anathematis. Si idem, quod nos de ſingulis controverſiis credimus, alios omnes credere volumus, ſi idem quod de iis credimus, aliis omnibus conſtanter firmiterque credendum eſſe adſeveramus, credimur cedere ac doceri nolle, credimur contradictiones ferre nolle, & in conſcientias ac linguas aliorum Tyrannidem exercere velle. Nec immerito. Si enim alii idem nos jubeant, nos eos iſta conſequentia gravamus, tanquam ſi id in nos affectarent. Atqui utrobique par eſt ratio: Et hæc eſt remora illa, qua veritatis curſum ſiſtimus, & reconciliationis ac pacis oſtio peſſulum obdimus, atque ita efficimus, ut paulatim Tyrannis humanæ autoritatis ſe inſinuet in Eccleſiam, tam ſubtili lapſu, ut eam non introire, ſed introiviſſe tandem deprehendamus. Iſta ars eſt Satanæ. Tyrannidem omnibus nobis exoſam eſſe ſcit, uſque adeo ut ne nomen quidem ſine horrore audiamus. Quilibet ab ea videri vult alieniſſimus. Id novit vafer artifex. Hinc fallit & imprudentibus inſinuat, quod prudentibus obtrudere non audet. Per rimas rimulaſque illabitur, & cum recta non poſſit, flexu & per gradus enititur. Primum ſuadet Confeſſiones de rebus non præciſe

Satanæ ars ad ſtabiliendum Tyrannidem in Eccleſia per formularum exaltationem.

ſcitu ac creditu neceſſariis fieri, puritatis retinendæ cauſſa. Bene quidem: Deinde Conſenſionem urget, ut vinculum pacis atque unionis: Recte. Porro ut Conſenſio duret ac firma ſit, operam dandam eſſe ait. Et hoc ſpeciem habet. Pergit: Itaque formulis opus eſſe clamat, ut non conſenſio tantum, ſed conſenſionis conſtantia promittatur. Hic primis gradus eſt ad humanã Tyrannidem & Formulas Confeſſionum Tyrannicas. Per hunc gradum non eſt difficile Satanæ aſcendere ad ſupremum Tyrannidis culmen, imprimis ubi formula iſta ætatem aliquam nacta eſt, & inter perſecutiones aliquamdiu ſtetit infracta, contra adverſarios acriter propugnata, & martyrum, qui vocantur, ſanguine veluti autoramento aliquo ſancita ac ſtabilita eſt. Singula iſta totidem ſunt fulcra atque adjumenta, quibus ſibi gradum facit ad ſtatuminandum humanæ autoritatis faſtigium. Vin' hujus rei exemplum, præter Bergenſium Concordiſtarum, recens ac nuperum, quod ab ipſis genuinis Calvini diſcipulis nobis datum eſt? Vide quid paucis abhinc annis, Anno ſc. 1620, menſe Octobri, non multo poſt deciſam controverſiam in Synodo Dordracena, Calviniſticæ Eccleſiæ in Gallia, in Synodis ſuis Aleziana & Charentonenſi decreverint. Non tantum receperunt formulam Dordracenam, eamque approbarunt, ſed ſolemni inſuper juramento, ei ſe obſtrinxerunt, alioſque omnes impoſterum obſtrictos voluerunt, ſe videlicet in ea non tantum conſtanter firmiterque, ſed, ut conſtantiæ apex exprimeretur, *ad extremum uſque vitæ halitum perſtituros.* Poteratne altius evehere aut ſublimius attollere humanam formulam Satanas? Et hoc fecerunt nullo prægreſſo examine, inauditis partibus. Poteratne gravius excæcare atque indurare, tam immemores tam inconcinnos Reformatores Deus juſtiſſimus ultor? Tu interim ex hoc uno diſce omnes. Nec enim hactenus quiſquam Calviniſtarum fuit, qui hoc tam enorme factum diſplicere ſibi profeſſus eſt.

Illuſtratur exemplo Gallicarum Calviniſticarũ Eccleſiarum, Alezianæ & Charentonenſis.

Quod verò hinc colligit Cenſor, Majeſtatem Synodorum Conciliorumque omnium hac ratione violari, id nullius prorſus momenti eſt, & vetus Papæ fermentum ſapit. Nos uti Synodorum Conciliorumque decreta cum reverentia & ſolicito examine libenter expendimus, ne privato & proprio noſtro ſenſui nimium blandiri videamur: ita eorum Majeſtatem nullam agnoſcimus. Atqui Majeſtatem Conciliis tribui perſuaſiſſimum habemus, quando iis tribuitur jus ſtatuendi formulas, quibus conſtanter firmiterque ad extremum uſque vitæ halitum hærendum eſt: Non poteſt ulterius evehi humana

Refellitur objectio de Synodorum & Conciliorum majeſtate, quã hac ratione violari putat Cenſor.

autoritas, aut propius ad divinam attolli. Vti in necessariis & quæ aperti juris sunt, nimis parum est si dicatur, Nos hoc credimus verum esse: Asseverantius loquendum est, Hoc credendum est: Anathema qui id non credit: Ita in iis, quæ controversi juris sunt, nimium dicitur, si dicatur, Hoc credendum constanter firmiterque est. Contractius & retinentius loquendũ est, Nos expensis omnibus sic credimus, sic statuimus sine cujusquam præjudicio. Symbolorum omnium, quæ non expresse constat Apostolica esse, eadem est ratio. Aut omnibus humanis Symbolis jus istud negandum est, aut nullis. Hoc ipso enim cætera omnia carent jure isto, quia prorsus humana sunt. Quare nil dubitamus profiteri, Athanasium limitem juris hujus prætergressum esse, quando Symbolo suo (si quidem Symbolum ejus esse credi possit) superbam istam præfationem præscripsit: ὅστις βούλεται σωθῆναι, Qui vult salvus esse, ante omnia credat oportet, &c. Etsi enim rem quæ Symbolo isto continetur, quatenus Scripturæ phrasim non egreditur, ex animo probemus, eique fidem nostram libenter obstringamus, tamen hoc ipso, quod rem Scripturæ controversis phrasibus expressam, cum æternæ salutis periculo recipi vult, non aliter quam si divinis prorsus phrasibus expressa esset, humanę potestatis fines eum egressum esse credimus. Et crudeles sane atque immisericordes merito habendi essemus, si eos omnes æternum damnatos statueremus, qui Symbolum istud aut nesciunt, aut in istud, quatenus conceptum est, firma fide non consentiunt. Qui id audent, ii viderint. Nos istum damnatorium calculum si poneremus, divinam autoritatem humanæ formulæ transscribere nos crederemus. Absit id à nobis, & in eorum consilium, qui id audent, anima nostra non veniat.

Refellitur objectio de Symbolorum veterum violatione.

Quod porro regerit Censor, hac ratione Religionem totam tandem desituram in scepticam ἐποχὴν, Pyrrhoniam hæsitationem, & Theologiam problematicam, id caret omni prorsus colore. Quasi verò periculum ejus rei ullum esse possit, quamdiu certa atque indubia manet articulorum necessariorum adsertio, saltem ista, quæ ῥητῶς in Scripturis facta est, nedum si accedat, quæ ex ista, per consequentiam omni exceptione majorem, fluit aut deducitur. Inconsiderati Doctores, qui Scripturarum perfectionem & perspicuitatem in rebus omnibus creditu necessariis contra adversarios suos firmis lateribus ubique adserunt, & Pyrrhoniæ tamen hæsitationi locum esse posse credunt apud eos, qui Scripturarum perfectionem & perspicuitatem eandem cum ipsis tuentur, iisque, quæ perfecte & perspicue

Refellitur objectio de sceptica ἐποχῇ.

ſpicue in Scripturis definita ſunt, conſcientiam & fidem ſuam obſtringunt. Pœnitere eos debebat, tam incompoſitæ orationis: Aſſertio & ἐποχὴ non conſtant ſimul; Contradictoria ſunt. Quare nec hæſitare nec ἐπέχειν in Religione tota dici poteſt, qui ea, quæ Scriptura totidem verbis neceſſaria eſſe dicit, aut quæ neceſſaria eſſe per evidentem, & Sole clariorem, omnibuſque obviam conſequentiam conſtat, pari Religione adſerit; ne quidem, ſi nihil præter ea quæ Scriptura ῥητῶς neceſſaria eſſe docet, adſerere audet. Qui circa cætera alia omnia ita ſe gerit, aut de iis non niſi cum modeſta præfatione contra alios diſſentientes ſententiam ſuam pandit, is non hæſitat, Non fluctuat, nec cum Pyrrhonio dubitat, in quam partem inclinare velit ſuum judicium, jam enim iſtud inclinavit: ſed ita judicat, ut judicium ſuum divino impar faciat. Inter dubitationem & divinam aſſertionem, humana certitudo media eſt, quæ etſi formidinem contrarii excludat, infallibilitatem divinam tamen non includit. Rationibus nititur, ſed quæ à divinis oraculis differunt. Hoc humanitatis noſtræ ἥττημα eſſe voluit ſummus Deus: Nihil conſtanter firmiterque credendum eſt in rebus ejuſmodi, de quibus controverſia incidit inter doctos & pios, niſi cum hac lege, ut ſi quis forte meliora oſtendat, cedere ſemper paratus ſis. Neque dubitat interim, qui ſic credit, neq; hæret hæſitatve, ſed ſtatuit atque adſerit, quantum humanæ imbecillitati ſtatuere conceſſum eſt: Et hoc Deo ſatis eſt. Qui ultra terminum iſtum progreditur, aut citra eum ſtat, fieri non poteſt quin hominem exuat, & Brutum ſe vel Deum faciat, atque ita paulatim reddatur aut alienæ conſcientiæ Dominus, aut Religionis omnis contemtor, aut pertinacia ipſa pertinacior.

Quare ad rem non facit, quod Cenſor per Satyram nobis hac occaſione objicit Theologiam *annuam*, *menſtruam*, *diurnam*, *horariam*. Theologia enim in ſuperbis iſtis controverſiarum dicisionibus poſita non eſt. Neque Theologia idcirco vera Theologia eſt, quia conſtanter retinetur aut diu durat. Id habet commune cum pertinacia ipſa. Millenaria Theologia poteſt eſſe omnium peſſima. Tum, Religio vera, uti humilitatis ita docilitatis eſt mater, & inter infinitas adeoque horarias circa controverſias variationes manere poteſt ſalva atque illæſa. Contra, Theologiæ ipſius anima ſuffocatur atque eliditur ubi deciſiones fiunt quibus conſtanter firmiterq; hærendum eſt. Sive enim deciſio vera ſit, ſive erronea, id perinde eſt. Qui veram deciſionem ſequitur, is non judicio adductus in ea permanet, ſed

Refellitur ſarcaſmus Cenſorũ de Theologia annua menſtrua, diurna, horaria.

quia constanter in ea permanendum esse sibi persuadere vult. Nec aliter facit, qui erroneam decisionem sequitur. Neutrum ratio, aut bene deliberatus animus, utrumque casus habet & affectus tenet. Itaque non isti magis profutura est recta sententia sua, quam huic obfuturus suus error. Deinde, pone aliquem sequi erroneam decisionem, &, isto axiomate subnixum, in errore suo sibi plaudere, atque in eo perstare velle; quæ spes, ut ad meliorem mentem aut frugem redeat? Non sinet eum respicere nedum regredi hoc axioma, ne Theologia ejus videatur *annua, menstrua*, aut *horaria*. En ut hoc axiomate sibi quisque in errore suo possit lenocinari. Nihil magis pietati aut caritati obest quam indocilis & obstinatus animus; ἴδιον τοῦ σοφοῦ μεταvοεῖν. Neminem unquam pœnituit didicisse, aut docilem animum secum ubique circumtulisse. Nunquam male aut sero dediscitur error etiamsi dediscatur millies. Δεῖ, inquit Aristoteles, ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν. Tum verò

Nimium idem omnes fallimur; neque est quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis; suus cuique attributus est error:
Sed non videmus Manticæ quod in tergo est.

Quod cum ita sit, non est quod Remonstrantes tam inepta objectio moveat. Consilium dederunt quod Orbi Christiano profuturum crediderunt, atq; etiamnum credunt, contra humanæ autoritatis Tyrannidem: ut non nisi præcise necessaria quæ vel ῥητῶς in Scripturis decisa sunt, vel per consequentiam Sole clariorem talia esse constat, credantur, adserantur, serio, constanter, firmiter, cum anathemate Maranatha. In cæteris, colatur in contendendo moderatio, in decidendo modestia, sine cujusquam præjudicio, & sine pertinaciæ professione. Præcipites, immodestæ, & pertinaces decisiones in controversiis non necessariis, turbarunt ab omni ævo Christianum orbem. Absq; illis fuisset, in tot sectas sectarumq; particulas non fuisset distractus ac divulsus. Et ad summã mali non accessisset, quod paulatim nonnecessaria dogmata cũ necessariis, eodem plane loco ac gradu censita fuissent, & excõmunicationis fulmine non minus dignus judicatus is, qui non necessaria semel in Ecclesia decisa convellere, aut in dubiũ vocare sustinet, quam qui necessariorum veritatem funditus evertit. Nempe, eò tandem deventum est, quod sane omnium fœdissimum est, ut citius excommunicationis fulmine feriatur is, qui dogma aliquod receptum labefactat, licet alioquin vita ejus sit sine labe, sine macula; quam

quam qui vitam vivit Christiano nomine indignam, imo quam profanus, bibo, ganeo, conviciator, avarus, persecutor, scurra. Et hinc articulorum credendorum numerus usque adeo auctus fuit, ut pæne excreverit in immensum. Ab ista scintilla tam vastum incendium. Tanti est initiis obstare, & levibus etiam malorum occasionibus prorumpentibus obicem ponere.

Neque satis se suosque purgat Censor, cum ait: *Nos non stamus istis decisionibus, ad Scripturā semper provocamus & provocari permittimus*, &c. Nam sic quidem ostendit, se sibi suisque contradictoria tribuere, at nō se suosque à crimine isto immunes esse. Contradictionibus non tollitur Tyrannis, sed augetur: Glaucoma sunt in oculis eorum qui eam usurpant; ut eam à se usurpari vel videre non possint, vel videre nolint. Non tantum hoc dicendum est, sed illud etiam dicendum non est. Quid enim est, obsecro, non stare decisionibus formularum, ubi formulæ eum in finem cudi jubentur, ut iis constanter, firmiterque ad extremum usque vitæ halitum stetur? Et quæ provocatio ad Scripturam relinquitur, ubi formulis, Scripturæ sensus definitus atque expressus creditur, qui constanter firmiterque Orthodoxis omnibus credendus est? Citius ignem aquæ quam propositiones istas conjungas. Deinde ubi contradictoria duo simul dicuntur, ibi istud tantum duorum contradictoriorum credi censendum est, ad quod praxis dirigitur, & contra, tanquam falsum rejici censendum est id, ad quod praxis non dirigitur, aut quod in praxin non deducitur, nisi cum ita usuvenit, aut ut eo tanquā specioso stragulo tegatur alterius dicti absurditas. Tum multa practice, ut falsa, rejici credendum est, quæ speculative vera esse creduntur. Et hic fere est lapis iste, ad quem Censores hi aliique non raro impingunt. Non pauca dicunt, quæ, si seorsim & per se pure pute speculative considerentur, vera sunt & recta: at, si eadem practice considerentur & componantur, cum iis, quæ ex alia parte ab illis dicuntur & fiunt, ut falsa & prava ab iis credi censendū est. Nec dubitandum est, quin hæc nua speculatio apud plures ἐπικάλυμμα illud sit, quo fit ut errores suos, alioquin manifestissimos non videant, inque iis dedita opera maneant. Nempe, satis esse credunt ad hoc, ut in errore isto, quem impingi sibi audiunt, non versentur, aut ut à facto isto, quod sibi tribui legunt, sint immunes, si errorem aut factū istud, quod ex alio capite, quod mordicus tenent ac propugnant, & ad quod praxin totā suam dirigunt, necessario consequitur, seorsim damnent & rejiciant: Neq; hoc tantū, sed actiones etiam istas, quas

Diluitur exceptio Censoris, qua pro vocationem concedi dicit à Formulis Confessionū ad Scripturam.

quas directè repugnare caritati Dei ac proximi, palpari pene potest, ac proinde quas aliunde, quam ex perversa opinione, proficisci nõ posse concludendum est, ut optimas probant laudantque, quia mentem suam opinione istâ, unde eæ proficisci debere creduntur, liberam se habere intelligunt: Ac licet nõ rarò in aliis, quos errare credunt, istud observent, nihilominus tamẽ istud idem sibi accidere non possunt neque volunt in animum suum inducere. Adeò ingeniosa est industria humana in sui adulationem. Possent hæc multis documentis præter experientiam, quæ omni documento & exceptione major est, confirmari, sed ne scamma hoc nostrum egrediamur, rem hanc ipsam, quâ de agimus, testem dabimus. Dicunt Censores se Scripturam Sacram solam agnoscere controversiarum omnium judicem, ad eam se provocare, & ut ab aliis ad eam provocetur, permittere. Ita est: At cum de sensu Scripturæ quæritur, vide, quæ ex alterâ parte dicunt. Sensum Scripturæ rectum non tenere credunt nisi eos, qui per specialis gratiæ beneficium à Deo sensus istius intelligentiâ & fide donati sunt. *Deinde*, eos, qui semel istâ intelligentiâ & fide sunt donati, non tantùm novo insuper beneficio Spiritus Sancti obsignari credunt, quod ista intelligentia & fides, quâ donati sunt, sit vera & recta illa intelligentia ac fides, quæ profitenda est, sed etiam confirmari ac conservari in eâ asserunt, ita ut ab ea excidere, aut ea ipsis excidere nunquam possit. *Tertio*, eos omnes, qui in formulas Confessionum suarum consentiunt, persuasos esse volunt, & singulos apud se persuasissimos esse dicunt, quod sensus illi, qui formulis istis continentur, sint sensus ipsissimi illi, quos Spiritus S. mentibus ipsorum dictavit, & cordibus eorum impressit atque obsignavit Itaque *quartò*, formulas istas factas volunt, non ut iis declaretur tantum, quid ipsi credant aut sentiant, sed quid credendum ac sentiendum non sibi tantum, sed Orthodoxis omnibus sit. Neque hoc tantum, sed quid *constanter firmiterque* credendum sit. Hic jam declarent, si placet, Censores, quomodo, cum de Scripturæ sensu definiendo alicui controversia cum ipsis incidit, ad Scripturam tanquam ad judicem provocationem fieri, concedere possint? quo animo provocationem istam faciant? Nam controversum Scripturæ sensum jam in cordibus suis ab ipso Dei Spiritu decisum atque obsignatum, & formulis Confessionum expressum ita credunt, ut ab eo tanquam à re judicatâ ac decisa recedere nec debeant, nec possint. Atqui provocare à sensu deciso ad indecisum, à non controverso ad controversum, annon est in re se-

ria

ria ludere? & verbo tantum provocare, cum reipsa nec possis, nec velis provocare? Qui id non videt, næ ei sana mens non est: Ex hoc jam fundamento praxin eorum vide atque æstima. Si incidat controversia aliqua circa dogma receptū, statim recta ad formulam itur. Pro qua parte ista militat, ea pars supra rationem, supra Scripturam omnem triumphat, imo ratio, Scriptura, Antiquitas ne quidem in censum veniunt. Parti ita damnatæ silentium imponitur. *At provocatio ad Synodum Generalem permittitur*, inquies, *ut ibi rationes & Scripturæ testimonia expendantur: Formulam enim mutari æquum non est, nisi de communi consensu.* Fateor, & hoc speciem recti habet: Interim Formulæ istius autoritas hactenus viget, non sine magno partis damnatæ præjudicio. Esto, inquies, *hæc sacra aliter non constant.* At si porro videas quomodo Synodus ista convocetur, quid in ea agatur, comperies istā provocationem non concedi nisi dicis caussa, & convocationem fieri non ut in Synodo accurate & serio ventiletur mota controversia; sed ut autor ejus opprimatur, & formula Confessionis à contradictione constanter, firmiterque vindicetur. Actiones id probant. Id unum opera datur ut ad Synodum istam non ablegentur, nisi quos certum est ne latum quidem unguem à formula recepta discessuros, ὀδοῦσι καὶ ὄνυξι pro puritate receptæ semel fidei ad extremum usque vitę halitum contra novatores, ut vocant, pugnaturos esse; Imo fit ut non ablegentur nisi cum mandatis, quibus id expresse iis injungitur, uti in nupera Dordracena Synodo ex Genevensium, Zelandorum, Anglorū, aliorumq; Deputatorum litteris systaticis evenisse, manifestum est. Deinde si fiat ut suspecti aliqui arceri non possint, id agitur, ut suffragantium numero certetur non suffragiorum pondere, atque ita semper extra omnem erroris aleam maneat formula. Si nihilominus urgeatur controversia, tum audiuntur passim voces, *Antiqua hæresis* est, jam olim damnata, & sæpius; quorsum crambe ista recoquetur? Item, *Novitas* est, quā Reformatio non fert. In hac uti facta semel est, persistendum est constanter firmiterq;: Alioqui suspecta reddetur, & fenestra aperietur infinitis aliis novitatibus, quin & de sanguine martyrum, quo sancita est, controversia movebitur, &c. Atque hisce vocibus tantum efficitur, ut, qui controversiam movit, non tam damnetur quia falsi convictus est, quam quia Novator est, & reformatæ pacis turbator. Post hæc demū à triumphatoribus istis relegitur Confessionis formula, ne videantur eam habere pro regula infallibilis veritatis. At quomodo? vix ita canis fugit cum ex Nilo in Ægypto bibit quam ab istis Confes. percurritur.

Ostenditur vanitas præcedentis exceptionis expraxi Censorum in Synodis.

 Vnam

Vnam atque alteram diem lectioni ejus Synodus Dordracena impendebat, quæ tot menses, rebus multo levioribus, impenderat. Quid mirum? Fidem istam, quæ Confessione ista comprehensa est, fidem eandem esse credunt, qua electi à Deo donantur, quæ nunquam excidit, *contra quam portæ inferorum non prævalent*, & quæ non nisi *semel datur sanctis*: De hac cur diu & prolixe quærant, disputent, aut litigent? Principia sua eversum irent studio deditaque opera. Quicquid interim in Synodo fieri concedunt, id pro forma tantum fit, ne exutum semel damnatumque Pontificiæ Tyrannidis calceum rursus induere velle, & non Scripturam ipsam, sed quem Scripturæ sensum inesse formulæ ipsorum statuunt, judicem controversiarum omnium facere videantur. Quæ contra hæc regerit Censor de formulis Confessionum *non formaliter ita consideratis, sed materialiter*, &c: ea non sunt nisi inania verborum περιπσματα, & Scholarum, σοφὰ φάρμακα. Hoc uno axiomate, *Formulis constante firmiterque credendum atque hærendum est*, & quæ axiomati isti innititur, praxi, distinctionum ejusmodi inania eliduntur. Itaque cum ait; *Verum non est nos alia lege velle aliquem adstringi formulis, nisi quatenus & quamdiu ipse certo deprehendit, & in conscientia sua convincitur, eas cum sensibus Scripturæ convenire*, fumus tantum & fucus est. Quid enim est, non adstringi aliquem simpliciter, cui constanter firmiterq; id quod formulis continetur sentiendum ac credendū esse adseritur? Imo quid aliud est juramento solemni obligare te ipsum, quod perstiturus sis in sententia formulis expressa ad extremum usque vitæ halitum, quam adamantinis vinculis conscientiam & linguam tuam obstringere? quæ libertas sententiam suam examinandi ad Scripturæ lydium lapidem relinquitur iis, qui istam, prout formulis Confessionum expressa est, à Spiritu S. dictatam & mentibus suis infusam, quin & objectum istius fidei esse, quæ nunquam potest excidere, non credunt tantum, sed credere tenentur, adeòque non possunt non credere? Hæc conciliare velle, est velle ἀσύγκλωστα συνάπτειν. Hæc aliaque faciunt, ut credendum sit Censores hos parum abesse, si non prorsus recidere in eandem cum Bergensibus Concordistis, à quibus tamen videri volunt alienissimi, sententiā. Si enim verba eorum videas, & cum verbis Concordistarum conferas, lac lacti, ovum ovo non est ita simile, quam sunt eorum dicta. Ac licet verba Bergensium, prout ea refert Admonitio Neostadiana, paulum videri possint crudiora, tamen si sensum videas, vix hilum à dictis horum Censorū differre comperientur. Conferantur tantum omnia, quæ-

Refellitur exceptio Censoris, suos neminem adstringere formulis nisi quatenus & quam diu ipse certo deprehendit eas cum Scripturæ sensibus convenire.

Ostenditur eandem prorsus esse rationem Censorū & Bergensium Concordistarum.

quæcunque à Bergensibus dicta sunt, cum verbis istis Censorum quæ sect. 12. leguntur: *Synodi, seu Nationales, seu Provinciales, suas Confessiones non eò tantum fine publicant, ut indicent quid ipsæ sentiant, pro vero & falso habeant, credant aut non credant, & sensa mentis suæ exprimant, sed etiam ut judicent quomodo de iisdem doctrinis* SENTIRE & LOQVI *omnes Orthodoxi ex Scripturis debeant, &c.* Vt jam non dicam Bergenses ubiq; fere conqueri, quod & Admonitio Neostadiana nō semel annotavit, injuriam sibi fieri atrocem, quando ipsis tribuitur quod Lutheri scripta & verba Confessionis Augustanę pro norma fidei obtruderent, prout ipsis Censor tribuit sect. 5. Neque sane verisimile est, eos, qui à Pontificiis recens discesserant, tam repente iterum eo usque prolapsos fuisse; imo nullum dubium est, quin aliud nihil propositum sibi habuerint, quam Confessionem Augustanam, quam à Luthero optime intellectam & expositam esse sibi persuadebant, & quam Scripturis consentaneam esse credebant, constanter firmiterque contra eos, quos Novatores esse opinabantur, retinere & sartam tectam conservare, eodem plane modo, quo Calvinistæ hodie, & inter eos Censores hi, Confessionem suam Belgicam hactenus adserere & nuper in conciliabulo suo Dordraceno communibus ac pæne emendicatis eorum, quos consentientes sibi habebant, suffragiis, ab omni erroris specie vindicare sunt conati. Libri eorum Apologetici id docent adeò clare, ut λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ quærere dicendi essemus, si multis id commonstrare aggrederemur. Quare, si contra eos scriptam Admonitionem Neostadianam probant laudantque Censores, se ipsos damnent necesse est. Nec finis erit quam diu eadem illa qua hactenus chorda oberrabunt, & Orthodoxos omnes ex formula sua sentire ac loqui constanter firmiterq; ad extremum usque vitæ halitum jubebunt: Eò deveniendum est, ut quod optime notavit Neostadiana Admonitio, *Scripta Ecclesiarum publica norma non habeantur nisi Confessionis, ex qua potest & debet, non quid verum aut falsum sit agnosci & pronuntiari, sed duntaxat, quid cum doctrina in singulis Ecclesiis recepta & appobata congruat, NB, sive sit verum sive falsum.* Atque hoc est idem illud, quod præfatio Remonstrantiū consuluit, & adhuc consulit orbi Reformato. Quæcunque hac occasione de prophetandi licentia, de privatorum jure in examinandis Confessionibus, de petulantia, præsumtione & pertinacia Remonstrantium in contradicendo publicis Formulis, in contemnendo consensu Ecclesiarum, in perturbando ordine publico, in secessione facta sine causa, in studio seducendi incautos, traducendi

Pag. 133.

viros optime de Ecclesia meritos, aliaque ejusdem commatis plura in Remonstrantes effutit effrænis Censor, ea totidem sunt convitia contra Solem, & toties tamque luculenter in ipsa præfatione confutata, ut pigeat repetere. Impudentia aliquando silentio redarguenda est.

Secundum caput: An Remonstrantes multas & contrarias salutis vias supponant, Prima Calumnia Censoris detegitur.

Alterum caput, quod in Censura Præfationis notandum venit, est, Quod Censor Remonstantibus tribuit, *Quod multas easque difficiles, imo sæpius contrarias salutis vias supponant: Et quod non putent nobis absolute tutissimam viam esse eligendam, sed tantum, si justus alicujus majoris in Ecclesia periculi & scandali metus obstet.* Nihil mehercule calumnia ipsa potuisset in Remonstrantes evomere aut atrocius, aut à mente eorum alienius: Ad verba sua provocant: Citius ex pumice aquam quam ex istis expresseris tam malignum sensum. Summa eorum hæc est, Credunt inter Christianos, qui fundamentum salutis tenent, cætus alios aliis esse puriores, ac proinde formulas cætuum alias aliis esse puriores. Formulas has, prout per eas cætus alii ab aliis separantur, ut puri ab impuris, dicunt statui non debere tanquam terminos & limites, extra quos Religio & salutis æternæ spes constare nullo modo queat. Consequenter, Eos, qui ab uno cætu ad alium transeunt, eo ipso à spe salutis abire, aut alios à quibus discedunt, excludere videri non debere. Etsi enim ad puriorem cætum accedunt, non tamen idcirco discedunt à cætu, unde salutis spes exulat. Puritas enim & impuritas non tribuitur cætibus ob differentiam, quæ inter eos est, circa Religionis essentiam, sed circa ea, sine quibus essentia Religionis & spes salutis sarta tecta manet. Quis adeò à Sole aversus est, qui hic plures vias salutem consequendi à Remonstrant. fingi dicet? Malitia ipsa id ex præmissis istis concludat necesse est. Quod verò addunt, *Christianos teneri ad eligendum cætum, quem credunt omnium esse purissimum, utpote tutissimam & certissimam* (perverse addidit Censor vocem *Absolute*, quæ in præfatione non legitur) *aut potius minime omnium impeditam salutis viam, nisi forte justus majoris alicujus periculi aut scandali metus obstet*, quid habet quæso διαβλητὸν? Caritas non semper permittit fieri, quod utilitas aliquando jubet facere. Tutissima non semper sunt præferenda nec præeligenda nisi cum alioquin salus nostra periclitatur. Aliorum rationem habere prudentia suadet, caritas jubet. Multo majoris momenti apud nos esse debet æterna proximi nostri salus, quam nostra major ad salutem perveniendi commoditas; Quare, si salutis æternæ periculum ex transitione nostra à cætu impuro ad purio-

Altera Censoris calumnia diluitur.

puriorem, redundaturum videtur ad proximum nostrum, ratio ipsa nos vetat transire. Præstat enim nos incommodiore via ire ad salutẽ, ut æternum nobiscum salvetur proximus noster, quam commodiore, unde verisimiliter futurum est, ut proximus noster æternum pereat. Nec evadit calumniæ, dicam an malitiæ, crimen, Censor cum ait: *Suos etiam distinctione illa inter Ecclesias magis vel minus puras aliquando uti, sed Præfationem Remonstr. de eadem puritate & impuritate non agere, verum de impuritate & puritate circa fundamentalia & necessaria dogmata ad salutẽ.* Nec enim aut vola aut vestigium ullum in præfatione est, unde id verisimiliter elicere potuit: Contrarium Sole clarius est. Nam cum Præfatio diserte dicat, eos qui ab impuro ad puriorem cætum discedunt, non idcirco istum, à quo discedunt, à spe salutis excludere; manifestum certe est, eam de puritate aut impuritate circa dogmata necessaria non agere: Nam alioquin dicendum foret, Præfationem adserere salutem constare posse in cætibus istis, in quibus necessaria ad salutem dogmata non traduntur, quod contradictionem habet in adjecto. Nam salvari posse sine cognitione & fide necessariorum ad salutem, idem foret quod salvari posse sine iis, sine quibus salvari impossibile est. Deinde, cum formulas etiam istas, quæ in cætibus puris sunt, nolint statui ut limites & terminos, intra quos solos Religio & salvifica Dei cognitio consistit, fieri non potest, ut per puritatem intellexerint aliam, quam quæ circa non necessaria dogmata est. Nam alioquin Religionem & salutem non constare dicerent intra dogmata, quæ ad salutem sunt necessaria, aut in cætibus istis, ubi illa omnia pure docentur; qua absurditate quid absurdius?

Tertium caput de paucitate articulorum fundamentalium.

Tertium caput quod in hac censura Præfationis observandum venit, est: Quod cum Remonstrantes dicunt, *Se arbitrari pauca admodum esse: quæ præcise ad æternam salutem obtinendum scitu & creditu necessaria sunt*, Censor *Sociniano id genio ac spiritui tribuat*, & *contrarium diserte* adserat: *Manifestissime necessaria dogmata ad paucissima redigi non debere, & in determinando ac discernendo fundamentalia seu necessaria à non necessariis, opus & laborem ingentem positum esse.* Vix credebamus oculis nostris, cum utrumque hoc à Reformato homine tam diserte adseverari legeremus. Nam primum quod attinet, Quis nescit idem multo antequam Socinus in rerum natura esset, complures alios affirmasse, ac publicitus professos esse? Vide *Jacobum Acontium*, virum æterna memoria dignum, quo Satanas isto tempore majorem hostem vix habuit lib. 3. stratagematum, & post na-

Regis Magnæ Britanniæ judiciũ de paucitate articulorum fundamentalium.

tum defunctumque Socinum, ipsum *Magnæ Britanniæ Regem*, uti disertis verbis scriptum reliquit *Isaacus Causabonus* in Respon. ad Epist. Illustriss. & Reverendiss. Cardinalis Perronii, observat. 3. Ejus verba hæc sunt; *Verissime autem scriptum esse in explicatione τῶν ἁπλῶς ἀναγκαίων Rex arbitratur, Rerum absolute necessariarum ad salutẽ non magnum esse numerum*: Et non multo post: *Si ad decidendas hodiernas controversias hæc distinctio adhiberetur, & jus divinum à positivo candide separaretur, non videretur, de iis, quæ sunt absolute necessaria, inter pios aut moderatos viros longa aut acris contentio futura. Nam & PAUCA illa sunt, ut modo dicebamus, & fere ex æquo omnibus probantur qui se Christianos dici postulant.* Quid? an in hac Regis Serenissimi sententia etiam genium & spiritum Socinianum apparere dicet Censor? Et hæc cum dixit Rex, inter absolute necessaria censuit, non tantum ea, quæ expresse verbum Dei præcipit credenda faciendave, sed & quæ ex verbo Dei necessaria consequentia Vetus Ecclesia elicuit, ut ibidem videre est. Plus quam Socinianum itaque Spiritum in Regia hac sententia animadvertat Censor necesse est: Si enim absolute necessaria pauca sunt, comprehensis etiam iis quæ vetus Ecclesia ex verbo Dei necessaria consequentia elicuit, ut Rex ait: quomodo non erunt pauca, si absolute necessaria dicantur tantum ea, quæ ῥητῶς in Scripturis designantur, exclusis cæteris omnibus, quæ Ecclesia vetus per consequentiam ex iis elicuit ut Socinum adserere ait Censor? Post Regem hunc *Molinæus Regiæ fidei Defensor* veniat; Is in Responsione sua ad Cardinalem Perronium pro Rege Magnæ Brittanniæ, cap. 1. & alibi sæpius, diserte hæc verba posuit; *Fides fidelis hominis PAUCIS articulis, in quibus substantia pietatis consistit, contenta est: & Articuli isti in Scripturis extant tam perspicuis terminis expressi, aut concepti, ut interpretatione opus non habeant.* Alios plures, qua Veteres, qua recentiores non allegamus: nec enim pugnare libet ficulneis ejusmodi argumentis. Adeò vera est, ista imprimis Regia sententia, ut eam, etiamsi Rex aliusve nemo protulisset, amplexandam esse Christianis omnibus, à quibus Scripturarum perfectio & perspicuitas agnoscitur, neutiquam dubitemus. Nec referre crederemus, si author ejus primus ac solus fuisset, Socinus, aliusve quivis è trivio Christianus. Tanti est Remonstrantibus manifesta veritas, ut susque deque habeant, sive Socini, sive Serveti, sivi Arrii, sive Pelagii, sive alterius alicujus exosissimi hominis nomen ei præscribatur, aut genium & spiritum ejus redolere dicatur. Iam dudum professi sunt, se istiusmodi Disputatores

Petri Molinæi judicium de paucitate fundamentalium Articulorum eorumq; perspicuitate.

nauci

nauci non facere, & qui aliter censent eos Reformationi probro esse, & sibi ipsis obicem ponere credunt, quominus ab erroribus suis liberentur, & ad veritatis cognitionem perveniant. *Qui ignarus est, ignarus esto.* 1. Cor. 14. 38; *& qui sordidus est, sordescat adhuc* Apoc. 22. 11. Quare mirari merito subit, quod Reformatus hic Censor & novitius Doctor, disertis verbis contrarium affirmare non erubuit; *Manifestissime necessaria ad paucissima redigi non debere, & laborem atque opus positum in eo esse, ut necessaria à non necessariis discernantur.* Cælum fortasse metuit nimis angustum futurum, si ad paucissima redigantur necessaria: & facultatis Theologicæ gloriam evanituram, si necessariorum cognitio & discretio sine magna subtilitate & Academico acumine fieri posse credatur. Sed si omnino sic se habere rem ex animo credidit, magnum certe operæ pretium fecisset, si necessariorum illorum numerum, & necessitatis istius rationem, vel verbulo saltem indicasset: Interest enim quam maxime orbis Christiani, ut id ante alia omnia accurate intelligatur. Qui pauca necessaria esse docent, ii opus non habent necessariorum illorum numerum, & necessitatis istius rationem solicite aliis exponere. *Pauci reperiuntur in Christiano orbe, quibus non ex æquo,* ut Rex ait, *ista probantur.* At qui, præter pauca ista, alia adhuc multo plura scitu ac creditu necessaria, esse asserunt, iis declarandi ac probandi onus incumbit. Affirmantium est probare: Negantibus sufficit, si dicant se non videre, unde aut quomodo, præter pauca ista, quæ apud omnes in confesso sunt, alia plura adhuc necessaria esse ostendi aut elici possit. Quare cum à Remonstrantibus Censor exigit, ut singulatim, quænam ista necessaria dogmata sint, definiant, iniquissimum petit, ut probandi onus, quod sibi incumbere novit, ab humeris suis dimoveat, & interim eos suspicione gravet, quasi manifestissime necessaria dogmata convellant ac rescindant. Deinde, si ex animo credit, laboris atque operis ardui esse necessaria à non necessariis distinguere, equidem tempus est ut palinodiam canat, & cum Pontificiis in gratiam redeat, statuatque deinceps Scripturam non esse perspicuam & claram in iis, quæ præcise ad salutem creditu sunt necessaria; aut si eousque recidere nolit, vel, si id aperte, quamquam ita sentit, profiteri non velit, tempus est ut nos doceat qua ratione claritas & perspicuitas Scripturarum cum ingenti ista difficultate discernendi necessaria à non necessariis, possit conciliari: habebit ob quod ungues mordeat. Nec satisfaciet, si dicat, Scripturam claram quidem esse, sed non nisi iis, qui speciali efficacis

Contrarium Censoris judicium, Articulos manifestissime necessarios nec paucos esse nec sine magno labore à non necessariis discerni.

Ostenditur Censoris partes fuisse declarare & probare qui & quot Articuli sint fundamentales.

Demonstratur Censorem favere Pôtificiis de obscuritate Scripturarum.

gratiæ

gratiæ lumine à Spiritu Dei collustrantur, ut eam possint recte intelligere: hoc enim tantundem est atque hastam abjicere, & in castra Pontificiorum, jam olim solemniter deserta ac damnata, sponte redire. Imo si res bene perpendatur, facile quis huic sententiæ Pontificiam longe prætulerit. Nam si per istos, quos dicunt efficaciter vocatos, intelligat cætum aut Ecclesiam, quæ ex ejusmodi vocatis constat, an non pejus multo sentit, quam si cum Pontificiis, tribuat Pastoribus, sive Ecclesiæ repræsentativæ jus discernendi necessaria à non necessariis? Certe; sic enim jus istud idem defert Ecclesiæ toti, quatenus ex pastoribus & ovibus sic efficaciter vocatis constat. Si vero per istos efficaciter vocatos intelligi vult, singulos qui lumine isto gratiæ efficacis à Deo donantur, uti eum intelligere certum est; quid tum obsecro aliud facit, quam quod pro uno Papa, cui Pontificia Ecclesia non nisi in & cum generali Concilio jus illud decidendi & discernendi tribuit, totidem Papas faciat, quot sunt sic efficaciter vocati, iisque jus illud semper & ubique tribuat, pro afflatu & dictamine Spiritus, quod sibi quisque factum credit: & cum afflatum hunc, instinctumq; peculiarem pari jure sibi vendicare possint omnes Sectæ, licet maxime à se invicem dissentientes ac diffidentes, utiq; necesse est ut fateatur, aut Spiritum S. sibi ipsi esse contrarium, aut se, quando ita statuit, non tantum cum Pontificiis statuere debere, Scripturam S. non esse claram & perspicuam in rebus necessariis, sed obscuritate ipsa esse obscuriorem. Quod si nihilominus credere & ab aliis credi vult, hanc discretionis gratiam suis efficaciter vocatis peculiariter fieri, seu singulis, seu congregatis in Synodo, cur sui isti, non dicimus non definiverunt hactenus quænam multa illa necessaria sint, sed, cur id nunquam adhuc tentaverunt? cur lites nescio quas, Christiana sane pietate & æquitate indignas, incredibili cum pertinacia & Reipublicę perturbatione moverunt, agitarunt, deciderunt, & hanc unam præcipuam ac palmariam, sine cujus decisione cæteræ omnes decisiones nugæ sunt & ineptiæ, adeo negligenter reliquerunt indecisam, imo prorsus indeliberatam atque intactam? hoc sane qui faciunt, ii *culicem percolant, & camelum deglutiunt.* Interim cum à Remonstrantibus id petit, iniquissimum sane facere censendus est, quamquam & ii jam sæpius ea de re tam aperte sententiam suam dixerunt, & in Confessione sua expresserunt, ut desiderari nihil amplius ab iis jure possit. Quod si ea, quæ dixerunt, Censor non credit sufficere, præstet itaque nobis, præstet Christiano orbi hoc beneficium, ut, quid in iis desideret

deret aut culpet,intelligamus,atq; imprimis, ut, ad quam Formulam necessariorum dogmatum certa atque indubia dijudicatio facienda sit, nobis liquido possit constare. Hoc optamus, hoc oramus, hoc supplicamus. Quamdiu id non fit, tamdiu mera formularum humanarum autoritate Christianus orbis turbatur, & sub generalibus terminis Tyrannis simul ac pertinacia tegitur. Hactenus id nemo horum Censorum, imo vix Calvinista ullus, tentare ausus fuit. Et tamen, si unquam alias, jam certe tempus erat ut id à Censoribus his fieret, ne multorum necessariorum, quæ vocantur, ignoratio multis sit exitio, & non necessariorum nimia æstimatio, occasio sit plurium in Ecclesia Christi turbarum ac dissidiorum.

Frustra calūniatur Censor dissensionem Remonstrant. de articulorū necessariorum numero ac specie.

Neque verò ad rem quicquam facit, quod invidiose Remonstrantibus Censor objicit, *Inter eos non convenire adhuc de paucorum istorum necessariorum numero ac specie:* Nam posito quod id omnino esset, idq; ex Actis istis, quæ Censuræ suæ præfixit Censor, clare posset evinci, quis nescit in tanta judiciorum imbecillitate & diversitate, quanta in humanis rebus locum habet, imprimis apud eos, quorum alii præjudicia sua inveterata dudum atque inolita, alii recens, & uti fit, magno affectu hausta atque imbibita secum adferunt, accidere aliquando posse, ut controversia & lis oriatur inter optimos quosque de rebus, quæ alioquin per se sunt facillimæ decisionis? Convitium facit mortalitati, qui istam imperfectionem nostram calumniatur. Sæpe acutissimam mentis aciem nimius pietatis zelus adeò obtundit, ut, quicquid aliquā necessitatis aut magnæ utilitatis speciem præ se fert, præcise necessarium creditu esse sibi persuadeat, ne pietatis limitem transgrediatur, aut alium transgredi doceat: Contra, non raro magnæ commiserationis æstus extendit porrigitque limitem libertatis Christianæ ulterius quam par est. Affectus hi sunt, in quos humana infirmitas in medio bonæ conscientiæ studio, Deo ita permittente, aliquando incidit, idq; non sine acri contentione & victoriæ studio. Sed raro diu durant affectus isti, & simul atque evanuerunt, statim sententiæ animique levi momento arctissime iterum coëunt ac conglutinantur. Vt ut vero extra culpam non sint, qui affectibus istis abripi se sinunt, tamen dubitandum non est, quin clementissimus Deus culpam istam propitius condonaturus iis sit, ea solum de causa, quod affectus istos proficisci sciat ex puro puto bonæ conscientiæ studio, à quo procul absunt livor, odium, & nocendi aliis propositum. Tantum valere credimus apud miseratorem generis humani pium affectum, & inoxium veritatis

ſtudium, ut quæ iis aliquando, ex infirmitate noſtra, accidunt vitia, in computum & rationem venire nolit.

Diluitur criminatio Cenſoris quod Remonſtrantes pleraque Religionis capita in dubium vocent.

Quod verò, dum nos ita judicamus, atque idcirco mutuam tolerantiam & prophetandi libertatem, tanquam ſingularia media ad veritatis penitiorem inquiſitionem & Sectarum diminutionem, commendamus orbi Chriſtiano, *nos iſta via moliri* Cenſor ait, *ut cuilibet liceat, ſub velamine penitioris inquiſitionis, pleraque Religionis Chriſtianæ dogmata in dubium revocare*, id in præfatione Remonſtrantium aliiſque penè infinitis eorum ſcriptis ſæpius confutatum eſt. Fieri vix poteſt, quin ii qui ulcera aliqua in Eccleſia detegunt, aut Tyrannidem ex Eccleſia depulſam cupiunt, in iſtam criminationem incidant. Quicquid inveterato errori, aut Tyrannidi, & conſcientiarum dominationi opponitur, id effrænis licentiæ obtentu optime reprimi poſſe creditur, & ex uno capite multa alia dependere, facillime credulæ plebi perſuadetur: Sed ab hac criminatione jam dudum ſatis adſeruit Remonſtrantes Confeſſio eorum. Quod vero non multo poſt Cenſor

Diluitur altera criminatio Cenſoris quod Remonſtrantes ſectarum diminutionum urgeant ut à ſe diſſentientes opprimant.

ſubjungit, *à Remonſtrantibus eo fine Sectarum diminutionem urgeri, ut ad eorum unam confluant omnes Sectarii, Libertini, Anabaptiſtæ, &c. eaque iſtorum omnium confluxu aucta, ipſi politico ſtratagemate viam ſibi parent ad opprimendos eos, quos conatibus ſuis vident obſtare*; id ſane colorem nō habet, & proterva calumnia eſt. De animo eorum judicabit omniſcius Deus. Eum ut probent iis, qui jura legeſque omnes divinas & humanas violare, ac tantum non pedibus conculcare non dubitarunt, ut Remonſtrantes opprimerent ac peſſumdarent, nec opus eſt, nec poſſibile. Nec credere vellent, nec ſi omnino vellent, credere auderent. Conſcientia eorum mala id non ſineret. Animus male ſibi conſcius, & qui ex eo ſequitur, malus rerum Interpres metus, omnia traheret pejore via. Quicquid in alios admiſit, idem ſibi ab iis eventurum perpetuo imaginatur. Iſte eſt equuleus male agentium, qui eos ſecuros nunquam eſſe ſinit. Securitas prima ab animo noſtro eſt: ubi ille turbat, ibi cætera omnia fruſtra ſunt. Quicquid dixeris, quicquid promiſeris, quicquid juraveris, id omne fingi ac ſimulari volet pertinax diffidentia. Niſi ita eſſet, jam dudum calumnia hæc evanuiſſet, ut nix ad meridianum Solem: Remonſtrantes enim ab iſto ſpiritu vindictæ alienos eſſe, non modo doctrinæ eorum genius, ſed tot extremæ patientiæ & tolerantiæ eorum documenta hactenus comprobarunt, ut ad fidem ei rei faciendam pluribus non ſit opus. Si turbare, ſi opprimere in animo habuiſſent eos, quos conatibus ſuis obſtare norant,

vires & occasiones quærendæ ipsis non fuissent: In manu sua habuerunt & habent quam plurimis in locis, ut oppressores suos opprimant: non fœneramur Soli lucem. Res nota est: Sed eos ab isto scelere conscientia retinuit, & Dei timor. Absit ab iis, ut unquam tam profanis consiliis animas suas maculent. Istam gloriam, istam laudem adversariis suis lubentes relinquunt, & hoc etiam nomine quam maxime sibi gratulantur, quod jam amplius communia sacra nulla habeant cũ iis, qui, ut soli rerum potiantur, & in tranquillo vitam ducant, omnes à se palam dissentientes oppressos cupiunt, & in errantes, aut Ecclesiæ puritatem, quam vocant, aliquomodo inficientes, licet alioquin pios, innoxios, & solius bonæ conscientiæ studiosos, edictis, carcere, equuleo, virgis, quin & gladio, cruce, rota ac rogis, si pertinaces sint, & pacem turbare non desinant, animadverti jure posse, inter axiomata suæ Ecclesiæ ponunt. Sanguinem istum jam non reposcet Deus à manibus Remonstrantium. Sanguis Abel est, qui vindictam clamat, & exaudiet eum Dominus. Ab istis jure aliquando reposcet, qui, cũ axioma istud publice tueantur, interim tamen alios, qui, eodem axiomate nixi, in ipsos non modo dissentientes, sed pro virili sua, uti ubique solent, omnia turbantes, tanquam Majestatis divinæ reos damnant. Ex suis ipsi sermonibus aliquando condemnabuntur apud tribunal summi Iudicis. Nec juvabunt eos frivolæ & frigidæ distinctiones, quibus Censor hic aliique tam manifestum, non dico, errorem sed scelus tegunt. Nunquam desunt prætextus persecutoribus. Hæreticus, Pertinax, Seditiosus, Turbator, Blasphemus ilico esse cogitur, quisquis ab adversa parte triumphante pro tali censetur. Nomina ista imponuntur, uti alia omnia, pro arbitrio partis victricis. Definitiones pro libitu facere Tyrannorum est, quibus pro ratione voluntas est: Ab istis dissentire, istis contradicere, est pacem publicam turbare, & seditionem facere. Nihil communius, nihil usitatius, nihil facilius. Ita nemo fere hæreticus esse potest, quin protinus Turbator audiat, & à prima ad secundam, tertiamque nomenclaturam proclivis est progressus. Quisquis artes istas persecutorum non novit, næ is in meridie cæcus est. Censorem tantum hunc vide. Gradus quosdam fingit, per quos ad supremũ crudelitatis fastigiũ ascendit, adeò speciose, ut nihil minus quam eò contendere videatur. Ista arte crudelitatem Ecclesiarum suarum, propter quam eas bonis & piis omnibus merito jure exosas atque invisas esse novit, tegere studet. Sed vide dolum ac fraudem. *Licet Magistratui*, inquit, *Hæreticos, qua tales, coërcere atque in eos animadvertere:* hic

Ostenditur Censorem hæreticidio favere.

hic primus gradus eſt. qua lege, quo jure, qua ratione is nitatur jam non diſputo. Deinde inquit: *Seductores non tantum coercere licet magiſtratui, ſed & coercendi & puniendi ſunt à Magiſtratu, etſi non ſupremo ſupplicio.* Hic ſecundus gradus eſt; neq; hic examino quo fundamento is nitatur. *Seditioſi & Blaſphemi capitali ſupplicio affici poſſunt.* Hic tertius gradus eſt. Hunc cum manifeſta lege, jure ac ratione nitatur, mirum alicui forte videri poſſet, cur Cenſor non expreſſerit planioribus verbis, videlicet, tales non tantum poſſe capitali ſupplicio affici, ſed & debere. Sed hac etiam arte crudelem animum, tanquam ſi à ſanguine prorſus eſſet alienus, optime tegi poſſe credidit, dum quos lex jubet,& ratio dictat occidi debere,non niſi poſſe occidi dicere voluit. In cæteris autem jus concedere & neceſſitatem imponere Magiſtratui, crudelitatis non videtur, quia ad ſanguinem non proceditur. Sed nos jam dolum ipſius videamus, *Hæreticos qua tales licet Magiſtratui coercere*, inquit: At quid obſecro eſt iſtud *qua tales?* At definitionem veniendum eſt. Ex iſta enim ſola conſtare debet, quid ſit hæreticus qua talis. *Non omnes*, inquit AdmonitioNeoſtadiana cap. 7. pag. 244. *qui errant in doctrina Chriſtiana, ſunt Hæretici, ſed ii demum, qui verſantur in errore, vel qui aperte pugnat cum Religionis fundamento, hoc eſt (NB) præceptis decalogi vel articulis fidei, vel ex quo ſequitur partis alicujus fundamenti everſio; de errore ſuo ſunt admoniti & convicti Scripturæ S. teſtimoniis, non tantum privatim, ſed etiam publico Eccleſiæ judicio & nomine, & poſt hanc admonitionem aliquoties adhibitam, errorem pertinaciter tuentur, & ſchiſmatibus Eccleſiam diſtrahunt.* Iuxta hanc definitionem Hæreticus qua talis, eſt pertinax, ſeductor, ſchiſmaticus, ſeditioſus, &, ſi forte hæreſis ſit circa articulum de Deo, blaſphemus. Hæreticum itaque quà talem Magiſtratus non tantum poteſt coercere, ſed & debet, nec debet tantum coercere, ſed & poteſt, ut cum Cenſore loquar, occidere aut capitali ſupplicio afficere. En ut in primo gradu repente collocetur tota crudelitas. Hoc non volo, inquies Cenſor. Eſto. Quid itaque eſt tibi Hæreticus qua talis? Definitionem hic jam ex cerebro tuo forma contra Scholarum omnium placita, ut crudelitatem ſubtilitatis fuco tegas. Per Hæreticum, qua talem, intelligo, inquies, eum, qui Hæreticam tenet opinionem: At quid eſt tenere Hæreticam opinionem? Nam ſi eam tenet apud ſe, nemini id conſtare poteſt, nec ergo etiam Magiſtratui licet in eum animadvertere, & eum coercere; nam de occultis & ignotis non judicant homines. Vlterius eundum eſt; Qui eam etiam profitetur, inquiet. Eſto. At qui eam etiam pro-

profitetur, is jam profitendo Seductor est factus : Hæreticus itaque qua talis etiam est seductor. Deinde, quid si eam deseruerit aut deserere paratus sit? Addendum itaque est, qui in ea pertinaciter perseverat. Pertinacia enim est de ratione formali hæreseos ut Censor hic ipse asserit Thes. 39. disput. 40. de Eccles. in Synopsi purioris Theologiæ. Esto, at quid si roget, ut sibi in ea perseverare liceat, ea lege, ut nemini pandat, nemini exponat hæresin suam, nemini eam persuasam velit, sed sibi tantum eam habeat: An magistratui licet eum, qua talem, coercere? De eo loquor, inquiet, qui sententiam suam hæreticam jam ante aliis aperuit, & porro aliis eam aperire, atque ita eam propalare & propagare studet. At sic Hæreticus qua talis, etiam seductor est. Et quia fieri non potest, quin seductio ista cum turbatione, cum schismate & seditione sit conjuncta; quid aliud tandem efficitur, quam Hæreticum qua talem, esse etiam seductorem, turbonem, seditiosum & schismaticum, atque ita occidi jure posse? En, ut gradus isti scholares non sint nisi commenta & figmenta, quę in praxi usum non habent, & quæ eò tantum fine in Scholis elaborantur, ut eorum obtentu veletur crudelissima praxis, ne animadvertatur aut diluceat. Atque hæc quidem Reformatorum crudelitas idcirco intolerabilior videri debet, quam Pontificiorum, quod hi, juxta placita Ecclesiæ suæ, infallibiter designare possint quid proprie dicta hæresis sit, & qui vere sint hæretici. Reformati verò juxta placita sua, id certo atque infallibiliter designare nullo modo possint. Hæresin sive errorem fundamentalem appellant Pontificii, omnem ejusmodi errorem, qui repugnat apertæ decisioni Ecclesiæ suæ, quam credunt (etsi falso) errare non posse, & quicunque isti decisioni non cedit, eum vocant consequenter pertinacem. At hic Censor, & qui cum eo sentiunt Reformati, negant Ecclesiæ suæ potestatem infallibilem competere de errore fundamentali, de quo controversia incidit, judicandi ac statuendi: Ex quo consequitur, eam de pertinacia ejus, quem errare in fundamento credit, certo statuere non posse. Seductionis itaque & seditionis crimen, quod ex propagatione hæreseos, quam vocant, & secessione eorum, quos hæreticos esse volunt, oriri dicunt, constare ipsis nequit, ut quando supremo supplicio locus sit, Magistratui indicare possint. Vt jam non allegem alia infinita absurda, quæ cum perversa & diabolica ista opinione conjuncta sunt.

Quartum caput esto. Quod *Declarationis & Sententiæ*, voces, quas Confessioni suæ præfixerunt Remonstrantes, in suspicionem vocet Censor Quartum caput, An declarationis &

Sententiæ voces distinxerint Remonstrantes.

Censor, quasi declarare minus sit quam confiteri, & sentire minus quam credere. Quis non miretur hanc Academicam subtilitatem? Sane ea nunquam venit in mentem iis, quorum ista est Confessio. Quin contra exaggerandæ rei vocibus istis usi sunt. *Declarationis* voce uti maluerunt quam *Confessionis*, contra eos, à quibus differebantur passim, quasi aut non possent, aut non auderent sensa mentis suæ de præcipuis Religionis capitibus clare proferre. Nempe credebantur ea ex professo premere, aut non nisi sub obscuris verborum involucris promere. Ista arte usa erat calumnia, ad concitandum & acuendum in eos odium pubicum. *Sententiæ* voce maluerunt uti quam voce *fidei*, ut hypocriseos calumniam à se amolirentur: Nimirum non credere tantum, sed serio atque ex animo declarationem facere videri volebant ejus, quod apud animũ suum sentiebant ita se habere. Hanc ingenuitatem culpare, quid aliud est quam candorem ipsum calumniari? Et quæ obsecro calumniæ species? Per vocem *Sententiæ* meram opinationem, adeòque Pyrrhoniam & Scepticam ἐποχὴν intelligere eos dicunt Censores Theologi. Vah, quam sordide! digni, qui ad Grammaticos ablegentur, ut ibi inter cathedras eorum adhuc plorent. Etymologia & usus vocis eos aliud docere debuissent, Et hæc ipsa Remonstrantium Confessio, quæ à Pyrrhonia ἐποχῇ tam longe abest quam cælum à terra. Nec refert, quod claram eam esse negent. Quam enim id falsum sit, patebit ex Censuræ sequentis examine. Solem in meridie clarum esse negabunt, cæcus, lippus, & qui oculis suis palpebras obducit. Quam claritatem cæcus aspicere non potest, eam lippus non potest ferre, & qui palpebras obducit oculis suis, intueri non vult. Malignus animus etiam in Sole tenebras, & in luce maculas quærit. Lux in tenebris lucet aliquando, *& tenebræ eam non comprehendunt*. Huic simile est.

Quintũ caput. An Confessio Remonstrant. communi consensu edita sit.

Quintum caput, quod annotamus in censura præfationis, quando *Confessionem communi Remonstrantium consensu editam esse in dubium & suspicionem mendacii vocat* Censor. Quid facias in re tam clara? Nihil certius veriusque, & tamen hic dubitat Censor, & mendacii suspicione gravat Remonstrantes, qui unanimen hanc approbationem coram Sole sæpius professi, & consentientibus hactenus studiis atque actionibus testati sunt. Cur? *In eorum Synodo*, inquit, *apparent vestigia dissensus*: In qua Synodo? post editam Confessionem à Remonstrantibus, Synodus nulla ab iis indicta aut habita est: Si cætum istum intelligit, cujus acta præfixit Censuræ suæ, næ injuriam facit Remon-

stran-

ſtrantibus; cum cœtum iſtum Synodum eorum vocat, & Synodum tanquam ſi in ea Confeſſio ſcripta atque edita eſſet, cum cætus duntaxat exiguus fratrum quorundam fuerit, iſque habitus quarto anno poſt editam & ab omnibus ore atq; opere approbatam Confeſſionem. Et quæ in eo fuit diſſenſio, non veſtigium fuerit veteris diſſenſus, ſed nova, quæ in amicam conſenſionem tandem deſiit. *Sed præterea*, inquit, *à nonnullis ejus rei conſciis habemus, & multos noluiſſe ſubſcribere, & à quibuſdam aperte fuiſſe contradictum.* Itane? multos? & noluiſſe ſubſcribere? & contradixiſſe? Os impudens! nemo ſubſcripſit; nemo ut ſubſcriberet rogatus fuit. Quinam itaque multi iſti, qui noluerunt ſubſcribere? poſt ventilatam & ſerio agitatam cauſam, quod ſine contradictionibus fieri vix poteſt, omnes amice, omnes unanimiter, omnes ultro conſenſerunt: Et hoc ſatis erat. Subſcriptionis ceremonia aliæque ne poſtulatæ quidem fuerunt. Communibus ſtudiis, communibus auxiliis, per medias afflictiones, per crucem & mille diſcrimina, teſtanda erat conſenſio, &, ſi ita Deo placeret, ſanguine ſignanda: hac teſſera, qui conſenſionem ſuam teſtari paratos ſe profitebantur, ab iis manuum ſignatura non poſtulabatur. Et, non fuiſſe, ne unum quidem ex omnibus iſtis, qui Synodo iſti, in qua Confeſſio ſcripta, lecta, atque diu multumque à ſingulis expenſa eſt, interfuerunt, qui id recuſavit, jam quinque ex ordine anni, quibus perſecutio eorum ſeveriſſima flagravit, fidem fecerunt luculentiſſimam, non ſine bonorum omnium admiratione & Adverſariorum conſternatione. Quinam igitur conſcii iſti eſſe potuerunt, qui Cenſori huic tam apertum debuerunt mendacium? Et cur iſtis tam leviter fidem adhibuit alioquin ſuſpicaciſſimus Cenſor? Qui facile credit, levis eſt corde. Malignus animus pronus in ſuſpiciones, levi momento impellitur ut credat calumniæ & mendacio. Cur iſtis paucis transfugis forte ac deſertoribus fidem potius habuit, quam iis omnibus, qui contrarium publice non tantum profeſſi, ſed docendo, tolerando, jam per aliquot continuos annos teſtati ſunt, quorum numerus cum paucorum iſtorum deſertorum numero conferendus non eſt? merito ſane jure ſuſpecta debet eſſe fides eorum, qui, veluti Protei, in omnes formas ſe vertunt, ut ſcenæ ac tempori ſe accommodent. Quicquid ſciunt, videntq; gratum eſſe, avideq; expeti ab iis, ad quos tranſeunt, id narrant, tanquam ſi oraculum eſſet, & Sibyllæ folium: Et quicquid aliquis vehementer vult, id ſtatim facile credit. Atque hinc eſt quod Cenſor hic, quem totum flagrare Remonſtrantium odio atq; invidia, ama-

Oſtenditur falſum eſſe quod quidam Remonſt. Confeſſioni ſubſcribere detrectaverint.

amarulenta hæc in Præfationem censura aliaque scripta ejus arguunt, nihilque libentius arripit, quam quod iis videt posse nocere atq; officere, hoc etiam tam manifestum mendacium sibi obtrudi passus sit. Quod vero addidit, *Hinc fortasse fuisse, quod Confessio edita fuit sine notatione temporis aut loci, quo perscripta fuit & approbata, & sine ulla subscriptione*, id sane non inscitiam sed malignitatem Censoris arguit: Novit enim in quas augustias redacti essent Remonstrantes per crudelitatem ipsorum, quo tempore Confessionem illam suam edebant. Angustus erat redditus ipsis pœne totus vicinus orbis Christianus: In ditione hostium patriæ suę subsistere cogebantur, quorũ gratia abuti nec debebant, nec volebant. Tutum non erat indicare locum & tempus conventus sui, in quo perscripta & approbata erat Confessio. Sine die, sine Consule, omnia sua scribere atque edere tenebantur. Hoc itaque cum in iis culpat Censor, crudelitatis suæ memoriam refricare voluit. Sed & quod, obsecro, in levibus adeò rebus momentum positum est? Tum, Annum editionis, locum ubi perscripta & approbata fuit, nomina eorum, qui eam approbarunt, vel pueri in Belgio norant tanquam ungues digitosque suos: Subscriptione ergo nominum, notatione temporis & loci quid opus erat? Et quis unquam vidit nomina eorum qui Confessionem Belgicam scripserunt & approbarunt, quis Consulem, diem, aut locum notavit quo scripta fuit & approbata? Adde; quod, qui illam attente legit, caussam certe non levem habet credendi, eam ab uno aliquo aut festinanter, aut sine magno judicio, vel serio examine aliorum scriptam esse, ac proinde dubitandi, an tale scriptum pro scripto totius Communitatis censeri initio debuerit: Adrianus Saravia eam primo scriptam fuisse ait à Guidone de Bres, & cum paucis hic illic communicatam, ac sine solemni & serio, ut decet, examine, nedum in Synodo ulla approbatam esse, & sic paulatim in communem Ecclesiarum formulam abiisse. Quod verò nuper in Synodo Dordracena Canones suos solemni subscriptione notatos, Bergensium Concordistarum in morem, ediderunt, id sane vanitatem μετὰ πολλῆς φαντασίας arguit, & eo nomine ludibrium sui debent Prudentioribus. Nam & dissensisse eos, acriterque inter se diu contendisse constat, & dissensionem suam publica protestatione D. Gomarus testatus est, & dissensionis non vulgaris manifesta vestigia in Anglis & Bremẽsibus Theologis apparent, & in quibus consensio est, ea sunt tam lubricis, tam generalibus, tam involutis Phrasibus ac vocibus elaborata, ut similia videri possint calceo laxo aut cothurno, qui pedibus

Indicatur caussa cur Confessio sine notatione temporis & loci & sine ulla subscriptione edita sit.

pedibus omnium ſimul poteſt aptari. Et hæc cum ita accidiſſe norit Cenſor, mirum ſane videri debet, quod vel de Remonſtrantium conſenſu idcirco dubitet, quod ſubſcriptione careat eorum Confeſſio, vel ex ſubſcriptione de conſenſu eorum judicium faciat, vel denique quod de ſubſcriptione an facta ſit dubitet, cum eorum Confeſſionem adeò obſcuris, dubiis, atque incertis lubricisque phraſibus exaratam eſſe velit, ut quilibet pæne Sectarius, modo Calviniſta non ſit, ei ſine ulla difficultate poſſit ſubſcribere. Cur adeò difficulter credit eos ſubſcripſiſſe unanimiter Formulæ, quam ad libitum & arbitrium cujuſq; compoſitam & de induſtria fabricatam eſſe omnibus vult eſſe perſuaſiſſimum? hæc non cohærent.

Sextum caput Quo fine Remonſtrantes dixerint ſe omnia Confeſſionis ſuæ mēbra ad praxin Chriſtianæ pietatis direxiſſe.

Sexto loco notamus. Quod cum Remonſtrantes in præfatione ſua dicunt, *quod omnia Confeſſionis ſuæ membra ad praxin Chriſtianæ pietatis direxerint, eo ipſo tacite Eccleſias ſuas taxatas velit Cenſor, quaſi Theologiam totam mere ſpeculativam faciant:* Ita eſt. In Theologiam etiam ipſorum id dictum voluerunt, quanquā non ignorabant eſſe inter eos, qui contra profitentur, & Theologiam partim ſpeculativam, partim practicā, aut practicam quidem, ſed maximam partem ſpeculativam faciunt. Profeſſionem & proteſtationem hanc flocci fecerunt. Tota enim Theologia eorum revera mere ſpeculativa eſt, & cum praxi, ſive officio hominis erga Deum, nihil habet commune. Quicquid in ea eſt, id eſt aut Deus, aut Dei actio, ad quam etiam ceſſatio ab actione referenda eſt. Praxis noſtra nil eſt, niſi vel pura puta Dei actio in nobis, vel id, quod ceſſationem divinæ actionis in nobis tam neceſſario conſequitur, quam Solis abſentiam tenebræ: Nos boni ſumus & bene agimus, quia Deus vi ſua divina ita operatur in nobis, ut non poſſimus non eſſe boni. Nos mali ſumus & peccamus, quia Deus non vult operari in nobis, ut poſſimus boni eſſe & à peccando deſinere: Officium noſtrum nudum nomen eſt: Conditio in Euangelio nulla eſt: Præcepta divina ad promiſſa ejus pertinent: Deus efficit in nobis quod à nobis fieri vult, & præcipiendo adſpirat effectum ſimul atque efficaciam: Voluntas noſtra non eſt principium practicum, quod ex officio præſcripto ſe movet, ſed vel ſubjectum mere paſſivum, vel inſtrumentum brutum cæco motu neceſſario ſequens, aut rationis imperium, aut arcanum divinæ motionis impulſum: Principii, medii ac finis eadem eſt ratio. Vt conſilium Dei ſtet, eaſdē divinas actiones pari vi atq; efficacia continuari neceſſe eſt. Hæc tam certa, tam clara ſunt, ut nihil ſupra. *At nos*, inquit Cenſor, *fatemur veritatem quæ ſecundum*

Tota Theologia Calvini revera mere ſpeculativa eſt.

Diluitur Censoris frivola & inscita exceptio.

pietatem est, non esse mere speculativam, nec mere practicam: Credo, hoc non fateri aperte, nimis foret crudum. Interim, aut nos vehementer fallimur, aut quod fateri aperte non vult, reipsa tamen credere se significat. Sed acumine grammatico & triviali hîc opus est, ut fallacia Sophistica, quæ Academicis propria est, pateat: Sub particula *Mere* fraus tegitur. Id indicat subjuncta ratio; *Quia etiam verus de Deo & rebus divinis sensus ad pietatem pertinet. Non enim potest Deum recte colere, nec proximum diligere, qui de Deo & ejus voluntate in intellectu non bene informatus est.* En quid sit mere Speculativum, & mere practicum acuto huic Doctori! Quasi verò ulla practica scientia detur, quæ absque omni præcedanea speculatione sit, aut scientia idcirco dicatur practica, quia nihil nisi mera praxis in ea locum habet. Qui Philosophiam vel à limine salutavit, is novit scientias appellari Speculativas vel practicas à fine ultimo, in quem desinunt. Quare si Theologia non est mere speculativa, nec mere practica, necesse est ut desinat partim in speculationem, partim in actionem. Vbi vel tota speculatio actioni, vel tota actio speculationi subordinatur, ibi vel mere speculativa, vel mere practica est scientia. Quod si aliter rem se habere in Theologia credit Censor, det itaque speculationem istam, in quam Theologia ex una parte desinit, & quæ actioni non subordinatur, & actionem in quam ex altera parte desinit. *Verus*, inquit, *sensus de Deo & rebus divinis ad pietatem pertinet.* Esto; At quæritur quomodo? *Non enim potest*, inquit, *Deum recte colere, nec proximum diligere, qui de Deo & ejus voluntate in intellectu non bene est informatus.* Recte. At hoc arguit Theologiam totam in actionem desinere, atque idcirco esse mere practicam, non aliter quam Ethica, Politica, aut œconomica, scientiæ mere practicæ sunt. Nec enim virtutem recte exercere quisquam potest, nisi de iis, quæ ad virtutem pertinent, in intellectu antea bene sit informatus. Sed quid ego in re clara disputo? Tota pietas, universus Dei cultus, quem Theologia horum Censorum docet, ad praxin sive officium Hominis non pertinet, nec pertinere ullo modo potest, si consentaneè principiis suis loqui velint. Effectus enim merus actionis alterius non potest esse actus officii nostri, qui ad præscriptum ejus ipsius, qui actum istum efficit, à nobis fit. Quod totum aliunde est, id non potest esse ullo modo actus officii nostri, nedum actus virtutis, aut pietatis elogio dignum censeri, quid dico, præmio à Deo ipso affici? Tota itaque Theologia eorum non est nisi mera divinarum actionum speculatio. Et hoc tam ingens absurdum ex

doctrina

doctrina de prædestinatione Calvini oriatur necesse est: Prædestinatio ejus, & officium hominis, sunt ἀσύςατα. Impossibile est illa conjungere. Quisquis non potest non facere quod facit, is officium suum non facit, & sublato hominis officio, quid est Religio, nisi mera histrionia, & operosa simul ac ludicra fabula? Quare, non levem caussam Remonstrantes habuisse censendi sunt, cum doctrinam istam appellarunt, infelix lolium, & apostema quod succum & sanguinem omnem pietatis exugit, fermentique instar sese per universum Theologiæ corpus ita diffundit, ut nihil sani sapidique reliquum faciat. Quin imo, quod de ea *Clarissimus vir Tilenus* censuit, scripsitque meritissimo jure censuisse ac scripsisse credendus est; nec esse quod metuat illud, *increpet te Deus, ô Satan*! Istud non metuit, qui credit doctrinam istam arcem esse, ex qua Satanas potentissime Deum & Religionem ejus oppugnat simul atque expugnat, ac proinde Satanæ nihil gratius accidere posse, quam si tam pestilens doctrina credatur esse Religionis ac pietatis sedes & domicilium. Hac ægide munitus haud difficulter regnum suum firmat in hoc mundo, & pietatis fibras ac radices è pectoribus hominum revellit. Qualis Prædestinatio, talis Religio: fieri aliter non potest. Nec dubium est, quin hanc unam ob caussam tam diras, tam plumbeas, tam acres iras gerant Calvinistarū Coryphæi, & qui rem intelligunt, Contra Remonstrantes, quod sciant quantum syrma consequentiarum per totam Religionem ipsorum post se trahat dogma de Prædestinatione. Quod apud Pontificios est Ecclesia, id apud Calvinistas est Prædestinatio: uti tota illorum Religio ex isto uno capite, ita horum tota Religio ex hoc uno capite dependet: Atq; hinc est, quod non dubitarint propter eam solam turbare, & sursum deorsum vertere Patriam nostram, totque in ea funestas tragædias excitare, quas jam per decennium cum lachrymis & gemitu Pii omnes spectarunt: Nec desinunt, hodieque potestates summas incendere atque inflammare, ut omni crudelitatis genere sævire pergant in eos, à quibus doctrinam istam fortissime oppugnari sciunt. Nempe, nisi vi stabiliatur & retineatur, perituram & dilapsuram eam vident sponte sua, non aliter quam catarrhus dilabitur ac diffluit. Nec divinam iram crudeles turbatores metuunt, quia doctrina hæc ipsa facit ut metuere opus non habeant. Quicquid faciunt, id credunt aut peccatum non esse, aut, si peccatum est, id efficere non posse ut in iram Dei æternam incidant. Peccata omnia sua remissa esse credunt, antequam facta sunt, &, cum fiunt, efficere non posse, ut irrita fiat remissio,

aut ut, quam semel conceperunt animo, fides evanescat. Hoc æstro excitati sæviunt ubicunque rerum potiuntur. Et doctrina hæc est Helena ista, pro qua pugnant. Citius cælum terræ miscerent, citius Ecclesiam & Patriam suam sanguine Civium suorum cruentatam, fratresque suos inter se crudelibus consiliis commissos cuperent, citius regimen totum contra fas & jus eversum, leges omnes conculcatas pessundatasque, rectores optimos quosque è medio sublatos vellent, quam permittere, ut sint, quibus liceat libere Veneri ista suæ, peplum detrahere, & nude aperteque quam multorum malorum caussa sit mundo patefacere.

An quæ de pace & concordia præfati sunt Remonstrantes, serio ab iis sint dicta.

Ultimo loco observamus, quod justam dubitandi caussam esse dicat Censor, an, quæ de pace & concordia in fine præfationis suæ dixerunt Remonstrantes, serio ab iis dicta sint: Nempe quia ficum ficum, & Scapham scapham vocarunt, id est, Ecclesiam Calvinisticam, quæ Synodi Dordracenæ placita nuper sancivit, veritatis & pacis hostem, cum qua pax & concordia coli non potest, sine manifesto salutis aut periculo aut dispendio. Ita est. Hoc profitentur palam publiceq;, fieri non posse ut salutẽ consequatur is, qui juxta axiomata Ecclesię istius vivit, & crudelem praxin ejus contra innoxie errantes aut probat aut non improbat: Axiomata ejus non sinunt ut pie & sancte ex præscripto Christi vivatur: Praxis ejus repugnat directe regiæ Christi legi, id est, caritati, quæ innoxii sanguinis fusionem penitus aversatur. *At*

Heb. 12.14. *sine sanctimonia & pace nemo videbit Dominum*: Atque hæc cum aperte profitentur, non tamen idcirco eos, qui doctrinam istam tenent, convitiis, maledictis ac calumniis incessisse censendi sunt: Absit hoc ab iis: Doctrinæ labem detegere, non est ejus professoribus maledicere; Vivis coloribus falsitatem depingere, non est convitiari; Sententiam suam de ea ingenue dicere, non est calumniari. Nec λοιδορία est, si quis eum, qui monstrosas opiniones & horrenda dogmata profitetur, monstrosarum opinionum Doctorem & fautorem vocet; si eum, qui hæreticidii patronus, persecutionis suasor & author est, crudelem & sanguinarium Doctorem vocet; dicit enim quod res est, & quod palpari potest verissimum esse. Neque igitur jure, à concordiæ & pacis studio alienus censeri potest, qui cum istis pacem & communionem, sine salutis periculo, coli non posse ait. Pacis enim & concordiæ studium non debet excedere limites divinæ permissionis: Intra hos si stetur, tum verò pacem Christianorum omnium ex animo cupiunt Remonstrantes. Quicquid ad eam conciliandam, aut conservandam

vandam facere poteſt, in id pro virili ſua enituntur. Pro iſta Deum rogare nunquam deſinunt. Nec dubitant, quin pax iſta parvo redimi poſſit, ſi modo adferantur animi veritatis & pacis ſtudioſi. Dolent animitus, eò rediiſſe res Chriſtianorum, ut concordiæ ſpes omnis pænè decollaverit, dum quælibet Secta contenta ſe ab idololatricis & ſuperſtitioſis cultibus, & damnatis quibuſdam ritibus repurgaſſe, id fere unum agit, ut ex opinionibus & placitis ſuis orthodoxum & Chriſtianum hominem æſtimet, eoſq; tantum, quos per omnia iſta placita ſibi conſentientes habet, recipiat foveatque in ſinu ſuo, nullo pæne vitæ cæteræ diſcrimine: Contra qui à placitis & opinionibus iſtis vel latum unguem diſcedunt, eos, licet idololatriæ hoſtes & ſanctimoniæ paciſque ſtudioſiſſimos, cætu ſimul ſuo ac cælo velit eſſe excluſiſſimos, quin imo eos adeò hoſtilibus, adeò diris odiis, adeò atrocibus animis perſequatur, ut majoribus vix poſſit. Sola opinionũ conſenſione, non aliter quam teſſera & Sacramento, ſuos dignoſcit. Quanto quis fortiores iras gerit pro iſtis opinionibus contra diſſentientes, quãto acrius in eos furit ſævitque, tanto ſincerior, tanto purior, tanto creditur eſſe reformatior. Modeſtiæ, innocentiæ, humanitatis, caritatis, commiſerationis cura nulla, aut exigua habetur. Vt nihil in moribus offendas, tamen in ſenſu rerum divinarum vel ceſpitare capitale eſt. Adverſariis veritatis puræ, quam vocant (ſed heu nimium ſæpe impuræ ac profanæ!) acerrime contradicere, vatiniana odia contra eos exercere, longiſſime ab iis recedere, eos proſcribere, relegare, incarcerare, aqua & igni interdicere, etiamſi ſint vitę prorſus inculpatæ, & pacis amantiſſimi ſimul ac ſtudioſiſſimi, apex pænè veri zeli eſſe creditur. Hoc fletu, hoc lachrymis dignum cenſent Remonſtrantes. Hinc alia illis mens, alius animus. Propter meras opiniones, quibus nulla ſuperſtitio, nulla idololatria, nulla impietas cohæret, hoſtiliter in partes ire, pro nudis meriſq; Sectarum quarundam placitis pugnare, non aliter quam pro vero ac puro Dei cultu, id verò probroſum Chriſtiano nomini putant. Hinc neminem ſic à ſe diſſentientem aut fugiunt aut fugant, ſi modo pie in Chriſto & pacifice cũ ipſis velit vivere. Solos impios, profanos, mundanos, contentioſos, maledicos, rebelles, implacabiles, λοιδόρους, ἀσπόνδους, ἀσυνθέτους, μεστοὺς φθόνου, φόνου, ἔριδος, δόλου, κακοηθείας, ἀνελεήμονας, προδότας procul à ſe eſſe jubent. Hæc eſt gloria Societatis eorum. Hac teſſera diſciminari gaudent à cæteris omnibus Sectis, imprimis ab iſtis, ubi penè omnia licent, præter quam diſſentire: Hic limes, hic terminus eorum eſt, Neminem pium

à ſe excludere, nec profanum admittere, diſſentientes omnes ferre atq; amplecti: Deus illis hunc terminum figit, eum refigere in gratiam cujuſquam nec debent nec volunt. Quos Deus cælo ac throno ſuo glorioſo dignatur, eos cur illi non dignentur ſocietate ſua? Quos ille non excludit domo ſua, cur eos illi excludant cætu ſuo? Atqui certa res eſt, omnes & ſolos pios ac fideles Dei cultores, omnes pacificos Chriſti Filii ſui imitatores Deus cælo & domo ſua dignari vult. Solos profanos & caritatis paciſq; expertes exeſſe jubet: Diſſentientes aut errantes à ſe ſeparare, aut ſe ab illis ſegregare nuſpiam mandatū ſibi legunt. Nec referre putant Remonſt. in quocunq; dogmate ſit diſſenſio, dum modo dogma iſtud Deum & pietaté non lędat, &, qui iſtud profitetur, pacem cum diſſentientibus colere ex animo paratus ſit. Quod hic Cénſor *ſe audire vocem Iacobi, ſed manum Eſau ſentire, imo nec vocem Iacobi, ſed vocem plane profanam audire ait*, id parum eos movet. Norunt jam eum præ zelo caligantes oculos ac manus ſtupidas habere, ad pacis monita obſtinaſſe animum ſuum, & tantū non obſurduiſſe ad Remōſtrantium vocem, atq; idcirco Iacobum ab Eſauo diſcernere non poſſe. Quare nec penſi habent, quod eos, *ſub hoc pacis ſpecioſo*, ut ait, *nomine, Socini Religionem introducere velle ſcribit*. Iam enim ſatis teſtatum mundo fecerunt quam Religionem introductam velint, quid credant, quid ſentiant. Confeſſio eorum id docet: Socinus, Calvinus nomina ſunt Sectarum. Neutri Sacramentum dixerunt unquam, nec dicere volunt. Si quid hic, aut ille bene ſenſit ſcripſitq; ad mentem Chriſti, id libenter amplectuntur. Nec curant an Socini an Calvini Theologia dicatur. Id ſane ſuſque deque habent. Qui aliter ſentiunt, eos credunt cum Calvino Tyrannidem moliri, vetera Antichriſti veſtigia premere, & ſub mutato titulo, Papatum, quem ore damnare videri volunt, opere ipſo ſtabilire ac confirmare. Cum iſtis pax ut ineatur impoſſibile eſt. Non cupient eam, niſi habeant id omne quod volunt. Alio pretio pax non redimitur ab iſtis hominibus. Nec mirū: ut enim eam aut cupiant, aut ineant, alia lege, à doctrina aut ab animo ſuo, non magis quā Pontificii, poſſunt impetrare: uti enim Pontificii credunt ac palā profitentur, ſe in doctrina & fide, ut vocant, errare non poſſe, ac proinde ne pilum quidem in ea cuiquam volunt concedere: ita hi, etiamſi id non profiteantur, imo contrarium ſe credere proteſtentur, reipſa tamé idem prorſus credunt, utpote perſuaſionis pleni ſe iſta fide præditos eſſe, quæ à Deo ſpeciali gratia infuſa eſt, & excidere nunquam poteſt. Quam docilitatem, quam æquitatem, quam moderationem ſperes aut ex-

expectes ab his mortalibus? Æthiopem lavas, & littus aras, ſi cum iis de doctrina eorum diſputes. Iſtis errorem ſuum oſtendere tantundem eſt atq; Iſthmum velle perfodere, & fidem, quæ doctrinam iſtam reſpicit, & quam credunt excidere nunquam poſſe, pectoribus eorum velle excutere. Nolent videre, etiamſi Solem manu tua portes. Et quid rationibus promovebis apud eos, qui credunt fidem ſuam omnipotente Dei manu in ſe effectam eſſe, & eadē vi in ſe conſervatam ſemper iri? Ab his itaq; fruſtra pacis aut moderationis conſilia exſpectare ſe ſciunt Remonſtrantes. Nec inopinati quicquam ſibi accidere credunt, quando eos reſpuere atque abominari vident conſilia omnia pacis, quæ Chriſtiano orbi dant: Sciunt aut prorſus ſentiendū eſſe cum ipſis, aut actum eſſe de pace. Nemo eos poteſt habere niſi aut ſocios, aut hoſtes. Fatalis prædeſtinatio, malorum omnium lerna, non ſinit aliter fieri. Neq; tamen deſperant idcirco, quin futuri ſint probi ac pii inter omnes Sectas, qui, ſi non probabunt conſilium eorum, ſtudium tamen eorum ad pacem & concordiam promovendam non ſunt improbaturi. Quod ut fiat, ex animo & ſupplices Deum rogant.

Præmittuntur generalia quædam quæ lucē ſequenti examini dant, de Socinianiſmi macula, quam Confeſſioni inurere propoſitum ante omnia habuerunt Cēſores.

Interim, ne cuiquam ſit obſtaculo hæc Cenſura, ad eam examinandam nos accingimus, ubi primum nonnulla de ſcopo Cenſorum, quem propoſitum ſibi habuerunt, præmonuerimus. Quiſquis Cenſuram accurate & cum judicio conſiderat, is prima ſtatim fronte deprehendit, id potiſſimum dediſſe operam Cenſores, ut, ineptientis Bodecheri veſtigiis inſiſtentes, Remonſtrantium Confeſſionem Socinianiſmi non tam juſta labe, quam inani nomenclatura penè ubique infamarent. Tria huic rei fidem faciunt. I. Quod in Confeſſione eorum, ea etiam ut Sociniana cenſuerint, in quibus Socinianos cum Orthodoxis conſpirare certiſſimum eſt, ipſique adeò aperte fateri coguntur. II. Quod ea, quæ vel Socini nullo modo ſunt, vel quæ Socinus ab his aut illis Reformatis Doctoribus mutuatus eſt, vel quæ cum Scriptoribus neutiquam aſpernandis habet communia, ſolo Sociniſmi titulo gravent, ut inviſi atque exoſi nominis maculam, veluti atrum ſtigma iis inurant. III. Quod quæ Socini non ſolum ſententiæ, ſed & phraſi contradicunt, Sociniſmi tamen veru atque obelo confodiant, ea ſolum de cauſſa, quod vel in terminis Socinianæ ſententiæ condemnationem non contineant, vel non iſto modo, iſtis terminis, iſtis phraſibus, iſta via Socinum oppugnent quæ in Scholis eorum uſitatæ ſunt. Et in hiſce tribus cardinibus totus labor Cenſuræ vertitur. Mirum. a. quanto artificio, quanta cura, quanto

Tria indicia ponuntur, unde patet, turpitudo & iniquitas tā maleſani propoſiti.

quanto molimine ubique fere occupentur Censores, ut speciem & colorem aliquem huic nomenclaturæ possint dare: Credas eos subinde velut victores receptui canere & sibi ipsis accinere illud εὑρήκαμεν εὑρήκαμεν. At si ineptientem Bodecherum tantum ob oculos habuissent, sensissent utique se ea in re nullum operæ pretium fecisse apud eos, qui rerum momenta ponderant. Et jam pridem Remonstrantes testatum orbi Christiano voluerunt, atq; etiamnum testatum volunt, sibi susque deque esse quodcunque tandem invisum nomen sententiæ ipsorum præscribatur. Nomenclaturis offendi stultum putant & ridiculum. Istis verò etiam Reformatos pugnare inglorium ac probrosum. Norunt ipsos illos, quorum hoc jam carmen est, in principio Reformationis pæne omnium, qui unquam fuerunt, hæreticorum nomenclaturis gravatos, mactatos, ac tantum non obrutos fuisse: Nihil à summa ad imam chordam sonabant olim Adversarii, quam veterum hæresium pænè omnium nomina, quas de novo paxillo suspendi ab iis clamabant. Neque ab hostibus tantum id factum sciunt, sed non rarò ab amicis, & qui Reformationis laude cæteris præstare volebant, si quando fiebat ut in diversas opiniones ac sententias discederent. Quas non hæreses à Reformatis Bergensibus Ecclesiis suis impactas conqueritur Admonitio Neostadiana? Calvinus Arrianizans Hunnii, an non viritim atque in omnium manibus teritur? Et profecto nullus pænè est Scripturæ locus, quo se tueri veteres Patres solebant contra Arrium, Samosatenum, aliosque, quem non injuria sibi objici Sociniani à Reformatis clamant, quod inter alios Calvinus eos interpretatione sua non tantum luxaverit, sed in sensum qui opinioni eorum optime quadrat, flexerit. Calvino-Turcismum aliaque non allego. Quare qui nunc idem faciunt, iis vel fermentum vetus Pontificiũ ad huc sapit, vel ad istud redeunt, veluti ad vomitum canes. Reformationis gloria in eo sita est, quod ad unicam Scripturæ amussim dirigatur, & non pugnet nisi justis argumentis ac solidis rationibus. Qui ab istis vel latum unguem discedunt, ii probro sunt Reformationi, & ridendos se propinant suis Adversariis. Aut intra ista consistendum est, aut redeundum est ad vetus & semel excussum jugum humanæ autoritatis. Medium non datur. Distinctionibus, exceptionibus, restrictionibus, non eluitur tam fœda macula. Qui sapiunt, ii eandem fabulam agi vident, sed sub alia persona ac larva, quam detrahere non est difficile. Hoc semel dictum esto.

Iam verò, ut, quod caput rei est, attingamus, Censores nulla justa Soci-

Socinianiſmi labe Remonſtrantium Confeſſionem notaſſe, aut notare auſos fuiſſe ex hoc manifeſto indicio liquet;

Quod capita iſta, in quibus placita Socino propria ſita ſunt, non modo fateantur in Confeſſione eorum non deprehendi, ſed diſerte quæ de iſtis capitibus à Remonſtrantibus in Confeſſione ipſorum declarata ſunt, talia eſſe agnoſcant, quæ orthodoxam ſententiam continent, *ſi modo quod verbis teſtantur* (ut ajunt) Remonſtrantes *animo ſentiunt*. Capita iſta ſunt de Trinitate, de Deitate filii, de perſona Christi, de Satisfactione. Verba eorum in Cenſura capitis de Trinitate pag. 52. lin. 15. hæc ſunt; *Verum Remonſtrantes nobiſcum credunt Ieſum Chriſtum eſſe natura verum & æternum Deum, ſi, quod verbis teſtantur, animo ſentiunt.*

Demonſtratur ex ipſis Cenſorum verbis Confeſſionem Remonſtrantium Orthodoxam eſſe, in capitibus præcipuis.

I. De Trinitate.

De Deitate Filii ac Spiritus S. ſic cenſent pag. 54. lin. 16. *Deitatem autem Filii & ſpiritus, inter alia maxime probari affirmant ex divinis nominibus ſeu titulis, item ex divinis proprietatibus & operationibus, quæ utriq; in ſacris literis aperte paſſim tribuuntur. Quæ ſane ſuā vim ac robur habent, modo non negligantur alia quæ à ſanis Theologis invicta ſemper habita ſunt.*

II. De Deitate Filii ac Spiritus S.

De perſona Chriſti pag. 120. lin. 17. Remonſtrantibus tribuunt, *Quod ſectiones duæ in Confeſſione eorum ita de ea ſint conceptæ, ut nihil habeant contra fidei analogiam.*

III. De Perſona Chriſti.

De officio Chriſti pag. 121. *Remonſtrantium pleraque omnia talia eſſe dicunt, quæ in juſtam reprehenſionem non incurrant. Cum enim fateantur initio, Chriſtum triplex ſuum officium univerſum, partim jam olim in terris ſub ſtatu humilitatis & exinanitionis fideliter adminiſtraſſe, partim etiā nunc in cœlo, ſub ſtatu gloriæ & exaltationis, glorioſe adminiſtrare: Videntur omnino nobiſcum agnoſcere, Chriſtum non ſolum ante reſurrectionē ſuam fuiſſe Prophetam: quod ſolum Sociniani ipſi tribuunt: ſed etiam jam tum fuiſſe ſacerdotem & regem, quod negavit Socinus.*

IV. De Officio Chriſti.

Pag. 122. ſect. 9. *Sic loquuntur*, ajunt, *Remonſtrantes, Chriſtum non eſſe Servatorem ſolo præconio, exemplo & martyrio ſuo, ſed etiam vero erga Deum merito & efficacia. Quibus etſi, verbis ſaltem, fateantur quod verum eſt, Chriſtum merito & efficacia eſſe Servatorem &c.*

Confeſſio itaque Remonſtrantium vel ipſis Cenſoribus judicibus, in iſtis capitibus à vera Socioiniſmi labe immunis eſt, ſaltem quod ad ſummam rei attinet, & ſi verba eorum videas prout jacent. Quid pluribus argumentis opus eſt? Nec contra quicquam facit, quod in capitibus iſtis hic illîc nonnulla Doctores cenſeant: ea enim non rem ipſam capitum, ſed circumſtantias rei ſpectant, & non nituntur

rationibus, sed meris suspicionibus, atque inanibus harialotionibus & frivolis conjecturis, quas postea confutabimus. Multo verò minus contra hoc facit quod addunt, *Si quod verbis testantur, animo sentiunt.* Id enim prorsus indignum est Censoribus Christianis, & animum eorum censendi nimis avidum arguit. De animo Remonstrantium frustra sunt solliciti. Eum impossibile est ut aliter mortalium ulli probent quam verbis. Ex illis æstimandi sunt; si istis eum sibi probari negent Censores, quibus tandem eum probari sibi volent? Suisne? At si fallere, si prævaricari verbis in animo habuissent Remonstrantes, haud difficulter suis etiam ipsorum verbis Censores fallere potuissent. Fallere volenti, verba omnia serviunt: Ex instituto sunt & ferè πολύσημα; plures enim sunt res quam verba, ut inquit Aristoteles. Nihil tam accuratè dici potest, quod cavillo omni carere possit, si modo velis. Qui fallere vult, is verbis etiam exquisitissimis fallere potest. Nunquam finis erit, si quis suspicioni velit indulgere. Suspicio cuilibet voci & rei duas, imò plures ansas aptare, nullo negotio potest: Fœcunda est imaginatio, &, si velis, infinita; uti sine fine interpretationes sibi ipsi fingere potest, ita sine fine modoque eas ab aliis quærere potest, aut desiderare: Ne longè abeam, in ipsa materia de Trinitate, vide voces essentiæ, personæ, substantiæ, consubstantialitatis ὁμουσίου, ὁμοιουσίου, subsistentiæ, assumtionis, naturæ, etsi quæ sunt aliæ. Personæ vox veteribus Latinis, uti & vox προσώπου Græcis, non significant nisi qualitatem, Etymologia id indicat. Apud Theologos verò quot de ea definitiones reperiuntur? Essentia, substantia, οὐσία, natura, nunquam ferè in Scripturis, & valdè raro Scriptoribus, imprimis Iureconsultis & in usu communi significant id quod apud Philosophos, hodieque significant, &, post natam controversiam cum Arrio aliisq;, significare cœperunt. Per vocẽ Consubstantialitatis sive ὁμουσίου, non essentiæ unitatem, sed similitudinem Filii cum Patre ipsos Nicænos Patres intellexisse prolixè ex historia probare conatur Andreas Fricius, rectè an secus jam non quæritur. Per similitudinem autem illam eos indicasse, filium Dei esse mediæ naturę inter ingenitum Patrem & inter Creaturam. *Post illam Synodum, quot inter Orientales & Occidentales Ecclesias contentiones de illa voce fuere? quot etiam inter unius & ejusdem Provinciæ Episcopos? imo & inter eos, qui privati essent, quot certamina excitata? Episcopi*, inquit Sozomenus lib. 2. 18. *temporis illius* (erat autem tempus illud vivo adhuc & imperante Constantino) *inter se dissidebant, homousii nomen accuratè examinantes. Et Arriani quidem homousianos*

Ostenditur quam absurda & stulta sit clausula Censoris, Si quod verbis testantur, animo sentiunt.

Andreas Fricius Sylva quarta, cap. 1.

mousianos blasphemiæ accusare, quasi filium extra substantiam esse sentirent. Contra homousiani Arrianos & Ethnicos aversari, tanquam suspicionem plurimum Deorum inducentes. Ad hæc Orientales nomen essentiæ omittere, illosque tantum qui Filium Dei ex non existentibus, aut ex alia quam Dei substantia fuisse affirmarent, execrari. Contra Occidentales ejusmodi Orientalium decreta rejicere, solisque Nicænæ Synodi decretis standum esse contendere. Quapropter Synodus tandem Sardicæ coacta homousii vocem omittere, illosque tantum excommunicare qui vel tres Deos, vel Christum non Deum, vel Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unum & eundem, vel Filium ingenitum dicerent. Eundem ad modum & in formula Syrmii composita & Arimini recitata, nomen οὐσίας propterea quod à Patribus simplicius positum esset & populis incognitum, offendiculum pareret, amputandum, ejusque mentionem nullam deinceps fieri debere censebant, cum quidem divinæ literæ nusquam Filio, nusquam Spiritui sancto nomen οὐσίας tribuant, similem a. per omnia Patri Filium doceant. Etsi autem multi Episcoporum hujusmodi decretis intercesserunt, idque missis literis cum legatione ad Constantium testati sunt, Tamen & in Synodis sequentibus id confirmatum est, vide Socrat. lib. 2. c. 37. Theodor. lib. 2. cap. 18. 19. 21. ὑποστάσεως vox, quam diverse accipiatur in scholis à recepta Scriptoribus, Sacris, Medicis, aliisque, significatione quis ignorat? Quid? an credunt Censores materiam fallēdi deesse potuisse Remonstrantibus, si eos suis ipsorum verbis fallere propositum habuissent? Ipsi apprime norunt quibus verbis, quibus phrasibus in nupera Dordracena Synodo deceperint orbem Christianum: Singuli Canones totidem cothurni, singulæ fere voces totidem decipulæ sunt, quibus populo imposuerunt, & concordes Doctores visi sunt. *Historia Concilij Tridentini* nuper edita monstrat quanta arte laboratum in eo sit à legatis Papæ, ut phrases ac periodos reperirent, quæ dissentientium Doctorum pedibus possent aptari, salva manente sua cuique sententia, & Ecclesiæ recepta fide. Et quid non ex professo egit *Synodus Sendomiriensis* in Polonia, uti Calvinistæ & Lutherani, alioquin capitales inter se hostes, consentirent in formulas, quas pro arbitrio suo quilibet posset interpretari, atque aptare animo suo? *Remonstrantes* quamquam sciebant non defuturos inter Calvinistas, qui omnia eorum acriter censerent, & dentibus atque unguibus acutissimis vellicarent, maluerunt tamen, postquam ab iis per vim ejecti, & sine ulla commiseratione segregati atque expulsi erant, propriis suis verbis ac phrasibus uti; non quod eas calumniæ non obnoxias futuras credebant (quis enim ita

Remonstrantium candor in Declaratione ipsorum.

loquatur, ut malignum calumniæ dentem evadat?) ſed quia ſimpliciores, Scripturæ propiores, & capacitati lectorum omnium accommodatiores eſſe videbantur. Quod ſicubi aliis ſunt uſi, id non ſponte ſua, ſed inviti penè fecerunt: Adeò perverſo ac maligno ſæculo vivimus. Alioquin planiſſimas & maxime perſpicuas phraſes ubique adamaverunt & ſectati ſunt: ſecuri cum quo illas communes haberent: Id enim nimis vernile eſt. A ſcholaribus conſulto abſtinuerunt. Æquivocas, ambiguas, ἀμφιῤῥεπεῖς, quantum licuit ſolicite evitarunt. Niſi id propoſitum habuiſſent, breviorem multo Confeſſionem, ad inſtar multarum, quæ in harmonia extant, edere potuiſſent, & ſub obſcura brevitate, verborumque contorto volumine, ſi quas habuiſſent hæreticas opiniones, tegere. Nunc, cum aliter egerint, & non tam Confeſſionem, quam declarationem apertam ediderint, immerito ſane in ſuſpicionem vocantur affectatæ, ſeu ſimulationis, ſeu diſſimulationis. Sed ea eſt calumniæ & ſuſpicionis indoles. Vbique reperit quod ſuggillet. Si brevis eſt oratio, ex profeſſo obſcuritas dicitur affectari & arcanum mentis tegi. Si clara & prolixa eſt oratio, an verba cum animo conveniant in dubium vocat, & non de declarationis, ſed declarantis ſinceritate ſcrupulum movet. Ita ſemper habet malevolus animus, ad quod hæſitat. Si Remonſtrantes jure talionis agere vellent, quid non haberent, præter omnes iſtas conſiderationes, quas ſuper Confeſſione, & Catecheſi Palatina, Synodo Dordracenæ obtulerunt, in ſingulis, non dico Articulis, ſed periodis, quod ſequius interpretari & obelo poſſent configere? Nec enim articulus pænè ullus eſt, in quo non aut pleraque eorum deſunt, quæ in Confeſſione Remonſtrantium Cenſores deſiderant, aut non verba fere eadem reperiuntur, quæ ſenſum varium dicunt admittere, aut ſi verba ſatis ſunt exacta, in quo non ſcrupulus reperiri, aut injici poſſit, de animo eorum, qui verba iſta, ſuâ eſſe volunt. Sed id impræſentiarum non faciunt Remonſtrantes, ne vicem rependere & vindictæ ac talionis magis, quam innocentiæ ſuæ ſtudio duci videantur.

Tria alia indicia, quæ probãt, Cenſores Remonſtrantium Confeſſionẽ non Socinianiſmo ſed ſola Socianiſmi ſuſpicione gravare.

Atque hoc eſt indicium iſtud, ex quo patet quod Cenſores Confeſſionem Remonſtrantium nulla juſta labe notare auſi fuerint: quod non parum augetur. I. Ex Cenſorum continuis locutionibus, quæ ferè à capite ad calcem uſque non deſinunt, niſi in verbum *Videtur*; quod pluſquam millies ingeminatur in hac Cenſura. II. Ex petitionibus, quas creberrime faciunt, ut Remonſtrantes propius ſe in omnibus pæne Articulis declarent. III. Ex eo quod plerorumque arti-

culorum

culorum veritatem & necessitatem adeò solicite confundunt, ut certo statui non possit, quid Remonstrantibus tribuant, an quod veritatem eorum in universum negent, an quod necessitatem eorum, seu in universum, seu ex parte in dubium vocent; an quod de utroque simul hæsitent: Cribro opus est, ut mentem eorum divines. Hæc qui faciunt, illis justa argumenta desunt ad fidem faciendum, ac proinde Conclusio eorum in frivolam *Suspicionem* desinat necesse est. Suspicio caput & cauda Censuræ est.

Verum enim vero, quia rem hanc liquere volunt in articulo de *Justificatione*, quem in fine Censuræ suæ *Fundamentalem Reformationis Articulum* vocant, *quod sine dolore & horrore se non dicere profitentur*: operę pretium foret, ut, quo jure id ab ipsis affirmetur, accurate expenderetur. *Hic enim Remonstrantes, manifesto teneri Socinismi, &, quod accusationis caput est, apertum bellum indixisse universæ Ecclesiæ Reformotæ pag. 141.* non dubitant affirmare. Quare, si ab ista labe immunes esse Remonstrantes probetur, nihil restat, ad innocentiam eorum probandum, quantum ad fundamentales Reformationis Articulos attinet. Sic enim loquuntur Censores, tanquam si, præter hunc, nullum alium Reformationis Articulum fundamentalem agnoscerent, Sed, quia de hoc Articulo cap. x. & xj. Censuræ ex professo tractant, eò Lectorē remittimus, ne bis idem agamus. Ad Censuram ipsam progrediamur.

Ejus frontispicio prætexitur *Admonitio, de titulo Confessionis.* Nimirum, usque adeò impura est Confessio, ut à titulo etiam ipso contagionis periculum sit. Cautione opus est, ne aditus ejus ingredientibus noceat, & hæresin affricet. Bone Deus! quam inquietus est suspicax animus, & quem prava censendi libido agitat! Omnia tuta timet, & sub omni viridi saxo Scorpium latere credit. *Sub fucato nomine declarationis insidiæ latent*, ait Censor hic, quisquis est, (sane stylus, & argumentandi, distinguendique modus *Virum* arguunt) id est, sub ipsa claritate latent tenebræ, & sub candoris nive hypocrisis ac dolus? Ita est. Ex istis ipsis vocibus, quas innocentia elaboravit à moliendæ criminationi materia criminationis petitur. Quid facias? Nos hic non reciprocabimus serram contentionis per eandem lineam. Fieret, quod dicitur, *Thuscum jurgium.* Jam ante satis superque, in examine Censurę ad Præfationem, hac tota de re actum est, Cur vid. Remonstr. *Declarationis* voce potius usi sint, quam voce *Confessionis*, & quam inepte iis tribuatur *fides annua, menstrua & horaria*, & simul prolixe responsum ad totum istud, quod hac admonitione continetur. Tu Lector vide sis, & confestim intelliges Censorem hunc in ipso Titulus Declarationis frustra censetur.

 Censuræ

Censuræ limine, tam turpiter lapsum esse, ut *Cantherius in porta* dici mereatur.

AD CENSVRAM
CAPITIS I.
De S. Scripturæ autoritate, perfectione, & perspicuitate.

P*Rimam Censuram* orditur Censor à felle & à suspicione: Fel in præfatione est, quod animum Censoris etiam hujus valde exulceratum arguit. Nos illud respuemus, ut sordidi ulceris excrementum. Suspicio, Censuræ basis est. Quid mirum? Ea facit in toto Censuræ corpore proram & puppim. Tolle suspicionem, jacebit Censura

Veluti ingens littore truncus.

Quod, ut piis omnibus totique orbi Christiano liquido constare possit, (*verba sunt Censoris*) singulas Censuræ sectiones κατὰ πόδας persequemur, & quam monstrosis hariolationibus, vanis conjecturis, & inanibus suspicionibus, refertæ sint, demonstrabimus. Tu Lector, adhibe animum & judicium procul omni gratia & odio, nec à quibus, sed quid dicatur, adverte.

Initium Declarationis Remonstrantium hoc est: *Quisquis Deum rite colere, & æternam salutem certo atque indubie consequi vult, ante omnia ei necessum est, ut credat Deum esse*, &c. *Hæc Remonstr. Assertio, inquit Censor, etsi verbis Apostoli sit adornata, quibus ad fidei descriptionem utitur Hebr. 11. 6. mens tamen ipsorum nobis suspecta est, quod verba Apostoli, præter scopum ipsius, duplici Socinianorũ glossemate interpretari* (*NB*) VIDENTVR. *Prius est, quod phrasin,* Accedentem ad Deum, *qua Apostolus utitur, exponant cum Smalcio, per Deum colere. Alterum est quod* quærere Deum, *exponant cum eodem Smalcio, per pie vivere, & ad regulam bonorum operum à Deo præscriptam se & vitam suam componere. Unde deinde concludit, suspicionem justam esse quod Remonstr. Socinianis astipulentur, ut qui fidem non tantum per fiduciam, verum etiam per operum obedientiam definiunt.*

Quam

Quam longe petita sit hæc suspicio, quis non videt? Ambagibus opus est, quas ne Ariadne quidem inveniat aut filo suo circumeat. Cæterum quam sit ea vana ac futilis, sic demonstramus. Primum glossema quod attinet: Remonstr. phrasin illam sacri Scriptoris, *Accedere ad Deum*, exponere voluisse per *colere Deum*, ne probabili quidem ratione evincet Censor. Non enim dicunt, *Accedere ad Deum* & *colere Deum* idem esse, sed tantum, in eo, qui legitimus & verus Dei cultor censendus est, requiri duo; *Fidem*, qua credit Deum esse, eumque præmia largiri quærentibus ipsum, & ipsum *Quærere*, id est, divinæ voluntatis obsequium. *Accedere ad Deum*, qua phrasi Scriptor sacer utitur, ut interpretarentur cum Smalcio per *colere Deum*, necesse non erat quanquam quid in eo absurdi foret? imo causa erat, ut non interpretarentur per *colere Deum*. *Accedere* enim *ad Deum*, longe aliud quid Scriptori Sacro hoc loco significare, versus præcedens non obscure arguit, cum *Enochum à Deo translatum fuisse per fidem* affirmat, *ne videret mortem*: Sic enim infert, Translatus fuit à Deo, ergo credidit Deo. Ratio est, quia si translatus fuit, placuit Deo: *impossibile* autem *est placuisse Deo sine fide*. Qui enim ad Deum transfertur, aut ad Deum accedit, ut cum eo æternum sit & vivat, eum *credidisse*, antea sc. (πιςεῦσαι enim est in textu, non πιςεύειν) *oportet*, *Deum esse*, *& præmia largiri quærentibus ipsum*. Accedere itaque ad Deum, hoc loco idem valet, quod ad gloriosam & immortalé vitam apud Deum possidendam transferri, quo sensu forte ἐγγίζειν τῷ θεῷ *appropinquare Deo* accipitur Cap. 7. 19. & *accedere ad Deum judicem omnium*. Cap. 12. 23.

Vanitas primæ suspicionis.

I.

Accedere ad Deum quid significet Scriptori ad Hebræos.

Secundum glossema quod attinet, in eo clarius adhuc apparet suspicionis vanitas. Nam I. cum Remonstrantes dicunt, *Ac proinde necesse est ut ad eam normam ac regulam se componat*, inepte parenthesin hanc inserit Censor, *Bonorum* sc. *operum*: Per regulam enim ad quam se componere debet Dei verus cultor, non intelligunt isthic Remonstr. regulam bonorum operum, contra-distinctè à regula fidei; Absit: Sed regulam fidei & bonorum operum simul. Fidei, inquam, qua indubitanter credimus Deum esse, & qua certo persuasum habemus, Deum præmia largiri quærentibus ipsum. Hæc enim firma fides, non habetur sine divinæ voluntatis cognitione. Eadem obedientiæ ratio est: Consequentia patet, Indubitata præmii spes & definitus ac determinatus obediendi modus à sola voluntate Dei dependent: Ergo necessaria est cognitio regulæ istius, qua voluntas tota divina expresse continetur. II. Verba ista; *Componere*

Vanitas suspicionis ostenditur plenius in secundo glossemate Censoris.

II.

ponere se ad normam & regulam istam, inepte Censor existimat ἐξήγησιν esse verborum istorum, *Eum oportet credere*, Sunt enim ἐξήγησις totius istius pronuntiati, quo non tantum credere Deum esse, & præmia largiri quærentibus ipsum, sed quærere etiam Deum necesse esse dicit Sacer Scriptor. Qui enim dicit, necesse esse, credere Deum præmia largiri quærentibus ipsum, is etiam necesse esse dicit Deum quærere. Quærere autem est obedire. Vtramque igitur, tum Fidem, tum obedientiam ex fide necessariã esse, ex loco isto concludunt Remonstr. si ad Deum velimus accedere, id est, Deo uniri, propitio Deo frui,& præmium à Deo consequi. Tantum autem abest ut fidem hic cum Socinianis non tantum per fiduciam, verum etiam per obedientiam operum definire voluerint, ut ne quidem per somnium, de ea re cogitaverint tam alieno loco. Aliud est fidem & obedientiam ex fide, simul necessaria esse ad hoc, ut æternum salvemur; aliud fidem non tantum per fiduciam, sed etiam per obedientiam operum definiendam esse. Istud, non hoc dixerunt Remonstrantes, sectionis
III. hujus initio. III. Imperite & inepte Censor hic addit: *Fidei seu fiduciæ in Deum, formalem actum esse, ad Deum accedere per Christum, obedientiæ actum formalem, Deo obtemperare ex Decalogi præscripto.* Nam, si fidei actus formalis est ad Deum accedere per Christum; tum sensus verborum sacri hujus Scriptoris erit: Accedentem ad Deum, id est, credentem in Deum, oportet credere, vel credidisse in Christum, Deum esse,&c. Si enim formalis actus fidei est accedere ad Deum per Christum; accedere itaque ad Deum, est formaliter in Christum credere. Quid futilius? Imo contra, Scriptor diserte dicit in Aoristo primo eum oportet πιστεῦσαι, credidisse: Nec vel hilum de fide in Christum loquitur, quod tamen facturus omnino fuisset, si formalem actũ fidei in eo situm esse dicere voluisset. Deinde, si actus formalis obedientiæ est obtemperare ex Decalogi præscripto, tum actus formalis obedientiæ non est obedire ex præscripto Euangelii: quo quid ineptius? Si enim præcepta Euangelii formaliter sunt præcepta, quomo-
IV. do obedire præceptis istis nõ est formaliter obedire? Accedit, IV. Perperam ex eo, *quod Remostr. locum ad* Gal. 6. 16. *conjunxerint cum loco* Matth. 7. 21. *ut probent, normam obedientiæ à Deo præscriptam esse doctrinam Legis & Euangelii*, Concludit Censor, *Remonstrantes statuere cum Socinianis, obedientiam esse formam fidei*: Nam quæ consequentiæ ratio? Deinde, nec potest, nec debet ignorare Censor, Remonstrantes in Cõfessione sua Cap. xj. & xij. ubi de fide & obedientia proprie dicta ex professo

professo agitur, totidem penè verbis, quibus ipse Censor hic utitur, Fidem facere & vocare *causam, matrem, fontem obedientiæ proprie dictæ.* Obedientiam verò *prolem, fructum atque effectum fidei*; imo quod omni exceptione majus est, eos duos articulos sive capita duo distincta de fide & de bonis operibus fecisse. Hanc tam apertam declarationem, ex locorum istorum duorum conjunctione, in suspicionem trahere, quid aliud est, quam in censendo suam imperitiam, dicam an malignitatem prodere? Atque hic primus in ipso limine lapsus mali ominis præsagium videri debet.

Par, si non major, imperitia se prodit *sectione* II. *Primum Confundere hic videntur Remonstr.* ait Censor, *quæstionem, an sit Deus, cum altera, Quis & qualis sit.* Cur? Nam, inquit, *loca S. Scripturæ, quibus hic utuntur, tantummodo indirecte probant quod sit Deus: cujusmodi sunt ad Hebr. 1. 1. 1. Ioh. 1. 18.* Atqui loca ista non allegantur, ad probandum seu directe, seu indirecte, quod sit Deus; Nihil minus; Magna hæc in disputatore Academico imperitia est: pertinent enim ad subjectum quæstionis, non ad prædicatum. Quæritur enim unde probetur Deum esse? & eum Deum, qui locutus olim est per Prophetas, & ultimis temporibus per Filium suum, uti Hebr. 1. 1. & 1. Ioh. 1. 1. legitur, verum Deum esse? Alterum est, *Remonstrantes silentio suo astute dissimulant alia Scripturæ dicta, quæ Sociniani ad naturalem Dei cognitionem homini detrahendam passim rejiciunt, ea sc. quæ Deum esse proprie ac directe ostendunt; cujusmodi sunt, quæ Psal. 19. Act. 14. Act. 17. & Rom. 1. ex operibus creationis ac providentiæ producuntur* Mera imperitia hæc est, & suspicandi libido. Nec enim Remonstrantibus propositum est, ista sectione simpliciter probare Deum esse; sed hęc duo simul, Deum esse, & eundem voluntatem suam, secundum quam coli vult, de qua præcedente sectione actum fuerat, singulis temporibus patefecisse; Imo hoc posterius tantum directe probare propositum sibi habent. Hoc enim evicto ac probato, prius istud simul probatum atque evictum est. Hoc posterius autem, quod vid. is, qui verus Deus est, voluntatē suam singulis temporibus patefecerit, ex operibus creationis ac providentiæ, aut ex istis locis, in quibus de illis operibus agitur, ut adstruerent, ratio non sinebat. Ingens itaque hic iterum σφᾶλμα apparet in disputatore hoc Academico, quod quæstiones non distinguat, & statū controversiæ non perpendat. Quod interim attinet quæstiones illas duas, quas Censor noster hic parum accuratus non distinguit; *An homini naturaliter insita seu innata sit divinitatis alicujus opinio*; Et, An *ex libro Naturæ*

Sectionis secundæ Censura ventilatur.

Censoris imperitia in primo membro.

Censoris imperitia in secundo membro sectionis.

turæ, qui vocatur, sive ex naturalibus principiis homo possit cognoscere Deum esse; De iis ut in hac Confessione sua quicquam definiatur, non modo non necessarium, sed superfluum etiam judicarunt. Etenim illa ipsa argumenta, quibus hac secunda sectione sua probant Deum illum, qui solus verus Deus est, olim multis modis multisque vicibus per Prophetas locutum esse, & ultimis hisce temporibus per Filium suum Iesum voluntatem suam manifestasse, non modo sufficere credunt, ad istud ipsum probandum cuilibet homini, quicunque tandem is sit, dummodo judicii & sanæ mentis expers non sit; sed & talia esse credunt, ut cætera omnia præ his infirma atque incerta, saltem operosiora, & controversiis pluribus impedita censeri debeant. Remonstrantes sequi amant plana facilia & brevia, quæ rudes & indocti sine ullo labore statim percipiunt, & doctissimi quique coguntur admittere, nisi cavillatores agere, & manifeste prævaricari velint. Quale hoc est; Ista signa, prodigia, virtutes, &c. factæ fuerunt: Ergo Deus est; & is qui ea fecit, verus iste Deus est, &, Religio, quam iste præscripsit, vera ac divina Religio est: Hoc argumentum prima statim fronte palpari potest. Cætera, quæ ex principiis Philosophicis deducuntur, tam operose sunt elaborata, tot exceptionibus involuta, tot distinctionibus, hypothesibus, postulatis intricata, ut indoctus ea sæpe adsequi non possit, & doctissimi quiq; non raro reperiant, quod in iis desiderant. Quicquid sit, Quæstionem illam, An sit Deus, & an ratione naturali cognosci ac probari possit Deum esse, ex professo hic tractare non voluerunt Remonstrantes; tantum, abest eam cum Quæstione, Quis & qualis sit Deus, confundere voluerint, uti *eos confundere videri voluisse* Censor asserit. Et, mirum est, quod Censor hoc in iis culpare præsumat aut ex eo Socinianismi suspicione eos gravare nitatur, cum collega ejus in *Synopsi purioris Theologiæ*, quā suo nomine editam etiam esse non ignorat, pag. lxiij. Thes. iij. hoc inter præcognita censendum esse affirmet, imo hoc quærere, *An sit Deus*, inter quæstiones illicitas & nefastas ponat. Sic enim ait: *In Theologia quærendum non est, An sit Deus, cum ut scientia suum subjectum, ita hoc ipsum Theologia præsupponat, quodque id, ut sua luce clarum, à piis disputari fas non sit.*

Quod Deus sit Confessio Remonstrantium inter præcognita censet.

Antonius Thysius.

Quod porro subjicit: *Hallucinari Remonstrantes, cum effatum Apostoli, Hebr. 1. 1. quo eandem doctrinam ore Prophetarum sub vetere, ac Christi sub N. Testamento prolatam fuisse asserit, hac interpretatione Socinianismum redolente explicant; Tandem vero postremis temporibus per*

per unigenitum Filium suum nobis ultimam voluntatem suam plenißime declaravit ac manifestavit: Hoc inquam, nil nisi ingentem suspicandi æruginem arguit. Nam nec Apostolus isto in loco asserit, eandem doctrinam ore Prophetarum sub V. ac Christi sub N. Testamento prolatam fuisse, uti audacter hic affirmat Censor, nec negat asseritve contrarium: sed ordinem tantum modumque quem Deus in revelanda voluntate sua observavit, indicat. Neque aliud hic indicatum voluerunt Remonstrantes. Per *ultimam voluntatem*, cujus revelationem per Filium Dei factam esse dicunt, non intelligunt, nisi eam, quam nulla alia revelatio subsecutura est; & quæ duratura est usque ad ultimum mundi terminum, contradistincte à revelationibus, quæ multis vicibus, multisq; modis per Prophetas, nunc hos nunc illos factæ fuerunt sub V. Fœdere; &, si sub Prophetarum voce Mosem etiam hic comprehensum velimus, contradistincte, revelatione illa, quæ per *Mosem* facta est, quatenus sc. ille divinam voluntatem Veteri fœdere comprehensam, populo Israelis, nomine Dei, manifestavit. Voluntas enim divina, isto Fœdere comprehensa, non erat ultima Dei voluntas: erat enim antiquanda & abroganda, uti diserte dicitur ad Heb. 8. v. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & cap. 7. 17. 18. 19. & jam etiam abolita atque abrogata est. Vnde *Lex per Mosem data* dicitur, *Gratia & veritas per Iesum Christum*, Ioan. 1. 17. Cæterum, an voluntas Dei ultima, etiam stante isto Fœdere veteri, non aliquo modo, saltem sub typis & umbris fuerit proposita, & per Prophetas prædicta, alterius loci est disquirere. Certum est eam *plenißime* tum declaratam ac manifestatam non fuisse. Et hoc est illud quod hic adserunt Remonstrantes: Emphasis enim est in voce superlativa, *plenißime:* Contrarium velle concludere ex vocabulo, *Vltimæ*, nihil aliud est quam suspicioni indulgere velle, &, rem per se manifestam, calumniari. Sed hac de re tota in sequentibus ex professo agetur, ubi ejus tractandæ sedes erit.

Vltima Voluntas quid significet in Remõstrantium declaratione.

Sectionis tertiæ Censura tam frigida est, ut tussim Lectori ciere possit. *Assertio*, inquit Censor, *Remonstrantium, quæ universam divinæ voluntatis, quæ quidem ad Religionem pertinet, declarationem comprehensam esse dicunt libris V. & N. Testamenti, adeò laxa est & lata, ut ipsi quoque Sociniani ei poßint subscribere, &c.* Quid tum? Et Orthodoxi ei non possunt tantum subscribere, sed & debent, adeòque subscribunt unanimiter. Particulam illam; *Quæ quidem ad Religionem pertinet*, hoc loco à Remonstrantibus insertam esse, contradistincte ab ea Voluntate, qua salutis & vitæ æternæ expressa promissio continetur

 tinetur

tinetur (quasi vid. dicere voluissent, utrisq; libris V.& N.Testamenti totam ad Religionem & cultum Dei pertinentem voluntatem Dei cō-prehensam quidem esse, sed eam voluntatem qua vitę æternæ promissio comprehenditur, solis N.Fęderis libris contineri.) vanissimum est. Imo contra, sub iis *quæ ad Religionē pertinent*, etiā promissum vitę æternæ, & quidem ante omnia comprehendere voluerunt: Tantummodo voluerunt particulam illam insertam, ut distinguerent voluntatem Dei ad Religionem pertinentem, ab illa voluntate divina, qua alia omnia in mundo vult facere, aut fieri, quæ ad Religionem non pertinent. Interim, an *distinctio illa voluntatis in voluntatem quæ ad Religionem & voluntatem quæ ad vitam æternam pertinet*, recta sit, & *An expressa vitæ æternæ promissio solis N. Fœderis libris contineatur*, alterius loci est disquirere, & suo tempore à nobis examinabitur. Vnum hoc loco tantum dico, Si claræ & expressæ Dei promissiones de salute ac vita æterna etiam libris V. Testamenti continentur, quid opus est ea de re digladiari? Proferantur loca & conclamatum est.

Cur declarationi Remonstrantium inserta sit particula: Quæ quidem ad Religionem pertinet.

Sectione quarta, censentur Remonstrantes, quod *libros Canonicos utriusque Testamenti, quos Sect. III. & IV. recensuerant, à viris divinis aut esse conscriptos, aut approbatos, in genere tantum affirmat; Interim quænam ac quorum sint illa Testimonia, quibus illud probari possit, neque hic, neque alibi nominatim significant.* At quis adeo iniquus est, ut id in Confessione tam brevi, & in re tam nota & apud Christianos omnes confessa, requirat? Legantur tantum quæ hac de re *Eusebius* variis in locis *historiæ suæ Ecclesiasticæ* scripsit, quæ passim à Theologis citari solent, & comperietur per ducentorum & quinquaginta circiter annorum spatium, id est, usque ad Eusebii ætatem, sine contradictione creditum fuisse, libros plerosque imo pæne omnes à viris divinis, & nominatim ab iis, quorum nomina præ se ferunt, conscriptos fuisse. Vt lib. 3. Eccles. Hist. Cap. 3. & 4 & 25. & lib. 5. cap. 2. & lib. 6. cap. 18, &c. videre est. De illis verò, de quibus dubitatum aliquandiu fuit, an à viris istis divinis, qui iis inscribuntur, scripti essent, successu temporis per certa documenta & indicia, exceptione omni majora, compertum fuisse, quod ab iis revera scripti essent aut approbati. Idem Euseb. lib. 3. cap. 3. & 6. cap. 18. &c. Quod itaque addit Censor, *Remonstrantes id studio videri fecisse, ejusque rei causam assignari ab Episcopio, in disput. privata. 1. Thes. 3.* putidum adeò est, ut nihil supra. Nihil alienius à mente & scopo Episcopii in Thesibus istis. Nam non dicit *Episcopius* testimonia illa

nomi-

nominatim adduci non posse, sive impossibile esse ut adducantur; Nihil minus: sed tantum dicit, testimonia illa, etiam cum adducuntur, & jure meritoque adducuntur, talia tamen non esse, quæ exceptionibus, cavillis, & tergiversationibus non sint obnoxia apud eos, quibus statutum est non credere, nisi cum *Apostolo Thoma* oculis suis videant, ac manibus suis palpent. Impossibile autem est, ut quis authorem ipsum, postquam in vivis esse desiit, videat ac palpet, & ex ejus ore audiat atque intelligat id, quod ab eo dictum factumve esse dicitur, & credi jubetur. Exceptionibus ergo, cavillis, & tergiversationibus semper manet reliquus locus in tali casu, id est cum in rei gestæ historia, quæ credi jubetur, sensus experimenta postulantur.

Ventilatur Censura de nõ allegato testimonio Spiritus Sancti, ad certitudinem de S. Scripturæ divinitate consequendã.

Quod subjicit tanquam notatu dignum, propiore examine opus habet: *Remonstrantes*, inquit, *nullum hic testimonii, quod dat Sp. S. de S. Scripturæ certitudine mentionem faciunt; cum tamen solum illius testimonium, ad omnem de libris Canonicis dubitationem ex animis fidelium eximendam, maxime sit efficax, illoque sublato, cætera Scripturæ atque Ecclesiæ testimonia parum apud eos momenti ad persuadendum habeant.* Mira ratio atque oratio: Quomodo, dic sodes, mi Censor, testimonium Sp. S. maxime efficax est, ad eximendum dubitationem de libris Canonicis, ex fidelium animis, si fides de libris Canonicis non supponitur in animis istorum fidelium producta sine testimonio Spiritus Sancti? Fidelium animi fide præditi sint necesse est, illos itaq; , quibus testimonium hoc Sp. S. contingit fide præditos statuis, antequam testimonium hoc in animis suis perceperunt, & fide quidem ejus rei, quam sine testimonio isto Spiritus percipi posse negas. En acumen. Sed addit, inquies, *Nam sicut Sp. S. Scripturæ est author, sic fidem inspirat, qua tum Scripturæ de se tum Ecclesiæ de Scriptura testanti, certo assentimur.* Sed quid hoc est, Sp. S. fidem inspirare? An fidelium animis dubitationem eximere? Mirum acumen. Fides itaque inspiratur per Sp. S. iis, qui ante inspirationem fidei, fideles erant. An fidem & fidei certitudinem immediate in mentem ac voluntatem infundere? At sic per testimonium Sp. S. non eximeretur dubitatio fidelibus, sed infidelibus, ad credendum alioquin non tantum ineptis sed prorsus impotentibus; imo à credendo alienis atque aversis fides insereretur. Infidelibus itaque & Sp. S. expertibus convincendis testimonium hoc Sp. S. serviet; At hoc ipsum est quod disertis verbis negat Censor, paulo post, cum ait; *Internum testimonium Sp. S. non videtur posse adhiberi pro argumento, si tantum infideles & Sp. S. expertes convincendi sint:* Mirum vero quid sibi velit

 Censor,

Cenſor, cum ait: *Aliam rationem eſſe eorum, qui fidem in Chriſtum profitentur. Hos enim convinci poſſe ac debere*, ait, *per hoc teſtimonium.* Nam aut omnes eos (qui fidem profitentur) vult eſſe fideles, ut diſtinguat eos ab infidelibus, quos convinci poſſe negat teſtimonio Sp. S. aut infideles. Si fideles, quorſum itaque iſtud teſtimonium? & quomodo iis fides, per teſtimonium iſtud ſubſequens fidem, inſpiratur? Si ſunt infideles, quomodo ſibi ipſi non aperte contradicit in eodem pæne inſtanti? Dicet forte alius quis, Sp. S. fidem hanc infundere per argumenta iſta. Sed hoc ipſum nil niſi merum aſylum inſcitiæ eſt. Nam, ſi Spiritus S. per argumenta iſta infundit fidem, tum argumenta iſta, etſi à Sp. ſubminiſtrentur, ſua tamen vi, ut argumenta, fidem efficiant neceſſe eſt. At hoc eſt, quod Remonſtr. libenter concedunt, ſed à mente Cenſorum revera alienum eſt, qui Sp. S. teſtimonium, ut internum, peculiare & diſtinctum teſtimonium ab argumentis externis, & vi ſua peculiari agens, neceſſarium eſſe volunt. Si dicat, Sp. S. affundere argumentis iſtis ſpeciale lumen, quod ſpeciali & interna ſua vi, diſtincta à vi argumentorum illuſtrat atque afficit mentem ejus, qui argumenta audit; eodem recidit. Tum enim argumenta iſta non ſubminiſtrantur à Sp. ut argumenta, nec operantur ut argumenta, ſed concurrunt tantum ut objecta luminis iſtius, quod ſolum menti affuſum, convincit mentem, & de iſtis ipſis argumentis, non minus quam de reipſa teſtatur. Quicquid ſit, certum eſt teſtimonium hoc Sp.S. etiam ſic non conceſſum iri niſi fidelibus: quia omnes infideles eſſe ac manere neceſſe eſt, quibus hoc lumen Spiritus Sancti non affulget, & quibus affulget, eos infideles manere, impoſſibile eſt ex Cenſoris hujus ſententia. Quare, mirari ſatis nemo poteſt, quomodo hic Cenſor fateatur *teſtimonium hoc Sp. S. pro argumento ad convincendum non ſervire apud infideles.* Apud alios enim ut ſerviat impoſſibile eſt, juxta Theologiam ipſius. Si dixiſſet teſtimonium internum, Sp. S. ſervire non poſſe convincendis aliis, ſive ſint fideles, ſive infideles, ſed ei tantum cui fit, conſequenter locutus fuiſſet; Nam infidelibus idem teſtimonium prius ſuggeri neceſſe eſt. Fideles autem, qui id jam perceperunt, teſtimonio meo, quod ego percepi, convinci opus non habent, nec poſſunt, tum enim credunt, & ut credant teſtimonio ſuo interno adducantur neceſſe eſt. Quod ſi verò etiam dixiſſet, teſtimonium Sp. S. internum ſervire obſignandis ac confirmandis eorum animis, qui jam fidem adhibuerunt argumentis externis, recte feciſſet. Idem fatentur ſatis prolixe Remonſtr. *in articulo de promiſſione Sp. S.* & cer-

& certum est Scripturam passim asserere testimonium hoc Sp. S. non dari nisi credentibus,& jam vera vivaq; fide in Iesum Christum prædiditis,& ex fide spiritus istius divini auxilium cupientibus atq; implorantibus. Neque tamen recte quisquam hic dixerit Remonstr. Spiritus S. gratiam ab argumentis istis sejungere aut secludere. Absit: Gratiam Sp. S. eis conjungi haud inviti concedunt, sive dicatur gratia ista argumentis istis conjungi,ut vis eorum ad persuadendum elevetur & roboretur;sive dicatur infundi menti hominis , ut ad vim eorum percipiendam fiat idonea,sive utrisque simul dicatur conjungi , dummodo eam sic eis conjungi non statuatur,quasi fieri nullo modo possit, ut is , cui gratia ista fit , à credendo possit supersedere,& in infidelitate velle perseverare. Hoc enim Stoicum,Manichaicum,& Pelagiana hęresi non multo est inferius.

Non minor imperitia est,quæ in *Sectione* VII. apparet : Remonstr. in sua declaratione dixerant doctrinæ V. T. veritatem ac divinitatem doctrina N. T. abunde stabiliri atq; asseri, Inde colligit Censor, *Remonstr. non tantum Socinianos esse hac in parte,sed cum Socinianis censere, Librorum V. T. veritatem non posse ex suis quoque κριτηρίοις ac notis indubitatis asseri ac stabiliri sed in omne ex testimonio alieno, nempe Scriptorum N. T. pendere.* Quid alienius à mente Remonstrantium , aut imperitius concludi poterat à Doctore Academico ? Tantum abest ut istud Remonstr. sua ista parenthesi indicatum voluerint , aut ut propterea cum Socinianis censeri debeant, ut ne quidem ipsi Socino aut Socinianis tale quid unquam in mentem venisse dici possit: Contrarium ex lectionibus ejus sacris pag. 6. & locis infinitis pluribus,luce meridiana clarius apparet. Tum vero, quis adeo à Sole aversus reperietur , qui doctrinæ V. T. veritatē ac divinitatem suis Κριτηρίοις ac notis indubitatis adseri ac stabiliri posse negaturus est,si quis eam per se & seorsim considerare,& contra atheos,infideles,aliosq; id negantes tueri velit? Quando vero Remonstr. ita loquuntur, ut in parenthesi ista fecerunt, tantummodo id volunt, Non esse necesse ut veritas & divinitas librorum V. T. adseratur ac stabiliatur propriis argumentis ac κριτηρίοις suis : Sufficere si modo probetur veritas ac divinitas librorum N. T. Ratio est; Quia,si hoc posterius tantum probetur , eo ipso evictum & demonstratum est libros V. T. veros ac divinos esse. Nam libri N. T. agnoscunt ac fatentur libros V. T. veros ac divinos esse. Quid potest aut verius aut brevius aut solidius dici ? Digni sunt quibus sua in argumentando imperitia exprobretur , qui tam manifestam consequentiam

Sectione VII. Censoris manifesta imperitia demonstratur.

ſequentiam non ſentiunt, & utraque, quod dicitur, manu non palpant. Et tamen ex hac parentheſi tam putidam & purulentam ſuſpicionem ſugit hic Cenſor, quaſi Remonſtr. cum ita loquuntur, *Blaſphemiæ affines ſint; & credant librorum V. T. veritatem non poſſe ſuis κριτηρίοις propriis notiſque indubitatis adſeri ac ſtabiliri.* Aliud eſt, non poſſe id fieri, aliud non neceſſe eſſe ut id fiat: Hoc dixerunt Remonſtr. Iſtud ne cogitarunt quidem: Ambagibus opus non eſſe dixerunt, ubi compendio ire licet: Et non neceſſe eſſe ut fiat per plura, quod poteſt fieri per pauciora.

Oſtenditur injuria cenſeri Declaratione, quod I. Chriſtum primum doctrinæ N. T autorem vocet.

Affinis huic eſt, quæ *in eadem Sectione* occurrit, imperitia, Vocat in ſuſpicionem Socinianiſmi Remonſtrantes Cenſor, *quia formula hac uſi ſunt in declaratione ſua: Quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in carne manifeſtatus, ſit doctrinæ N. T. primus author. Ex eo*, inquit, *intelligi poteſt quid ſentiant. Nimirum nec Spir. S. nec Patrem Eccleſiæ V. T. doctrinam illam per os Prophetarum revelaſſe.* Mirabile Doctoris hujus acumen eſt. Quid ſi quis viciſſim concludat, Cenſorem hunc credere, non neceſſe adeoque ſuperfluum fuiſſe ut Chriſtus à Patre mitteretur ad doctrinam Euangelii hominibus annunciandum? Nam, ſi Pater eandem doctrinam Eccleſiæ V. T. per Spiritum Propheticum patefecit, quid neceſſe erat ab eo Chriſtum in mundum mitti, ut eam ipſius nomine doceret ac patefaceret? Hic ſcio diſtinctionem ad manum ſtatim habebit Cenſor pro more ſuo, ſed pudet hujuſmodi diſtinctionum & conſequentiarum. Vnum tantum dicam. Si Cenſor conſequentiam ſuam valere vult, neceſſe eſt ut ea ipſa gravet Spiritum Dei ſanctum, cujus hæc pænè ipſiſſima eſt oratio; Ad Heb. 2. 3. *Etenim, ſi per Angelos dictus ſermo, fuit firmus, & omnis tranſgreſſio ac contumacia, juſtam mercedis retributionem retulit, Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* ἥτις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ κυρίου, id eſt, quæ *principium ſumſit à Domino Ieſu eam prædicante*: Ovum ovo vix ſimilius eſt, (ut Cenſoris verbo utar) quam hæc oratio orationi Remonſtrantium; Ergo, ſi hæc oratio Sociniana eſt, Socinianus etiam fuit Scriptor ad Hebræos. Neque vero hic excipere licet: Scriptorem hunc, Chriſtum vocare primum authorem, ſive prædicatorem magnæ hujus Euangelicæ ſalutis, in ordine ad Apoſtolos, qui ipſum ſecuti poſtea ſunt: diſerte enim reſpicit ad ſermonem, qui per Angelos fuit prædicatus, ſive dictus ſub V. T. & ſalutem, quam primus Chriſtus prædicavit, quam etiam vocat tantam, ut ejus neglectus aut contemtus majori multo ſupplicio dignus ſit cenſendus, quam neglectus aut con-

temtus ſermonis Angelici. Sed, quid ego hoc ſolo loco pugno? Tota Scriptura N. T. à capite ad calcem, tota inquam pæne Sociniana cenſenda eſt, ſi conſequentia iſta locum habet. Ioan. 1. 17. dicitur. *Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum* ἐγένετο, id eſt, *cœpit, vel contigit, vel fuit, vel facta eſt. Deum nemo vidit unquam, unigenitus ille Filius, qui eſt in ſinu Patris,* ἐκεῖνος ἐξηγήσατο, id eſt, expoſuit juxta illud Matt. 11. 27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, & nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quiſquam novit niſi Filius, & cui Filius voluerit revelare.* Hiſce conſonant infinita alia loca, uti imprimis iſta, quibus *patefacta dicitur gratia per* ἐπιφάνειαν, *id eſt apparitionem Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Qui mortem aboleviſſe &* (φωτίσαι) *id eſt in lucem produxiſſe vitam atque immortalitatem dicitur per Euangelium.* 2. Tim. 1. 10. En quo cenſendi impetigo Cenſorem abripuit. In ipſam Scripturam neceſſe eſt ut arietet, eamque totam pæne Socinianam faciat oportet, ne ſine cauſa locutionem Remonſtr. Socinismi ſuſpicione gravaſſe videatur.

Sectionis X. cenſura, nil niſi continua quædam ignorationis elenchi concatenatio eſt. *Remonſtrantes*, inquit Cenſor ſubtilis, *in iſta ſectione Eccleſiæ Dei omne judicium publicum de controverſiis Religionis triplici ratione oblique, imo etiam directe adimunt.* Qui omne judicium publicum dicit, is generaliter loquitur: Stet hic Cenſor & pedem figat. Nam certum eſt eum à janua aberrare, & contra umbram ſuam dimicare. Solum *caput viceſimum quintum declarationis Remonſtrantium*, docere id eum potuiſſet, & ſcopus, quem hoc in loco propoſitum ſibi habuerunt Remonſtr. monere eum debuiſſet. Sed nos triplicem iſtam rationem videamus. I. inquit, *Cum Soli Deo ac Chriſto* ἀμέσως *ut judici ſupremo & infallibili controverſias decidendas relinqui volunt: Quod neceſſum eſt ut ad extremum judicium referant.* At I. Fidem hic deſidero in Cenſore. Vocem enim emphaticam *peremptorie* omiſit, in qua tamen vis præcipua ſententiæ Remonſtrantium ſita eſt. II. Quæ conſequentia? Remonſtr. controverſias omnes decidendas relinqui volũt ſoli Chriſto ἀμέσως ut judici ſupremo & infallibili; ergo tollunt omne judiciũ publicum ex Eccleſia. Nõ poterat, nec debebat aliud concludere diſputator Academicus, quam ergo tollunt omne judiciũ ſupremum atq; infallibile ex Eccleſia, & hic in terris. Quid? an hoc facere crimen putat? Supremus itaq; atq; infallibilis Iudex hic in Eccleſia eſt? En inſcitiã noſtri diſtinctoris. At inquit, deciſione nullã fieri volũt Remonſtr. Ecquod autem judicium ſine deciſione? Quaſi vero judiciũ nullũ

Sectione X. diluuntur tres rationes, quibus Cenſor conatur evincere, Remonſtr. Eccleſiæ Dei omne judiciũ publicum de controverſiis Religionis adimere.

Ratio I. expenditur.

ſine peremptoria,ut vocant,deciſione eſſe poſſit. Et cum hoc ipſum decidendum non eſſe peremptorie in Eccleſia, dicunt Remonſtr. an non judicium fieri concedunt, & deciſionem ipſi etiam aliquo modo faciunt? Verum enim vero,nunquam in mentem venit Remonſtrantibus,cum in declaratione ſua his verbis uſi ſunt,judicium publicum adimere Eccleſiæ,nedum omne judicium publicum,nedum directe. Contra Pontificios diſputant;qui non modo Iudicem in Eccleſia ordinarie loquentem,& judicium inEccleſia publicum de controverſiis Religionis locum habere volunt,ſed judici iſti, ut unico, ſupremo, atque infallibili in terris judici, peremptorium, infallibile & ſupremum judicium,à quo provocare, nulli liceat, competere adſerunt. Hujuſmodi judicem in Eccleſia peremptorie loquentem,non agnoſcere ſe profitentur; judicium iſtud ſoli Deo ac Chriſto tribuunt. Quis vero adeo Suffenus eſt,ut ex eo colligat,Remonſtr. iſta oratione judicium omne publicum Eccleſiæ Dei adimere? Imo quis non potius inde colligat,eos concedere Eccleſiæ Dei judicium aliquod publicum,quia non adimunt niſi peremptorium atque infallibile? Quod ſi vero etiam judicio peremptorio in Eccleſia locum eſſe vult Cenſor, tempus eſt ut cum Pontificiis redeat in gratiam. Nam ſi hujuſmodi judicium ſoli Chriſto ἀμέσως non vult competere; vult itaque iſtud ei competere ἐμμέσως per Eccleſiam. Iudicandi itaque poteſtatem peremptoriam atque infallibilem Eccleſiæ à Chriſto conceſſam dicat neceſſe eſt At hoc eſt illud ipſum quod Pontificii volunt. Quæ porro ex theſibus *Clariſs. viri Epiſcopii* citat, ea huc non petinent: Deciſionem enim aliam non intelligit *Epiſcopius* niſi peremptoriam,id eſt,ejuſmodi deciſionem,à qua creditur provocare nemini licere, vel, ſi id licere dicatur,à qua provocatio non magis permittitur ſine ſummo periculo, quam ſi crederetur provocationem prorſus non licere,Theſin 7. vide,& manu palpabis. Tum diſp. ſeq. de requiſitis ad legitimam Synodum, Theſ. 7. Deciſiones fieri permittit iſtic Epiſcopius diſerte *quæ communi & rationabili conſenſu ſunt*, Quæ aliter fiunt,eas ſolas repudiari vult. Et ſane deciſiones hujuſmodi peſtes ſunt Eccleſiarum, & regni Antichriſti,id eſt,Tyrannidis fulcra ac tibicines. Progrediamur.

Ex Cenſura Cenſoris colligitur, Cenſorem Pontificiis favere in præcipuo Articulo de Eccleſiæ autoritate.

Ratio Secunda Cenſoris refellitur.

Secunda ratio, qua Remonſtr. Eccleſiæ Chriſti omne jus de controverſiis judicandi, indirecte eripiunt, hæc eſt, ait Cenſor. *Deum nobis in verbo ſuo normam reliquiſſe directive duntaxat, non coactive judicantem.* Hinc colligit Cenſor eos *non tantum negare violentam* cogendi *poteſtatem Eccleſiæ competere, Talem enim coactionem ut tyrannicam*

cam etiam nos detestamur ait; *Sed etiam coercitionem illam, qua Ecclesia, secundum ordinem disciplinæ sibi in verbo Dei præscriptum, hæreticis errorum convictis, silentium imponit, suaque excommunicatione sanctorum communione eos interdicit.* Bone Deus! quam hæc dicuntur inscite, & quam impudenter! Quis ex verbis istis Remonstrantium extuderit tam alienum sensum, & tam barbarum? Non licere Ecclesiæ *secundum* (NB) *ordinem disciplinæ* (NB) *sibi in verbo præscriptum*, *hæreticis* (NB) *errorum convictis* silentium imponere, &c. quis nisi emotæ mentis dixerit? Tantum abest, ut id Clarissimo viro D. Magistro Episcopio tribui possit, ut contrarium Sole clarius ex disputationibus istis ipsis, quas citat Censor, pateat, si modo quid hęresis, & quis hæreticus sit recte definiatur. Quæ autem verba citat Censor, ea falso & mala fide citavit. Nuspiam enim in Thesibus ejus legitur, *quod coercitio nulla Ecclesiastica usurpari possit contra eos qui circa sensum Christianæ Religionis credendum graviter errant, sed tantum adversus eos, qui circa cultum Dei in vita inordinate atque incomposite se gerunt.* Contrarium diserte patet ex eo, quod Episcopius fateatur, eos quos in ultimo errantium ordine collocat, non suspensione tantum sed etiam excommunicatione mulctari posse ab Ecclesia Thes. 7. Errantes a. hos expresse distinguit ab iis, qui circa cultum Dei in vita sua se incomposite gerunt; de iis enim agit Thes. seq. 9. Sed quicquid sit de mente *Episcopii*, certum est Remonstrantes in hoc, de quo agitur declarationis loco, eo quo ait Censor, non respexisse. Contrarium satis aperte declararunt in *Capite de Synodis.* Tantum, hoc voluerunt: Totum illud, quod Ecclesiæ suæ reliquit Deus, & in verbo suo nobis patefecit, non esse nisi normam dirigentem, sive directive, non a. coactive judicantem, id est, cujus totum ac proprium quarto modo officium est dirigere judicium in cognitione veritatis & officii nostri. Nuspiam in verbo Dei aliud quid Ecclesiæ relictum aut traditum esse. Hoc a. oppositum voluerunt tum Pontificiis, qui præter normam dirigentem, judicium etiam Ecclesiæ coactivum, id est, quod cum potestate & autoritate irrefragabili fertur, nobis in verbo Dei relictum ac datum esse asserunt: Tum iis, qui Scripturam judicem controversiarum perperam vocant, &, sic loquendo Pontificiis, aliisque seu atheis seu profanis occasionem dant sugillandi Religionem Reformatam, quasi ea dicat, quæ per se sunt absurda. Scriptura enim non magis recte dici potest judex controversiarum, si propriè loqui velis, quam Lex judex est litium. Iudicium nemo Legi tribuerit, nisi per ἀκυρολογίαν. Lex & judex

Quo sensu Remonstrantes dixerint, Deū nullam normam coactive judicantem Ecclesiæ suæ reliquisse.

Quo sensu Scriptura judex controversiarum statuenda sit.

distincta sunt, & distincta sint necesse est, ubi de Legis sensu controversia aut lis incidit. Breviter, hoc dictum voluerunt Remonstr. in verbo Dei, sive in Script. sacra nullam normam, id est, nullum infallibile aut Ecclesiæ aut hominis, aut Angeli judicium designatum vel traditum esse, quod nos, si quando controversia aliqua de Religione incidit, cogere aut obligare in conscientia vel possit, vel debeat, ut huic aut illi controversiæ parti subscribamus & adstipulemur, prout Pontificii persuasum nobis esse volunt; sed ipsam tantum Scripturam, id est, phrasin Scripturæ, & quæ in Scriptura extant, aut ex Scriptura labore nostro eruuntur argumenta, esse unicam normam, ad quam judicium cujusq; nostrũ dirigi ac regulari debet. Hæc autem argumenta non esse, nec vocari aliter jure posse, quam *normam directive judicantem*, quatenus ex iis quisque judicium suum propriũ de salute sua formare, & ad ea, ut ad certissimam quæ nobis à Deo relicta est, normam, dirigere debet, adeo ut, qui istis non assentitur, aut assentiri non vult, alio ullo infallibili judicio, tanquam indubitata norma aut judice controversiarum cogi & constringi non possit. Quis vere Reformatus hanc tam claram Remonstrantium assertionem ambabus manibus non amplectatur? Quisquis id non facit, næ is quæ genuina ac propria Reformatorum sententia sit contra Pontificios, non intelligit, & quando cum iis disputat, cum umbra sua pugnat, aut in Pontificiorũ sententiam, seu prudens, seu imprudens relabatur, necesse est. Quare cum hanc Remonstrantium periodum Censor hic calumniatus est, alterutro morbo se laborare persuasum omnibus esse voluit.

Ratio tertia Censoris confutatur.

Ejusdem farinæ est *ratio tertia*, qua probare nititur Remonstr. Ecclesiæ publicam judicandi autoritatem derogare, *quia*, vid. *omnibus & singulis, hoc est, tam privatis, quam iis, qui in publico munere versantur, de omnibus controversiis judicium ex æquo, seu æqualiter, concedendum esse affirmant.* Miseret nos profecte tam imperiti, aut tam inconsiderati disputatoris. Remonstr. dicunt contra Pontificios, Deum nusquam in Scripturis significasse, judicem ullum infallibilem in Ecclesia semper loquentem esse debere, nedum ut quis ille perpetuo futurus esset designaverit: Sed contra, omnibus & singulis ex æquo *scrutari* leges, seu *judicia* ac *statuta sua*, *probare spiritus an ex Deo sint*, *omnia probare*, *& quod bonum est retinere* expresse mandasse; ergo Remonstr. omnem Ecclesiæ publicam judicandi autoritatem derogant. Quæ consequentiæ species hic apparet? Aliud est judicium publicum, aliud judicium infallibile seu irrefragabile.

Istud

Istud consistere optime potest cum judicio, quod privatus quisque facere tenetur, etiam de publico, imo, si justa ratio sit contra publicum judicium. Hoc cum eo non nisi stulte & ridicule componitur. Quid enim necesse est ut privatus scrutetur sensum divinæ Legis, probet Spiritus, examinet controversias, ubi locum habet publicum & irrefragabile atque infallibile judicium Ecclesiæ, quo necessario omnibus ac singulis standum est? Contra hoc judicium directa est Remonstrantium assertio, non contra illud. Quisquis, publicum judicium Ecclesiæ errori obnoxium esse posse statuit, is necesse est ut concedat, omnibus & singulis Ecclesiæ membris ex æquo, jus indicandi de omnibus controversiis, etiam de ipso publico Ecclesiæ judicio. Nam si fieri potest ut publicum Ecclesiæ judicium falsum sit, & si omnes & singuli credere tenentur, quod id fieri possit, utique necesse est, ut omnibus, ac singulis, qui salutis suæ studiosi sunt, ex æquo jus inquirendi concedatur, an judicium Ecclesiæ verum, an falsum sit. Ius hoc inquam, aut concedendum est omnibus & singulis ex æquo, aut nullis. Alterutrum enim fiat necesse est; Aut omnibus & singulis, sine judicio proprio, implicita, ut vocant, fide subscribendum est publico Ecclesiæ judicio: Aut, non subscribendum nisi cum judicio proprio. Prius istud est plane Pontificium, quod longe à se remotum esse vult Censor, aut si id verum est, tum nullis jus inquirendi in controversias, aut probandi Spiritus concedendum est. Posterius si concedat, necesse est ut omnibus ac singulis jus istud competere concedat, & quidem ex æquo, quia sua cuique salus ex æquo cordi esse debet, & fides ab humana autoritate nullo modo pendet. At si hæc assertio vera est, ait Censor, *nihil unquam certi ab Ecclesia ad controversias decidendas & finiendas statui potest.* Sane ita est, in controversiis de Religione quas Scriptura S. evidenter non decidit. Et mirum merito videri debet id, tanquam absurdum aliquod ingens, à Censore, qui Reformatus videri vult, adduci. Quid certi unquam statui potest ab Ecclesia, quæ semper & in omni eo, quod statuit, creditur errare posse? Quicquid certum est, id necesse est ut extra erroris periculū sit. Sed hæc & similia, cum subinde effutiunt Doctores Academici, haud obscure indicant, quā prope accedant iterum, aut quam parum absint à præcipuo, si non unico fundamento Ecclesię Pontificię, quod tamen toto corde & aperto ore videntur respuere atque aversari: Fermentum vetus subinde se prodit hic illic. Nondum expurgatum est ex animo: ubi ad apicem controversiæ venitur, tum apparet quid intus lateat & ubi rerum potiuntur ejus-

Aliud est judicium publicū Ecclesiæ de controversiis, aliud judiciū irrefragabile: Illud admittunt Remonstrantes: Hoc negant.

Omnibus & singulis Ecclesiæ membris judicium de Fidei controversiis concedendum esse evincitur.

Qui in cōtroversiis certas definitiones & decisiones Ecclesiæ assignant, eos Pō̄tificiorū præcipuo errori patrocinari ostenditur.

ejuſmodi Doctores, ibi exerit ſe atque erumpit tanto acrius, quanto tegi ſolet curioſius. Quæcunq; ab iis dicuntur pro Scripturarum autoritate, ea dici tantum ex his & aliis ſimilibus locutionibus apparet. Eo ipſo enim, quod adeò ſtudioſe & prolixe probare conantur, Eccleſiæ iſtiuſmodi autoritatẽ publicã judicandi competere, qua certi, certi inquam, aliquid ſtatuitur ad controverſias decidendas & finiendas: ita ut iis, qui acquieſcere judicio iſti per conſcientiam non poſſunt, ſilentium imponatur, tanquam hæreſios convictis; ſatis oſtendunt, ſe Eccleſiæ autoritatem judicandi irrefragabilem revera tribuere cum Pontificiis, quanquam id facere videri nolunt & contrarium ſe credere proteſtantur. Quem verbis Papatum deſtruere videri volunt, eum dictis hujuſmodi, & quæ dictis hiſce ſuperſtruitur praxi, adſtruunt. Nec mirum: Credunt enim Eccleſiam ſuam, imo ſingulos fideles errare non poſſe in fide, etiamſi aliter credere videri velint, uti in præfatione oſtendimus. Sed ut ſententia eorum non videatur abſurda, ſpecies additur: *Alioquin nihil unquam certi erit, controverſiarum nec modus nec finis erit, cuilibet privato licebit publicum conſenſum cõvellere, Eccleſiæ publico judicio contradicere*, & quæ ſunt ejus generis alia. Hæc enim non tantum frivola ac frigida ſunt effugia, ſed ipſiſſima Tyrannidis Pontificiæ arcana ac fundamenta. Per ea paulatim altius aſcenditur, & gradu facto ad ſupremum Papatus culmen pervenitur. Quare quæ *ſectione* xj. & xij. Cenſor pro Eccleſia ſua, & pro Synodis Eccleſiarum ſuarum, ſine ulla neceſſitate, ad eas ab hac culpa purgandas, adfert, ea non ſunt niſi inania verba, quibus crimen non diluitur, ſed tegitur, & quod hac ſectione longa aſſertum eſt, plane deſtruitur. Qui Eccleſiæ autoritatem tribuit, qua *certi aliquid ſtatuit ad controverſias decidendas*, & (NB) *finiendas*, & interim infallibilem judicandi ac ſtatuendi autoritatem ei adimit, is, quod una manu ædificat, altera deſtruit.

Sectione XIII. Definiverant Remonſtr. quid per ea, quæ ſimpliciter & præciſe ad ſalutem ſcitu, creditu, ſperatu, factu neceſſaria ſunt, intelligant, aut ex quo indicio ea cognoſci poſſint. Sic enim habent eorum verba, *Neceſſaria ad ſalutem ea tantum eſſe intelligimus, ſine quibus fieri nullo modo poteſt, ut quis vel præceptis Ieſu Chriſti recte, &, prout oportet, obediat, vel divinis ejuſdem promiſſis firmiter confidat; quæque talia ſunt, ut, ſine manifeſta hominis culpa, negari, ignorari, aut in dubium vocari nequeant.* Quid hic facit Cenſor? *hæc*, inquit, *omnia hauſta ſunt ex Socinianorum lacunis, qui pauciſſima dogmata ad ſalutem cognitu neceſſaria eſſe aſſerunt, nimirum ea quæ libris N. T.* ῥητῶς, *ſeu ad*

verbum ac totidem syllabis continentur, non autem ea, quæ evidenti tantum collectione ex iis deduci possunt; cujusmodi ipsis (nobis dicere voluit) *sunt, ex. g. harum quæstionum explicationes: An in divina unica essentia sint nec ne plures personæ: Quando Dei Filius primum extiterit, utrum genitus fuerit ex patris substantia, nec ne, &c.* At certum est Remonstrantes nihil horum ῥητῶς dicere in sua declaratione. Nam I. non dicunt hoc loco, paucissima dogmata esse ad salutem cognitu necessaria. Quamquam si id dixissent, uti in præfatione se dixisse haud ignorant, non dixissent nisi quod verissimum est, & Sociniani propterea censendi non essent; quia non pauci Reformati, & Rex ipse Magnæ Britanniæ, id ipsum nuper adhuc ῥητῶς, & totidem syllabis adseruit, uti supra in Præfationis censura ostendimus. II. Nec dicunt, ea tantum quæ libris N. T. ῥητῶς seu ad verbum & totidē syllabis continentur, esse necessaria ad salutem: Ne γρῦ quidem hujus rei in declaratione eorum exstat. III. Nec negant ea, quæ evidenti collectione, ex Scripturis deduci possunt, necessaria esse. Imo nemo sanus reperietur, qui alterutrum horum dicturus est; Vid. Ea omnia, quæ ῥητῶς in Scripturis continentur, aut ex iis evidenti collectione deducuntur, necessaria esse: Nec Sociniani adeò sunt vecordes, ut ita loquantur, aut scribant. Aliud est, omnia necessaria ῥητῶς in Scripturis exstare. Aliud, omnia ea, quæ ῥητῶς in Scripturis exstant, necessaria esse. Sed hoc inscitiæ Censoris deputandum est. Dicet fortasse Censor: Ista quidem ῥητῶς non dici à Remonstrantibus, sed tamen omnia ista ex eorum definitione jam allata sequi collectione evidenti. Atqui hic Rhodus est, hic salta, mi bone Vir: Collige, & evidentiam monstra. Hærebit tibi aqua. Quid mirum? Contrarium ex verbis ipsa evidentia evidentius patet, quia Remonstr. diserte addunt, *Quæque talia sunt, ut sine manifesta hominis culpa, negari, ignorari, aut in dubium vocari non possint.* Eo ipso enim significant, inter necessaria etiam censenda esse ea, quæ fieri potest, ut qui Christianus videri vult, & Religionem Christi profitetur, neget & in dubium vocet. At fieri posse, ut quæ ῥητῶς in Scripturis exstant, vel negentur, vel in dubium vocentur ab eo qui Christianus videri vult, & Religionem Christi profitetur, prorsus absurdum est. Ex quo deinde efficitur, Censorem contrarium colligere debuisse, quod attinet *explicationes quæstionum istarum*, quas recensuit, Causam sc. nullam esse cur Remonstrantibus tribuerit, eos cum Socinianis explicationes istarum quæstionum inter nō necessarias censere. Nam, si evidenti collectione ex Scripturis deducuntur, inter necessaria

Inscitia Censoris demonstratur in eo, quod hic Socinianismi suspicione gravet Declarationem.

Exceptioni occurritur.

ſaria cenſent, tum ſane neceſſe eſt, ut concludat Remonſtr. etiam explicationes iſtarum quæſtionum inter neceſſaria dogmata collocare. Sed, ut interim quid hac de re ſentiant Remonſtr. exponatur, ſic habeto. An præciſe & ſimpliciter cognitu neceſſariæ ſint harũ Quæſtionum deciſiones, propter evidentem conſequentiam, qua ex Scripturis deducuntur, nunquam ſententiam ſuam interpoſuerunt. Quid de earum veritate ſentiant, ſatis expoſuerunt in declaratione ſua. Qui eas ſimpliciter & præciſe cognitu ad ſalutem neceſſarias eſſe ſtatuunt, eos neceſſe eſt myriadas animarum, alioquin piiſſimarum, de plano damnare, quia profunda iſtarum explicationum ignorantia laborant, aut evidentem iſtam conſequentiam ſe videre non poſſe profitentur. Enimverò, quotus quiſque inter omnes Sectas explicationes iſtas aut intelligit, aut cum judicio atque explicata fide credit? Ejuſmodi damnatorium calculum non audent Remonſtr. tam levi brachio conjicere in tot miliones hominum piorum, qui Chriſtum & Religionem ejus ex animo amplectuntur. Qui id audent ii ſuo periculo id faciant. Certe Pontificii, qui etiam explicationibus iſtis firma fide aſſentiuntur, eaſque pro neceſſariis creditu habent, tamen eas non modo non ῥητῶς Scripturis expreſſas eſſe concedunt, ſed perſpicua aut evidenti collectione ex Scripturis deduci poſſe negant; imo earum tum veritatem tum neceſſitatẽ à ſola Eccleſiæ definitione ac deciſione pendere adſerunt. Quod ſane non levidenſe argumentum eſt, quo Remonſtr. moventur ut de abſoluta & ſimplici explicationum iſtarum neceſſitate pronunciare non audeant: Si aliter ſentiunt Cenſores, rationes evidentes allegent contra Pontificios alioſque, quibus id demonſtrent; Id hactenus ne tentarunt quidem. Simulatq; eas videbunt Remonſtr. non dubitabunt eas ambabus ulnis amplecti, & gratias iis agere. Quod ſi ſine ullis rationibus à Remonſtr. id credi volunt, ſciant Remonſtrãtibus ſtatutum eſſe tyrannidem iſtam odiſſe, averſari ac fugere. Non enim damnare volunt quemquam, niſi quem Chriſtus Dominus eorum aut expreſſe damnat, aut tam evidenti collectione, ut non minus palpari poſſit, quam hæc; currit, ergo movetur.

Explicationes Quæſtionum iſtarum, quas fecit Cenſor, præciſe ſcitu & creditu neceſſarias eſſe, non audent aſſerere Remonſtrantes.

Sectione XIV. De Scripturarum perſpicuitate contra Pontificios ſententiam ſuam declaraverant Remonſtrantes hunc in modum: *Præterea, eorundem librorum (ſacrorum ſc.) licet alicubi (præſertim indoctis & minus excercitatis) ſatis obſcuri ſint, tanta eſt claritas & perſpicuitas, in ſenſibus imprimis ad æternam ſalutem intellectu neceſſariis, ut omnes Lectores, non docti tantum, ſed & idiotæ (communi quidem ſenſu ac ju-*

ac judicio præditi) quantum satis est mentem eorum adsequi possint, modo præjudicio, vana confidentia, aliisque pravis affectibus sese occæcari non sinant, sed Scripturam hanc pie & sedulo scrutentur, &c. Hæc sectio, inquit Censor, *Socinismum redolet.* Eheu! Credebam Sectionem esse reformatissimam, & Sociniana est, inquit Censor. Cur? Vide inscitiam hominis: *Si addatur explicatio Episcopii* (quæ sane nihil aliud habet, quam ipsa quæ in Confessione est, declaratio) *apparet* inquit, *Remonstr. non tantum confundere sensum S. Scripturæ Grammaticum seu litteralem cum sensu ejus spirituali, verum etiam cum Ostorodio, alijsque Socinianis putare verborum S. Scripturæ sensum, sine præcedente interna illuminatione & revelatione Spiritus S. in hominibus fidem atque obedientiam aliquo modo operari posse.* Quis non catarrhum sibi fluere sentit, cui tam frigidæ rationes occurrunt? Sed nos singulas videamus: *Confundunt* (inquit) *sensum Scripturæ Grammaticum seu literalem, cum sensu ejus spirituali.* At quomodo sensum Grammaticum cum spirituali confundunt; qui aperte & in terminis, ut loquuntur, de sensu tantum literali sive Grammatico se loqui profitentur, Sect. xvj? Et, cum ipse Censor statim subjungat, se agnoscere animalem hominem naturali modo sensum S. Scripturæ Grammaticũ seu literalem adsequi posse, an non idem sentit dicitque quod Remonstr.? Socinianus itaque est suopte judicio. *At hoc facimus*, inquit, *distinguentes sensum literalem à spirituali rerum spiritualium intelligentia.* Inscite atque inepte: A sensu spirituali dicere voluit, at quis tandem est sensus iste Spiritualis quem à sensu Grammatico distinctum esse vult? An est sensus, qui in sensu isto Grammatico continetur, sed una cum Grammatico percipi non potest, an sensus, qui à Spiritu S. menti hominis superfunditur, postquam is Grammaticum sensum adsecutus est, aut ut sensum Grammaticum & literalem adsequatur? Hæc explicanda fuerant, ut distinctio intelligi posset. Est enim numeris Platonicis obscurior. Neque verò cum pueris in Academia disputat, qui distinctionibus, ut pulte, solent pasci. Sed nos explicationem si possumus, eruamus. Si est sensus spiritualis primo modo, tum necesse est ut intelligibiliter explicetur, quomodo sensus iste spiritualis, sensu Grammatico aut literali contineatur: An contineri eum vult, uti æquivoca voce duplex significatio contineri dicitur? At sic 1. tota Scriptura, & Scripturæ omnia dogmata ad salutem necessaria, erunt æquivoca. 2. Animalis homo non percipiet unquam ipsum sensum Grammaticũ Scripturæ, quod tamen Censor fieri posse, concedit. 3. Sensus Grammaticus

Ostenditur vanitas Censuræ, qua Remonstrantes dicũtur confundere sensum Scripturæ Grammaticũ cum sensu ejus Spirituali.

ticus Scripturæ non erit nisi sensus iste, quem Sp. S. sub æquivocis vocibus Scripturæ intendit, & quem ab aliis quam electis suis, intelligi non vult. Quantæ nugæ? Aut continebitur sensus, hic spiritualis sub sensu literali, ut sensus Mysticus, Allegoricus, Anagogicus, & Spiritualis, ita dictus Theologis sub sensu literali contineri dicuntur. At sensus hi non sunt proprie sensus Scripturæ, sed sensus eorum, qui sub verbis istis intentionem suam ulteriorem occulunt, quam clare cognosci nolunt, ac propterea nulli ut sensus iste credatur verbis istis subesse mandant, vel qui sensus suos, Scripturæ sensibus aptant & accommodant pro suo arbitrio. Et quia Script. S. sensus necessarii ad salutem jam non sunt mystici adeoque omnes fere sunt spirituales id est spiritum & animum hominis spectantes, Mystica & spiritualis ista Theologorum aptatio hic locum non habet, nisi eodem modo Scripturam totam velis facere Mysticam, Allegoricam & Anagogicam. At sic, si omnino probatum foret Scripturæ sensum Grammaticum & spiritualem intelligi posse à quovis homine, probandum deinde adhuc esset, Scripturam posse intelligi à quovis, secundum Mysticum Allegoricum & Anagogicum sensum; & species adderetur, quia inter priscos Ecclesiæ Patres non defuerunt, qui sensum Scripturæ Allegoricum verum ac genuinum Scripturæ sensum esse asseruerunt. Quis finis? Sed quocunque tandem modo sensum hunc spiritualem sensu Grammatico contineri dixerit Censor, concludendum tandem ei erit, dogmata omnia Scripturarum, quæ quidem ad salutem cognitu sunt necessaria, semper duplicem continere sensum. Vnum, qui intelligi potest ab homine, etiamsi animalis tantum sit; alterum, qui ab eo intelligi non potest: quo quid vanius & insulsius dici potest, aut concipi? Sic enim ex. g. dogmata ista, quæ in Scripturis exstant. *Deum esse, Deum esse unum, æternum, immensum, omnipotentem, omniscium, Iesum Christum esse verum Deum & hominem in una eademque persona, pro peccatis nostris mortuum, Fide in illum nos justificari, sobrie, pie, juste in hoc sæculo vivendum esse, non esse furandum, adulterandum, concupiscendum, &c.* omnia ista & similia dogmata necessaria, duplicem habebunt sensum, Grammaticum unum & spiritualem alterum, & illum naturali modo adsequi poterit homo animalis, hunc non poterit. Id si ita se habere credit Censor, explicet itaq; quis propositionum vel dogmatum istorum sensus literalis sit, quis spiritualis; Citius credo, sensu omni se destitui intelliget, quam rem adeò absurdam explicaturus est. Quod si sensum Spiritualem secundo modo accipiat,

quia

quia vid. menti hominis, qui jam Grammaticum & literalem ſenſum eſt adſecutus, vel ut ſenſum iſtum Grammaticum adſequatur ſuperinfunditur: non minoribus abſurditatibus ſe implicatum ſentiet. Nam 1. ſenſus ille ſuperinfuſus non erit ſenſus verborum Scripturæ, ſed ſenſus ſpiritus Dei; aut ſi eſt ſenſus verborum Scripturę, quomodo & qua re differt à ſenſu Grammatico? quorſum ſuperinfunditur? an ut intelligatur ſenſus, qui jam intelligitur? Nugæ, an ut clarius intelligatur? at ſenſus in indiviſibili conſiſtit. Si dicas, lumen hoc Sp. S. prærequiri, ut verus ſenſus intelligatur; auges abſurditatem; Quis enim tum eſt verus & ſpiritualis ſenſus? & lumẽ hoc cum ſit ipſe verus ſenſus Scripturæ, ſenſus verus Scripturæ intelligetur antequã intelligatur ſenſus grammaticus. Quorſum itaq; ſenſus grammaticus? aut ſi ſenſus grammaticus verus ſenſus eſt, cum ſenſum grammaticum intelligi poſſe credat Cenſor ab homine animali, & quidem naturali modo, quid lumine illo præcedenti, id eſt, altero illo ſenſu opus eſt? Dicere uti in Theſib. ſuis in Synopſi purioris Theologiæ Cenſor. Walæus loquitur, *Spiritus Sancti lumine opus eſſe, ut ſenſus Grammaticus ſpirituali evidentia comprehendatur*, nihil eſt dicere. Nam ſi ſenſus Grammaticus evidens eſt & evidenter intelligitur, utq; eũ evidentem eſſe & evidenter nõ intelligi tantum poſſe, ſed intelligi etiam ab animali homine ibidem concedit, quid *Spirituali evidentia* opus eſt? & quid eſt iſta *ſpiritualis evidentia*, quæ eſt in ſenſu Grammatico evidenter intelligibili & evidenter intellecto? En in quam ἀνεξιχνίαςον labyrinthum ſe conjicit Doctor Leydenſis diſtinctione hac ſua? Quam miſeri ſunt diſcipuli qui tam inanibus diſtinctionum ſiliquis ſaginantur, ut ſues, quibus anima pro ſale data eſt. Si hòc pacto licet diſtinguere, Scriptura nil niſi Cereus naſus & regula Lesbia erit, Enthuſiaſmis atque adflatibus opus erit, ut in quem ſenſum flecti ejus verba debeant, intelligatur. Et hunc adflatum ſibi vindicabit quiſquis volet; Ita quod volent Sabini ſomniabunt. Sed nos jam alterum membrum cenſuræ expendamus.

Hac loquendi ratione inquit Cenſor *declarant Remonſtrantes ſe cum Oſtorodio aliiſque Socinianis putare verborum S. Scripturæ ſenſum ſine interna præcedente illuminatione & revelatione Spiritus S. in hominibus fidem atque obedientiam aliquo modo operari poſſe.* De fide & obedientia, nec vola nec veſtigium in declaratione eſt, nec locus de iis agendi hic erat, nec ſcopus ut de iis ageretur, id permittebat. De nuda tantum ſenſuum divinorum intelligentia ſine καταλήψει agunt: quia de Scripturæ perſpicuitate ſententiam ſuam exponunt. Ex eo verò, quod

Discrimen ostenditur inter nudâ sensuũ Scripturæ κατάληψιν & Fidem quæ sensibus istis adhibetur.

Remonst. sensus Scripturæ necessarios cognitu, ab homine sine interna & speciali illuminatione Spiritus S. intelligi posse statuunt, concludere velle; ergo etiam statuunt, sensum illum Scripturæ, fide accipi atque obedientia compleri posse; usque adeò ineptum & absurdum est, ut nihil supra; Nam I. certum est Diabolos ipsos Scripturę S. sensus necessarios cognitu & creditu ad salutem, clare intelligere, quos tamen Censor credere posse atque obedire Deo juxta sensus illos non dicet opinor. Diabolos a. posse intelligere sensus necessarios, id unum evincit, quod seducere homines à fide atque obedientia eorundem sensuum, omni studio conentur. II. Certum est Reformatos non paucos, alioquin Prædestinationis Fatalis acerrimos Patronos diserte ista à se invicem separare. *VVithakerus* unus pro multis sufficiat. Is Cap. 1. de perspicuitate Scripturæ sic loquitur: *Possumus aliquo modo cognita habere dogmata Scripturarũ, fidemque historicam tenere per verbi ministerium, ita ut articulos (NB) omnes fidei caognoscamus, ac veros (NB) esse judicemus, idque sine interno lumine Sp. ut multi homines impii & dæmones faciunt, &c.* Non examino hîc quomodo consentaneè Withakerus certam solidamque scientiam (de salutari enim lubens admitto) haberi posse neget sine interno lumine: Nam cognoscere Articulos Fidei & eos veros judicare, an non est certo solideque cognoscere? Sed nolo ea de re cum eo contendere. Idem dicit *Petrus Molinæus* in Responsa sua ad Cardinalem Perronium cap 1. *Articuli necessarii in Scriptura tam claris terminis sunt expressi, ut interpretatione opus non habeant.* Similiter *Festus Hommius* disp. 62. de Fide Thes. 3. *Notitiam & adsensum quo pro veris habemus omnia, quæ in Lege & Evangelio sunt revelata, etiam ea quæ captum ingenii humani superant, diserte etiam in diabolis & multis sæpe impiis reperiri.* Quos tamen credere aut credere posse atque obedire divinæ voluntati non concedit: Quare si hac sua consequentia jure gravari Remonstrantes credit Censor, necesse est ut eadem gravet *Withakerum, Molinæum, Festum*, aliosque complures de grege suo, eademque fidelia Socinianismi & Pelagianismi eos omnes pariter denigret: aut si hoc nolit, perperam se conclusisse, & à linea, quod dicitur, excidisse fateatur.

VVithakerus.

P. Molinæus.

Festus Hommius.

Vt verò Censoris hujus iniquitas magis appareat, adde argumento huic mantissam, quæ vel novæ rationis loco esse possit: Tantum abesse ut consequentia ista Remonstrantes gravare potuerit, ut contra si ulla tantum ἐπιεικείᾳ erga eos uti voluisset, à consequentia ista formanda abstinere prorsus debuisset, quia certum est Remonstr.

in cap. 17. ubi ſpecialiter *de credendi & obediendi potentia, ſive de electione ad gratiam & Vocatione ad fidem* agitur, diſertis verbis adſerere Sect. 1. *Deum conferre gratiam homini peccatori, per quam idoneus & aptus reddatur ad præſtandum id omne quod ab eo in Evangelio poſtulatur.* Et Sect. 2. *Gratiam ad fidem & obedientiam præſtandam neceſſariam à Deo concedi peccatoribus, cum eos ad ſe per Evangelium vocat, gratiamque illam dari per prædicationem Evangelii eique adjunctam virtutem Spiritus:* Quæ Remonſtrantium verba reipſa approbantur à Cenſore iſtius capitis, *aut in ſaniorem*, ut ipſe loquitur, *ſenſum ſumuntur*: Diſtinxiſſe itaque Remonſtrantes inter potentiam intelligendi Scripturæ ſenſus, & ſenſibus iſtis credendi obediendique potentiam obſervaſſe debuerat: Quod ſi nihilominus Remonſtrantes in eo Pelagianos eſſe velit, quando Scripturæ neceſſarios ad ſalutem ſenſus à quolibet homine ſano tantum judicio prædito intelligi poſſe aſſerunt, tum vero explicet Cenſor, quomodo Scripturam perſpicuam eſſe ſtatuat contra Pontificios, aut qua in re ſtatus controverſiæ inter ipſum & Pontificios conſiſtat. 2. quomodo infidelitatis argui & contra conſcientiam ſuam, imo in Spiritum Sanctum peccare, juxta definitionem Calvini, poſſint reprobi, quos vocat. 3. Quid iſtud Domini Ieſu ſit; *Servus ſciens voluntatem Domini & non faciens, pluribus plagis vapulabit.* Luc. 12, 47. Item iſtud Pauli 1. Cor 13. 2. *Si habeam omnem fidem*, καὶ εἰδῶ τὰ μυστήρια πάντα καὶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν, id eſt, *Si ſciam omnia myſteria & omnem notitiam, & tamen caritatem non habeam.* Item illud Petri 2. Ep. 2. 21. *Satius enim fuiſſet eis non cognoviſſe viam juſtitiæ, quam agnita illa regredi à ſancto mandato ſibi tradito* Et iſtud Iacobi 4. 17. *Qui novit recte facere, nec facit, hic peccato tenetur.* Ex illis enim conſtat, fieri poſſe, ut ii, qui vera fide, vera obedientia, caritate & ſanctimonia præditi non ſunt, divinæ tamen voluntatis, divinorum omnium myſteriorum, imo veræ juſtitiæ cognitione, ipſiuſque Servatoris Ieſu agnitione ſint præditi: Imo futurum eſſe, ut, qui cognitione iſta præditi fuerunt, & tamen vel fide atque obedientia deſtituti manſerunt, vel à fide atque obedientia iterum defecerunt, propterea damnentur, & gravioribus ac ſeverioribus pœnis afficiantur, quam qui iſta cognitione plane deſtituti vixerunt. Tales autem non ſunt niſi animales aut naturales homines, ſive irregeniti & infideles. Itaque cum iis potentiam cognoſcendi Scripturæ verum ſenſum competere negat Cenſor, alterutrum dicat neceſſe eſt: Aut ſententiæ ſuæ ſententiam Scripturæ directe contradicere: Aut cognitionem iſtam, quæ tribuitur hominibus

Oſtenditur Remonſtrantes diſtinxiſſe inter potentiam intelligendi ſenſus Scripturæ & potentiam ſenſibus intellectis adſentiendi, ſeu credendi.

nibus iſtis in Scriptura, per internam Spiritus ſancti illuminationem in illis effectum fuiſſe. Hoc poſterius non dicet, quia eos, quibus illuminationem illam contingere vult tantum regenitos, fideles & ſpirituales eſſe dicit, oppoſite ad animales homines, & unctione Spiritus Sancti deſtitutos, uti ex locis, quæ citat, manifeſtum eſt. Iſtud prius itaque dicat neceſſe eſt, aut diſtinctionem Sophiſticam more ſuo reperiat ut rimam qua elabatur. Quod ſub finem ſect. 15. addit; *Ex aſſertione hac Remonſtrantiam neceſſario ſequi, non neceſſe eſſe, ut quiſquam naturali lumine potens intelligere ſenſus Scripturæ ad ſalutem cognitu neceſſarios, ad S. literarum cognitionem divinum auxilium imploret*, id prorſus abſurdum eſt. Nam I. ex eo etiam ſequetur, non neceſſe eſſe ut fideles & regeniti, ſive lumine interno ſpiritus Sancti donati, ad S. literarum cognitionem divinum auxilium implorent: Hi enim non tantum poſſunt intelligere ſenſus Scripturæ neceſſarios, ſed eos jam actu intelligunt, iiſque adſentiuntur & credunt. 2. Tantum abeſt, ut conſequentia hæc abſurda videri debeat ut non modo non neceſſe ſit, hominem animalem divinum auxilium ad Scripturarum cognitionem implorare, ut plane impoſſibile ſit, ut ad Scripturarum intelligentiam adſequendam divinum auxilium imploret, niſi ex Scriptura prius intelligat, aut alia aliqua ratione humana perſuaſum habeat, auxilio divino opus eſſe ad earum intelligentiam conſequendam, & Deum pro auxilio iſto rogari velle, juxta illud Apoſtoli: *Quomodo invocabunt de quo non audiverũt?* Cui non repugnat id, quod Remonſtrãtes ſect. 15. declarationis ſuæ dicunt, *Eſſe permultos, etiam inter Chriſtianos, qui divinum auxilium ſubinde, uti decet pie non implorant. Eo ipſo enim requiri*, ait Cenſor, *ut divinum auxilium imploretur pro adſequenda intelligentia Scripturarum.* Nam hoc poſterius membrum, ſi ad alios quam ad eos qui jam Chriſtiani ſunt referatur, ad Iudæos alioſque qui vel ex V. T. vel ex traditione, vel alia aliqua ratione divinum auxilium implorandum eſſe in omnibus rebus perſuaſum habent, referri volunt.

Expenditur conſequentia Cenſoris: Si Scripturæ ſenſus neceſſarii intelligi poſſunt lumine natutali; Ergo non eſt neceſſaria auxilii divini ad S. literarum cognitionem imploratio.

Quæ in Sectione XVI. Remonſtrantium cenſuit Cenſor ea ſunt plane ἀπροσδιόνυσα. Dixerant Remonſtrantes, optimam Scripturæ interpretationem eſſe eam, quæ ſenſum ejus nativum ac literalem quam fideliſſime exprimit, vel ſaltem quam proxime ad eum accedit. Senſum autem nativum ac literalem appellaverant non tam eum, quem verba proprie ſumta præ ſe ferunt, quam eum, qui licet verba rigide accepta eum non inſinuent, tamen rectæ rationi & menti atque intentioni ejus, qui verba protulit, convenientiſſimus eſt,

ſive

ſive ille proprie,ſive figurate enuntiatus ſit:ut autem quid recte rationi & ſcopo autoris convenientiſſimum ſit exponerent, addiderant id ex ſcopo, & occaſione uniuſcujuſque loci ſubjecta materia, antecedentibus,conſequentibus, ſimilium locorum collatione, aliiſque id genus argumentis atque indiciis dignoſci poſſe. In hac tam clare,tam aperte,contra Pontificios imprimis,directa ſectione, arripit & carpit Cenſor voces duas,videlicet *Rectæ rationis*,& ratione,ut putat,recta omnibus probare nititur,rationem rectam nullam eſſe per quam Scripturæ ſenſuum recta interpretatio haberi poſſit,*niſi ſpiritus ſanctus eam illuminet,& is,qui eam illuminatam habet a Dei ſpiritu, in ſenſuum diſquiſitione, non ratiocinationis ſuæ naturalis, ſed ſpiritus ſancti dictamen ac ductum ſequatur.* Quid eſt cum ratione inſanire, ſi hoc non eſt? Nam recta ratio hic non ſignificat vim,qua homo ratiocinando ex ſe ipſo excogitare aut invenire poteſt id,quod rectum & divinę voluntati conveniens eſt,ſed tantum vim, qua ſenſum clare & perſpicue à Deo revelatum apprehendere, aut ex verborum circumſtantiis, ex antecedentibus & conſequentibus,&c. recte ſeu convenienter intentioni ejus,qui verba protulit,elicere poteſt. Deinde,poſito rem ita ſe habere, quod videlicet homo,nec hoc,quod dico,præſtare poſſet; an non ſequetur tandem impoſſibile,imo ineptum ac ſtultum eſſe,ad eruendum genuinum Scripturæ ſenſum rationibus agere aut rationes audire? Nam quæcunque erunt rationes,eæ proficiſcentur aut à mente non illuminata,aut ab ea,quæ à Spiritu Dei jam illuminata eſt. Si ab illa id eſt non illuminata mente proficiſcantur, tum rationes omnes ſunt ſtultæ & ſtolidæ,ſive quis iis utatur, ſive quis eas audiat. Si ab hac id eſt à mente illuminata proveniant, tum fruſtra audiuntur contrariæ rationes,quia qui illuminatus eſt à Spiritu, is non poteſt errare in ratiocinando:& fruſtra prioribus iſtis opponuntur rationes ab illuminata mente profectæ, quia hoc ipſum eſt ſignum evidens priores iſtos non poſſe capere:has rationes,quia mentem non habent illuminatam: nam rationibus utuntur,quæ rationi adverſantur, quæ à Spiritu Dei illuminata eſt. Quid ergo alia re opus eſt,quam hac una, videlicet, ut quiſque fortiter,etiam ſine ulla ratione,ſibi perſuadeat(nam rationem rectam habere non poteſt, niſi hæc perſuaſio præcedat) ſe habere mentem à Spiritu Dei illuminatam: Sic nec fatigabit ſe ipſum audiendo rationes, quas ſcit non poſſe non eſſe falſas; nec laborabit, ut aliis rationes ſuas perſuadeat: quia fruſtra id futurum ſciet, niſi Spiritus prius illuminet mentem ejus, qui perſuadendus eſt, & cum illu-

Recta ratio quid ſignificet in declaratione Remonſtrantium.

illuminat mentem non opus esse sciet, ut id fiat, quia tum is, qui illuminatur, non potest non sensus sacros intelligere. Deinde, si is, qui illuminatus est, rectam rationem judicii de genuino Scripturæ sensu capacem non habet *nisi in disquisitione non ratiocinationis suæ naturalis, sed Spiritus sancti dictamen ac ductum sequatur*, At Censor ait, quis finis? Nam unde dignoscet an in disquisitione ratiocinationis suæ naturalis, an Spiritus Sancti dictamen sequatur? Oportet ut id cognoscat ratione: At qua? An recta? At eam inquirit. An alia? At ea inquirere non potest, nec debet. En ut in circulum absurditatum eat Censor, cum rectam rationem veluti oculum sibi ipsi aliisque omnibus eruit, & recta deinde, ut putat, ratione aliis persuadere vult, quod sentit: Meræ tricæ, mera somnia, & meræ nugæ. Brutum & lapidem facit hominem, ut Deum tanto altius extollat. Ista est putida superstitio, & stulta humilitatis affectatio. Nam quid eximium, quid excellens tribuitur homini, aut quid detrahitur summo Deo, quando dicitur homo sensus sacræ Scripturæ, intelligibilibus, perspicuis ac significantibus verbis propositos, & à Deo ipso non propositos tantum, sed mandatos etiam præscriptosque sub comminatione æternæ mortis, ut intelligantur, examinentur, dijudicentur, intelligere, examinare ac dijudicare posse? Si tribueretur homini sensuum eorundem *inventio*, quod videlicet eos suopte marte, suapte industria, suopte ingenio possit excogitare & invenire, tum vero tribueretur ei, quod Scriptura ei adimit, & soli Deo divinæque ejus gratiæ tribuit: at quando tribuitur homini, quod verba, sensum clare ac perspicue exprimentia intelligere possit, aut, si de verbis controversia moveatur, quod antecedentia, consequentia, similia conferre inter se possit, & ex absurditatibus, quæ secuturæ essent, aliisque rationibus colligere, quis verus sensus & scopus loci sit, de quo quæritur; quid magnum ei tribuitur? Brutum eum facias necesse est, si hoc ei adimis. Et quid? An Diabolus ipse sensus Scripturæ sic adsequi non potest, & non adsequitur? an non multi athei, profani, scelerati sciunt & fatentur sensus Scripturæ veros esse istos, quos fideles Christi servi veros esse statuunt, & tamen iis adstipulari nolunt, imo idcirco iis adstipulari nolunt, quod sensus istos veros, quos optime intelligunt, veros esse nolint in animum suum inducere? An non hæretici intelligunt sensus istos, quos orthodoxi statuunt Scripturæ genuinos sensus esse? Sane, & respuunt idcirco eos & confutant, non facturi id, si eos nullo modo intelligerent. Distinguere hic inter sensum *literalem* & *spiritualem*, nimis

Absurditas exceptionis, qua Censor utitur, hic indicatur.

Nihil detrahitur Deo, quando tribuitur homini, quod sensus Scripturæ claræ propositos possit intelligere.

nimis putidum est commentum, ut jam ante demonstravimus. Ratio etiam, quam hic allegat Censor, ex 1. Cor. 1. 23. ubi præcipua Scripturæ doctrina de Christo *hujus mundi sapientibus stultitia* esse dicitur, non modo non probat contrarium, sed confirmat id, quod dixi. Stultitia enim gentibus istic esse dicitur Christus crucifixus, non quod gentes non possent intelligere aut percipere vi rationis rectæ (id est convenientem & rectum verbis Iesu Christi sensum aptantis, ne quis vocem hanc calumnietur) quænam esset ipsissima doctrina Iesu Christi crucifixi: Nihil minus: Sed quod doctrinam illam, quam optime intelligebant quid contineret, ut stultam & vanam rejicerent atque aversarentur. Eo ipso itaque quod doctrinam illam pro stulta habebant, eam etiam intellexisse judicandi sunt. Nam idcirco eam respuebant, quia intelligebant ac judicabant sensus istos, quos continebat, puta Iesum per crucem in gloriam intrasse, & cum crucifixo Iesu crucem subeundam, ut salvemur, sensus esse, quos humana ratio & sapientia mundi hujus, id est, mundana, quæ omnia utilitate rerum præsentium aut mundi hujus metitur, probare non solet. Stultitia itaque dicuntur fuisse, non quod sensus stulti essent, ut intelligi non possent ab ipsis, aut quod ipsi stulti essent, ut sensus Euangelii intelligere non possent; sed quod sensus, quos intelligebant, pro sensibus habendos esse judicabant, quos non nisi stulti, id est, homines simplices, quos vocant, qui commodis vitæ suæ non sciūt studere, probaturi essent. Confirmatur hoc ex eo, quod idem Christus dicatur *scandalum Iudæis:* Scandalum autem esse non poterat, nisi intelligerent quid doctrina Christi contineret. Eadem hic ratio est. Antequam finio, sic colligo: Si rationis rectæ, quæ à S. Spiritu Dei interno non est illuminata, nullus est usus ad dijudicandos sacræ Scripturæ sensus cognitu necessarios, cur adeo multus est Deus in monendis omnibus omnino, quos per verbum suum vocat, ut *diligenter audiant, attendant, judicent, probent Scripturas, ut sapientes vel prudentes sint, ut non sint pueri sed adulti scientia?* 2. Cur adeo serio commendat eos, *qui probarunt illos, qui se dicebant Apostolos esse, qui sensus illos scrutati sunt*, & scrutatores ejusmodi *generosiores* appellat iis, qui non examinant, non scrutantur sensus Scripturæ? cur reprehendit *negligentes, tardos, languidos, tepidos?* cur eos, *qui Scripturæ sensus detorquent*, qui falsas, ineptas aut vanas de rebus divinis opiniones habent, accusat? cur eos *stultos, dementes ac mente corruptos* vocat, id est, quod ratione recta non utantur? cur eos gravius punit? quomodo & cur tradit eos εἰς νοῦν ἀδόκιμον, *in mentem*

Expenditur locus 1. Cor. 1. 23. à Censore allegatus.

Matth. 15. 10. Ioan. 5. 40. 1. Ioan. 4. 1. Ephes. 5. 17. Apoc. 2. 2. Actor. 17. 11. Luc. 24. 25. Rom. 3. 11. Matth. 2. 29. 2. Pet. 3. 16. Rom. 1. per totum. Rom. 1. 28.

judicii expertem? & similia. Hæc enim omnia totidem sunt absurda, propter quæ Censura hæc Censoris merito videri debet absurda & plane ἄλογος. Nam prima ac præcipua, quæ in Religione præcognosci debent, fundamenta ac fulcra, funditus tollit: & quod caput rei est, hominem ex homine exuit, ut Religionem, quam Pelagianam futuram sine causa metuit, Fatalem sive Manichaicam nobis obtrudat, quæ omnis Religionis pestis est.

Examen Censuræ de Symbolo Apostolico.

Sectione XVII. inquit Censor, *Remonstrantes sub generali epitheto Symboli humanitus (ut loquuntur) fabricati, Symbolum quoque Apostolicum complecti videntur, illudque aliis annumerare hominum scriptis Ecclesiæ traditis, tam publicis, quam privatis.* *Temeritas* hic an imperitia major sit, dubium est. Temeritas: quod n. vel levissimum indicium est, unde id Remonstrantes fecisse videri possunt? An non generalis ista propositio Remonstrantium, *Nullum Symbolum humanitus fabricatum, norma est interpretationis Scripturarum*, non dico verissima, sed apud omnes Orthodoxos receptissima est? *Imperitia:* Alterutrum enim verum statuendum est; Aut Symbolum hoc ab Apostolis vel Apostolica autoritate scriptum esse, & sic ut Symbolum istud Remonstrantes inter scripta humanitus fabricata retulerint, aut referre videri voluerint, ineptissimum esse; Aut Symbolum hoc ab Apostolis vel Apostolica autoritate scriptum non esse, & sic, si illud inter scripta humanitus fabricata Remonstrantes recensere voluerint, nec mirum nec absurdum videri debere. Quamquam vero de neutro horum aperte quicquam statuit Censor, tamen non obscure significat, se credere *Symbolum* istud ab ipsis Apostolis aut Apostolica autoritate scriptum non esse. Quo major iniquitas videri debet, quod is Remonstrantes censere non erubuerit eo nomine, quod *Symbolum* istud, sub scriptis humanitus fabricatus comprehendere visi sint. Nam si scriptum est humanitus fabricatum, aut sine divina autoritate scriptum, cur male illum habet, quod inter ejusmodi scripta à Remonstrantibus, non dico recenseatur, sed recenseri tantum videatur? *Atqui*, inquit, *ignorare non possunt Symbolum Apostolicum ab aliis scriptis Ecclesiasticis hoc saltem nomine discernendum esse, quod non eadem ratione in his scriptis, atque in illo fidei nostræ compendio, tota veritatis doctrina totidem pene verbis ac methodo divina sũmatim comprehendatur.* Esto: An inde sequitur, Symbolũ istud inter scripta humanitus fabricata censendũ non esse, si scriptũ revera humanum est? Aliud est, rem sive sensum Symbolo comprehensã divinũ esse, aliud Symbolum ipsum à Deo vel Dei jussu exaratũ vel scriptum

An ab Apostolis vel Apostolica autoritate scriptum sit.

ptũ esse. Non jam examino an tota veritatis doctrina summatim isto Symbolo comprehensa, & totidem verbis (vox enim *penè*, quam hic Censor addidit, enervat vim totam rationis ipsius) expressa dici possit. Certum est Bonorum operum nullam in isto Symbolo mentionem fieri, quæ tamen ad veritatis doctrinam pertinere nemo visi vecors negaverit. Nec Sacramentorum, nec precationis aliarumve rerum in eo mentio ulla. Adde quod in confesso sit, ut recte annotavit Erasmus variis in locis, Symbolum hoc in principio non complexum fuisse omnia ista, quæ postea, procedentibus temporibus, complexum est, & jam adhuc complectitur. Paulatim enim, variorũ articulorum adversus exorientes hæreses adjectione, auctum id esse docet solidissime *Erasmus contra Censuram facultatis Theologicæ Parisiensis*, Tit. 11. Nempe, clausula Symboli hujus in principio erat, *Credo in Spiritum sanctum*, uti ex Tertull. adversus Praxeam, & ex Canonibus Synodi Nicenæ non obscuræ colligitur. Quoniam vero ob sectas dubitari poterat, ubi nam esset Ecclesia, additus est articulus, *Credo sanctam Ecclesiam*. Præpositio *in* veteribus ignota fuit. Propter Novatum deinde additus videtur sequens articulus, *Credo remissionem peccatorum*. Post, quum exorirentur, qui animarum resurrectionem quidem profitebantur, sed corporum negabant, adjectus est: *Credo carnis resurrectionem*. Rursum quum Origenistæ faterentur nos resurrecturos cum corporibus, at nõ his, in quibus nunc degit anima, in Symbolo quod exponit Cyprianus, Aquilegiensi additum est, *Hujus carnis resurrectionem*. Ex hoc jam etiam colligere est, quid ponderis habeat quod subjungit Censor: *Nec eodem consensu universus Christianismus alia scripta humana sibi tradita amplexus est, aut etiamnum amplectitur*. Cui adde, quod de ipso isto consensu, dubitandi causa sit. Certum enim est*, symbolum hoc varie apud Veteres referri, adeo ut toti etiam articuli supersint aut desint. Cyprianus ipse fatetur Symbolum hoc in diversis Ecclesiis diversum habitum fuisse suo tempore, adjectis quibusdam, quæ Romana non haberet Ecclesia. De articulo, *Descendit ad inferos*, res plana est, nec in Romano, nec in Orientalium Ecclesiarum Symbolo habebatur. Articulum *de Sanctorum communione* præterit Cyprianus, verisimiliter, ut æquipollentem præcedenti, *Credo Sanctam Ecclesiam*. Nec Tertullianus, nec Augustinus, nec Cyprianus habent ultimum articulum, Et *vitam æternam*. Et ad Sanctam Ecclesiam non addiderunt vocem *Catholicam*: licet Augustinus, velut interpretans, eam adjiciat. Hæc omnia, etsi talia sint, ut de Symbolo hoc Apostolorum, quod

An contineat omnia scitu ac creditu ad salutem necessaria.

An uniforme semper fuerit?

Vide Erasmum ad Censuram Facultatis Theologicæ Parisiensis Titulo 11.

An communi consensu ubiq; receptum sit.

vocatur, prout nunc à nobis legitur, dubitari non injuria poss , imò credi penè debeat id ab Apostolis ipsis, aut Apostolica autoritate scriptum non fuisse: tamen Remonstrantes, ut quanto in pretio illud habeant, declararent, totum illud, tamquam formulam, in quam universus consentit Christianismus, & merito quidem , declarationi suæ inseruerunt. Quod vero censor addit, *se non satis intelligere causam, cur id Remonstrantes fecerint*, id ex eo est, quod præjudicio plenus, pessima quæque de Remonstrantibus, etiam sine ulla manifesta ratione credere malit, quam rationi cedere , aut quicquam eorum benigne interpretari. Patet hoc clarissime in censura sequentis commatis, ubi, quod *de Analogia fidei hic illic recepta* à Remonstrantibus additum fuerat, suspicione infamat, tanquã si de analogia fidei simpliciter dictũ fuisset. Particula ista, *Hic illic recepta* , satis arguit de qua analogia isthic loquantur Remonstrantes. *Si per Analogiam fidei intelligant Remonstrantes*, inquit, *sanæ doctrinæ proportionem ac convenientiam , quæ ex indubitatis constat S. Scripturæ axiomatis, & evidentibus fidei principiis, tum vero censura digni sunt Remonstrantes*. Quasi vero quisquã tam sit exsensæ mentis, aut usq; adeo ab omni ratione alienus, ut tale quid per analogiã fidei *hic illic receptam* indicari vel per somniũ suspicari possit. Quis hujusmodi judicia expectet ex Academia, aut à pileatis Doctoribus.

Analogia Fidei.

AD CENSVRAM CAPITIS II.

De cognitione essentiæ seu Naturæ divinæ.

IN *Sectione* I. cum dicit Censor, Remonstrantes quando statuunt *Religionem Christianam totam in recta unius veri Dei, & , quem ille misit Iesu Christi mediatoris cognitione*, &c. *consistere*, Iesum Christum, ut Mediatorem, Deo Patri uni vero Deo opponere; utique non censet Remonstrantium confessionem , sed Scripturam, cujus ea sunt ipsissima verba, Ioan. 17. 3. *Hæc est vita æterna , ut te cognoscant unum illum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Cui infinita alia loca addi possunt, imprimis quæ in principiis Epistolarum Apostolicarum occurrunt. Alterutrum det Censor, Aut Scriptura, cum ita loquitur , opponit Iesum Christum mediatorem Deo Patri, aut non : Si opponit, cur , si idem faciunt Remonstrantes, id iis vitio vertit? Si non opponit, cur à Remonstrantibus id fieri dicit,

Censetur hic ipsa Scriptura non a. Confessio Remonstrant.

quando

quando non aliis, quam iisdem Scripturæ verbis, & signanter quidem majusculo charactere notatis, utuntur? Sed hic succus est loliginis, hæc ærugo mera & censendi impetigo est.

Sectione II. occasionem censendi prolixam captant ex vocabulo, *dignissimi.* Non enim censent, sed *quærunt quid isto vocabulo sibi velint Remonstrantes.* Nempe turgent Doctores suspicionibus gravidi: Hinc quæstiones, veluti informes molas, ubique abortiunt, quia nihil recte concipiunt, quod à Remonstrantibus profectum est. Sub omni vocabulo, veluti sub saxo viridi latere ipsis videtur anguis, & ubique odorantur sagaces viri, quod suspicionem auget. Occasio quærendi hæc est; dixerant Remonstrantes : *Naturam Dei primo loco esse considerandam, ut recte intelligatur, Deum ex se esse dignissimum, qui à nobis colatur.* Hæc verba dicunt Sociniano sensu accipi posse, *Deum sc. ob suam naturam divinam, ex sese dignissimum esse inter eos quos licet adorare, ac proinde maxime vel præcipue, non autem solum esse adorandum.* Atqui vox *dignissimus* isto in loco non comparative, nec ita superlative posita est, quasi relationem ad alios dignos dignioresq; habeat. sed absolute & emphatice, prout de Deo fere loqui solemus Κατ' ἐξοχὴν sive cum superlativa exaggeratione. Id patet ex eo, quod Remonstrantes dicunt, *Deum ex sese dignissimum esse.* Nam si per *dignissimum ex sese* comparationem fecissent, quasi liceat quidem alios adorare, sed non maxime vel præcipuæ, sane sic loquendo, alios ex sese etiam dignos quidem esse, sed nō dignissimos esse indicassent, quod absurdū esse prima statim fronte omnibus liquet. Deinde, cum de cultu loquuntur, non loquuntur nisi de cultu universo, qui Religione Christi præscribitur. Sub eo autem etsi adoratio etiam comprehendatur, ad eam tamen proprie ut respexerint hoc in loco Remonstrantes, nulla justa ratione colligi potest, aut debet. Quæ hic prolixe de adorationis cultu disseruntur, præteriri possent : Sunt enim aliena ab hoc loco & ex professo de eo agetur in *cap. 16.* Sed ne Censor existimet Remonstrantes ad quæstionem hanc suspiciosam, directam atque apertam declarationem declinare, ita habe : Cultum, quo Deus ex sese ob naturam suam divinam dignissimus est, hactenus distinctum esse volunt à cultu, quem Scriptura Christo Iesu, ut mediatori tribuendum esse dictat, quod Cultus, quem Iesu Christo contra-distincto à Deo Patre Scriptura tribuendū esse dictat, est cultus, non quo Iesus Christus ratione naturæ divinæ, quam per generationem ex Patre habet, dignus est, sed qui Iesu Christo ut mediatori in tēpore à Patre assignatus & attributus est, quemq;

Quo sensu Deum ex se dignissimum esse qui colatur, Confessio Remonstrantium adserat.

Discrimen inter Cultum Dei & Christi Mediatoris.

Christus adeptus est propter obedientiam, quam Patri suo præstitit ad mortem usque crucis, quam jussu Patris sui voluntarie pro salute generis humani subiit: uti disertis locis Scripturæ expressum est Ioan. 5. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & filio vitam habere in seipso.* Et ἐξουσίαν *authoritatem ei dedit etiam judicium faciendi, quia vel quatenus Filius hominis est.* Et paulo ante: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant & Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem* (NB) *ut qui miserit eum.* Philip. 2. 8. *Christus fuit obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis,* διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε: *Idcirco etiam Deus ille superexaltavit eum,* καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ, *& donavit ei nomen, quod est supra omne nomen: ut ad nomen Iesu omne genu se flectat, cælestium, terrestrium ac subterraneorum, omnisque lingua confiteatur, quod Iesus Christus (sit) Dominus, ad gloriam Dei Patris.* Ad Heb. 2. 7. 8. *Fecisti eum* (Iesum θεάνθρωπον hominem mediatorem) *paulisper inferiorem Angelis, gloria & honore coronasti eum & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus,* &c. Vide 1. Cor. 15. 27. *Omnia subjecit sub pedes ejus* (Deus) *Quum autem dicit omnia ei subjecta esse, palam est hoc dici excepto eo, qui subjecit ei omnia. Postquam verò subjecta fuerint ei omnia tunc & ipse Filius subjicietur ei, qui subjecit ipsi omnia, ut Deus sit omnia in omnibus.* Ephes. 1. 20. 21. 22. 23. Hinc ipse Christus Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis Potestas in cælo & in terra.* Et apud Ioan. cap. 17. 2. *Sicut dedisti ei autoritatem in omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam, &c.* Hujusmodi loca plura sunt, quæ clare dicunt, Christum θεάνθρωπον sive mediatorem, qua talem, gloriam, majestatem & honorem adorationis sive cultus non habere à se, sed à Patre: & quidem χάριτι τοῦ θεοῦ, sive per χάρισμα, id est, non per gratiosam proprie, sed per liberam & liberalem donationem; honorem hunc cœpisse aliquando, & aliquando finem habiturum; quando videlicet, regnum mediatorium cessabit. Sic de cultu Dei & Christi simpliciter sentiunt, sic loquuntur, & cum Scripturis loqui volunt Remonstrantes: securi quæstionum istarum, quas in Scholis texunt nectuntque otiosi Doctores; An cultus ille substantia idem sit cum cultu Dei: an fundamentum istius cultus sit natura Christi divina, an alia quædam dignitas, cujus etiam particeps est natura humana: Tum, an in personam terminetur qua talem, an in personam, quatenus in ea est natura divina, & similia. Has enim subtilitates, dicam, an vanitates? non tantum non curant, sed

& ode-

Ioan. 5. 26.
Ibid. vers. 22.
Philip. 2. 8.
Ad Heb. 2. 7. 8.
1. Cor. 15. 27.
Ephes. 1. 20.
Ioan. 17. 2.

& oderunt, ut ingeniorum cruces; & quas, hypotheses Scholarum fecerunt inexplicabiles simul atque interminabiles. Si quis hoc calumniari velit, ut Socinianum, ille sciat injuriam fieri Remonstrantibus, &, ut ut sit, calumniam istam non in Remonstrantes, sed in Scripturam ipsam redundare.

Huic censuræ in eadem sectione adjungit aliam, quæ ejusdem farinę est. *Periculosa*, ait, *est assertio ista, qua Remonstrantes ajunt, non necessario tenenda esse ea omnia, quæ ad divinam essentiam, & omnes operandi modos atque operationum species, quacunque tandem ratione, pertinent; Sed ea tantum, sine quibus divina voluntas, in Scripturis patefacta, aut recte cognosci, aut præstari non potest.* Cur? *Sic videntur*, aut, *cum Vorstio, nonnullas proprietates atque actiones divinas, ex numero necessariarum excludere.* Sed videtur, solvitur per non videtur, &, fortasse, per non fortasse. Deinde ait, *Ignorare non possunt, mentem nostram non minus, quoad naturæ & operum Dei cognitionem, quam voluntatē & affectus nostros præceptorum Dei observatione imagini ipsius conformari debere.* At hoc est τὸ κρινόμενον. Quantum attinet *ea omnia, ad essentiam divinam & omnes operandi modos, atque operationum species, quacunque tandem* (*NB*) *ratione pertinent*, non, uti imperite Censor ait, *quantum attinet ad id ut divinæ naturæ convenienter sentiamus, prout se in verbo suo declaravit*; Hoc enim plane est extra quæstionis statum, nec contradicit assertioni Remonstrantium. Deinde, posito quod hic status esset quæstionis, tamen eo ipso, quod Censor præcepta ad voluntatem & affectus tantum refert, indicat non obscure, cognitionem illam naturæ atque operum Dei ad præcepta ista non pertinere, atque idcirco, saltem ratione præceptorum, magis nos debere conformari imagini Dei, quoad voluntatem & affectus, quam quoad mentem: Denique cum cognitionem naturæ atque operum Dei in Thesibus suis, quæ in *Synopsi purioris sc. Theologiæ* extant, cultui sive pietati subordinatam esse dicat, satis indicat cognitionem illam propter cultum & pietatem necessariam esse, non contra, ac proinde de cognitione dici non posse, quod non minus sit necessaria, quam pietas. Nam propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale: At propter cultum & pietatem cognitio naturæ & operū Dei necessaria est: Ergo. Sed observare hîc est in censura hujus sectionis, Censorem aliter multo hic, quam in thesibus istis loqui. Nam cognitionem hîc non subordinat cultui, sed coordinat, sive consociat, quia cognitionem & cultū vult esse duos fines medios, sive conditiones prærequisitas, ad vitam beatam consequendam, &

Petitio principii in Censura ostenditur.

ratio-

Inepta citatio loci Matth. 5. 8. redarguitur.

rationem addit; *Interdum* enim in Scripturis *una sub altera reciproce ordinatur, cognitio veritatis sub pietate. Ut* Tit. 1. 1. *& pietas seu sanctimonia sub Dei visione seu cognitione.* Matth. 5. 8. *Beati mundi corde, quoniam Deum videbunt.* En mutatam orationem, & insulsam mutationis causam, quia *pietas aliquando subordinatur visioni seu cognitioni, ut* Matth. 5. 8. quasi videlicet visio seu cognitio ista Dei, de qua agitur, Matth. 5. 8. sit eadem illa cognitio, quam paulo ante finem, medium, seu conditionem prærequisitam vocavit, ad vitam beatam consequendam. Pudet tam inconsideratæ interpretationis. Cognitio enim sive visio illa Dei, est ipsa vita beata, ad quam cognitio illa, de qua hîc agimus prærequiritur; Est enim ratio propter quam Christus beatos pronunciat mundos corde: Tum futurum tempus *videbunt Deum,* de alia seu visione, seu cognitione, vid. illa, quæ præmii loco erit, Matthæum loqui, non obscure indicat. Sed clarius multo mentem suam, sive mutatam, sive detectam proposuit Censor, cum dixit, *Sacram Scripturam de utraque illa Religionis parte ita loqui, ut cognitionem Dei Patris & Iesu Christi cultui utriusque, tanquam caussam proximo suo effectui ac fini præponat; ac Dei cognitionem, in vera fide consistentem, Deo, per se, cultum verò per illam cognitionem Deo gratum, hominique salutarem esse.* Nam in hisce verbis duo notatu digna sunt. *Primum*, quod cognitionem non tantum præponat cultui, sed præferat, & quidem idcirco, quia cognitio caussa est pietatis, ita ut ejus vi pietas, tanquam proximus ejus effectus, necessario existat. *Secundum*, quod cognitionem per se Deo gratam & homini salutarem esse dicat, cultum verò per accidens, seu per aliud, nempe per cognitionem. Quæ duo quorsum spectent haud difficile est colligere: Impietas aptiore velamine tegi non poterat. Necessitas præceptionis pietatis & bonorum operum ista via simul ac semel eliditur: quin & pietas ista ratione per accidens grata esse dicitur Deo, & qui cognoscit Deum, per se Deo gratus esse asseritur. Nec est quod objicias Censorem sub cognitione comprehendere fidem quando dicit *cognitionem in vera fide consistentem, &c.* Hoc enim Censoris inscitiam arguit, quia fides prima ac potissima pars est cultus divini, quatenus cultus à cognitione distinguitur, & fiducia, quæ forma Fidei est, non ad intellectum, sed ad voluntatem pertinere diserte à Censoribus his in synopsi ipsorum Disput. 31 Thes. 14. dicitur.

Quod tandem in fine *Sectionis* hujus ait Censor, *mirum sibi suisque videri, quod Remonstrantes tam audacter & confidenter definiant tot*

operandi

operandi modos divinos, atque operationum species in capitibus de Providentia Dei, & de conversione hominis, cum tamen hic & alibi tot modos minime necessarios esse asserant; id nescio, an admiratione, an risu dignum sit. Nam *Primo* aliud est definire modos varios, aliud asserere definitiones istas modorum esse cognitu necessarias ad salutem: Quæ vera esse creduntur, ea definiri possunt: At quæcunq; definiuntur ut vera, non statim necessaria esse cognitu ad salutem dicuntur. Deinde dicit, *Remonstrantes adserere hic & alibi tot modos, quot definiunt de Providentia & de conversione hominis, non esse necessarios.* Vbi? Dicunt quidem omnia, quę ad omnes operandi modos & operationum species, quacunq; tandem tatione pertinent, non esse necessaria cognitu ad salutem: At omnes eos modos, quos recensuerunt, nō esse necessarios in tractatione quęstionum ad Providentiam pertinentium, nunquam dixerunt. Aliud est, modos esse necessarios ad pertractandam rem: Aliud, modorum istorum cognitionem esse necessariam cognitu ad salutem. Hæc Doctorem Academicum non vidisse, an non admiratione dignum est?

Sectione III. nulla censura, sed iterum mera tantum suspicio continetur. *Hoc loco obiter*, ait, *naturam Dei spiritualem esse pronunciant, nullibi definientes an natura ipsius sit mere spiritualis, adeoque in æternum nobis invisibilis*: Nempe omnia definienda sunt apud hos Doctores, qui nihil ignorant, & minutissimas quasque controversias acumine subtilitatum suarum ad unguem secant. Nuspiam consistunt. Sequendum est, si purus haberi velis, & à suspicione liber esse. Sequamur eos. Remonstrantes quæstionem istam, an Dei natura aliquando beatorum oculis visibilis sit futura, non tantum non necessariam, sed inutilem atque ineptam esse crediderunt. Nam natura, sive essentia Dei, etiamsi corporea esset, non tamen idcirco oculis corporis visibilis esset, quanto minus itaque visibilis est, quum sit spiritualis? Nihil videtur aut videri potest oculis corporis, nisi per colorem aut lucem. Accidentia sola oculis corporis videntur. Deinde, cum de Visione Dei beata loquatur Scriptura, tantum abest ut Remonstrantes credant eam de visione illa, qua essentia divina oculis corporis videtur, ut ne quidem proprie ac solum de visione illa eam loqui credant, quæ cognitio intuitiva essentiæ divinæ à Scholasticis & Monachis dici solet. Essentialem beatitudinem in eo non collocant, & disputationes Scholasticorum ea de re nullo certo fundamento, sed sola tantum phrasi ista, qua visuri & cognituri Deum dicimur, præter phraseos ipsius propriam & passivam significationem, niti credunt. Nam visionem Dei,

An essentia Dei oculis beatorum visibilis sit futura, non necessaria adeòque inutilis quæstio est.

Scholasticorū assertio de essentiali beatitudine in cognitione essētiæ divinæ intuitiva sine certo fundamento est.

ſi phraſin conſideres ſignificare cognitionem eſſentiæ divinæ intuitivam, unde conſtat? dubium non eſt, quin cum Scriptura phraſi iſta, Deum videndi, utitur, per Synecdochen metaphoricam, glorioſam & familiarem cum Deo commorationem & converſationem intelligat, eique beatitudinem tribuat, quia ii, quibus ea concedenda aliquando eſt, tum non tantum fruituri ſunt glorioſę Dei majeſtatis pręſentia, ſed & benevolæ ejus præſentiæ ſigna atque effecta, tam clare, tam jucunde, tam familiariter percepturi ac ſenſuri ſunt, ac ſi oculis ſuis eſſentiam ipſius Dei totamque adeo Dei Majeſtatem viderent ac intuerentur. Qualis autem & quomodo iſta perceptio futura ſit, id credunt prorſus inexplicabile eſſe, atq; idcirco cum Apoſtolo dicunt, τότε πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, τότε ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην, id eſt, *tum facie ad faciem videbo, & cognoſcam eum, prout cognitus ero, vel prout cognoſcere factus fuero.*

Viſio Dei quid ſignificet in S. Scriptura.

Addit Cenſor, nihil etiam de *ſimplici natura* Dei docent: Quid mirum? de ea ne jota quidem in Scriptura eſt. Deinde diſputatio iſta tota metaphyſica eſt; de ipſo termino ſimplicitatis nondum convenit inter Philoſophos. Rem verò quotuſquiſque intelligit? Tota penè metaphyſica proluendus eſt animus, antequam intelligas quid ſit compoſitio, tum an & quid ſit compoſitio ex eſſe & eſſentia, ex actu & potentia; an compoſitio hæc ſit vera compoſitio: An ſimplicitati Dei repugnet, ſi volitiones & actiones Dei liberæ ab eſſentia Dei dicantur diſtinctæ; quia inexplicabile videtur, quomodo, ſi diſtinctio nulla ſit, volitio Dei libera eſſe poſſit, imo quomodo volitio deſinere ac ceſſare poſſit, cum eſſentia libera non ſit, ſed ſemper eadem prorſus maneat, nec deſinere unquam poſſit: Item, cum de Deo expreſſe dicatur, quod juſtum quem amat, à juſtitia ſua deficientem odio habeat & averſetur, quomodo amor iſte & odium ſubſequens amorem, reſpectu ejuſdem ſubjecti, ſit ipſa Dei eſſentia, quæ eadem ſemper manet, & quæ ſunt ejus commatis alia. Et quotuſquiſque mortalium quæſtiones iſtas intelligit? habent ibi acutiſſima ingenia, in quo exerceant induſtriam ſuam. Et poſtquam id fecerunt, altercationes eorum aridiores ſunt arena. Crucem diceres eos ſibi ipſis fixiſſe, ex qua ſuſpenſi hæreant. Remonſtrantes itaq; earum deciſiones Doctoribus Academicis relinquunt, & iis omnibus, quibus libet in arido iſto pulvere luctari & ſejugulare. Tertio, Et cur faciant aliter? ut intelligantur neceſſe non eſt, juxta ipſum horum Cenſorum fundamentum, quod in Synopſi ſuæ Theologiæ purioris poſuerunt, Diſput. III. Theſ. 19.

De ſimplicitate divinæ Naturæ.

Quæſtio hæc tota Metaphyſica eſt.

Ezech. 18. 24. 33. 11.

Quic-

Quicquid Scriptura non continetur, quamvis ſimpliciter ab ea non diſſentiat, non eſt neceſſarium ad ſalutem dogma. Tale eſt hoc quæſitum de ſimplicitate naturæ divinæ: Quare mirum merito videri debet, quod Cenſor hic eouſque progrediatur, ut ejus deciſionem cognitu neceſſariam eſſe ſtatuat: Nam certum eſt, deciſionem hanc non contineri Scriptura. Rationes, quas allegat, neutiquam iſti neceſſitati probandæ ſerviunt.

Quæſtionem hanc non eſſe ſcitu neceſſariam, ex ipſo Cenſorū Fundamento ſive axiomate evincitur.

Nonne, inquit, ad unitatem *naturæ divinæ tribus perſonis, Patri, Filio, & Spiritui S. communis, plene intelligendam neceſſaria eſt ſimplicitatis ipſius cognitio, per quam eum omnis compoſitionis & diviſionis expertem eſſe novimus?* At, mi Cenſor, hoc eſt idem illud quod quæritur; An videlicet naturæ divinæ unitas plene percipi non poſſit, niſi ei tribuatur omnimoda ejuſmodi ſimplicitas, ita ut volitiones ejus liberæ, ſint ipſa ejus eſsentia. Naturam enim divinam unam eſse, apud omnes in confeſso eſt. Simplicitatem autem omnimodam, ex. g., qua dicitur liberum velle Dei, eſse ipſam eſsentiam divinam, unitati iſti repugnare, probandum erat. Et quomodo hoc fiet, niſi definitio unitatis certa & extra controverſiam prius ponatur? At hic acumine toto Metaphyſico opus eſt. Tum, omnimodam ſimplicitatem non eſſe neceſſariam ad hoc, ut aliquid unum & pluribus non tantum perſonis, quæ ab eſſentia non niſi ratione differunt, ſed etiam rebus partibuſque realiter ab ipſa & inter ſe diſtinctis commune ſit, ſola animæ natura indicat, quæ, etiamſi ſimplex non eſt, una tamen eſſe, & tota in tota, & tota in qualibet parte corporis eſſe creditur. Secunda ratio Cenſoris hæc eſt;

Rationes Cēſoris hujus contrariæ & præcedenti Fundamento repugnantes examinantur.

Prima ratio.

Nonne ad identitatem Dei, & attributorum ejus eſſentialium percipiendam neceſſaria quoque eſt doctrina de ipſius ſimplicitate, ex qua in Deo non eſſe res, aut qualitates ab ejus eſſentia diverſas cognoſcimus? Enervis argumentatio. Nam eſto, doctrina de ſimplicitate Dei ſit neceſſaria ad identitatem Dei & attributorum ejus eſsentialium percipiendam. Ergo doctrina de Dei ſimplicitate eſt talis doctrina, qua omni modo aut ſic ſimplex eſse dicitur Deus, ut non tantum attributa ejus eſsentialia cum eſsentia ejus unum ſint, quod nemo Remonſtrantium unquam negare ſuſtinuit, ſed ut, ex. g. volitiones ipſius liberæ ſint unum idemque cum ipſius eſsentia, imo non niſi ipſiſſima ejus eſsentia. Quæ ratio? Hoc autem concludendum erat: quia idcirco dicit Remonſtrantes non docuiſse de ſimplici Dei natura, ne D. Vorſtio ſe opponerent Deo naturam ex ſubjecto & accidentibus, id eſt, ex eſsentia & volitionibus liberis compoſitam affingenti: Deinde tantum ab eſt ut doctrinam de eſsentiæ & volitionum liberarum in Deo unitate neceſsariam

Secunda ratio.

riam esse concludere possit Censor, ut doctrinam de omnimoda identitate divinæ essentiæ & attributorum ejus essentialium præcise cognitu ad salutem necessarium esse, non permittat κριτήριον Censorum ad quod dijudicari volunt, non an dogma aliquod necessarium sit, hoc enim nuspiam tentant, sed an dogma aliquod sit non necessarium; cujus supra mentionem fecimus. Tertia ratio digna est quæ exsibiletur: ne speciem quidem consequentiæ habet.

De Æternitate Dei.

Sectione VI. & VII. de Æternitate Dei recte & aperte loqui Remonstrantes ait Censor. Euge! semel bene loquuntur Remonstrantes. Mirum quod hic de Metaphysica æternitatis definitione, quæstionem non moverit, & Socinianismi aliquod vestigium non olfecerit.

De Dei immensitate.

De Dei infinitudine & immensitate loquuntur, inquit, *oblique & ambigue, cum ajunt, Deum in omnibus ubique locis præsentem adesse modo generali & incomprehensibili; non definientes, an ubique locorum, tam in terra quam in cœlo, atque etiam extra illa, atque omnia locorum spatia sit, secundum suam essentiam.* Mire suspicax est hujus Censoris animus. Nulla fere Sectio est, quæ justam censuram habere dici potest. Suspiciones utramque paginam faciunt. Contemni possent, & forte deberent. Quis enim non nauseet ad tot purulentas suspiciones? Sed ostendenda est Censori sua indisputando imperitia, & in suspicando Κακοξία. *oblique* inquit, *& ambigue loquuntur.* Nempe, quia non ex præscripto & ad formulam loquuntur. Nam, si idcirco oblique & ambigue loquuntur, quia non definiunt in terminis quod Deus *secundum essentiam suam* sit tum in terra & cælo, tum extra illa, atque omnia locorum spatia, oblique etiam & ambigue loqui Scripturam dicatur necesse est, illa enim semper loquitur, uti Remonstrantes loquuntur, & nunquam uti Censor hic Remonstrantes loqui vult. Nec enim uspiam in Scripturis legitur Deum *secundum essentiam* suam ubique esse, nedum Deum secundum essentiam suam esse extra cælum & terram in spatiis omnibus, etiam imaginariis. Remonstrantes cum Scriptura & ad Scripturæ formulam, divinam omnipræsentiam agnoverunt, modum præsentiæ, utpote sibi incomprehensibilem, & in Scriptura non expressum, definire non fuerunt ausi, rati sufficere, si intra Scripturæ locutionem starent, & ab intricatis Scholarum litibus, de hoc præsentiæ modo in totum abstinerent, aut professione ignorantiæ sese subducerent. Nec mirum: usque adeò involuta & implicata est reddita lis hæc, ut vix quisquam sanus homo sub sole sit, qui postq am omnia ad eam pertinentia accerrime excussit,

Remonstrantes quamquã nõ negant Deũ secundum essentiam suam ubiq; esse, tamen cum S. Scriptura loqui maluerũt, quæ modum divinæ præsentiæ nuspiã definit.

excussit, ita ut nihil ad decisionem faciendam reliquum fecisse videatur, tandem tamen fateri non debeat sibi deveniendum esse ad ingenuam istam voculam, *Nescio*. Evanescit in concipiendo, nedum in ratiocinando mens, & gurgite difficultatem absorberi se sentit, ubi in quæstionis istius adyta penetrare incipit. Et bone Deus! quis atopicam & atomicam istam essentiæ divinæ & personarum trium divinarum præsentiam, non dico tantum in cælo & terra, in cloacis, in Idolis fœdissimis, in diabolis, in inferno ipso, sed extra cælum & terram in spatiis etiam imaginariis, quæ non constat uspiam esse, & quæ fingi necesse est, & ficta quid sint, intelligi non potest, sic comprehendit, ut non hæreat, non stupeat, non tremat, non horreat? Quis ista, cum dicit, intelligit? Ab istis sane facilis prolapsus est in Atheismum. Nam juxta illam Thesin, sequitur hoc axioma: Quicquid est, id est Deus & essentia divina: Si quid aliud statuitur, quod Deus non est, atomica Dei præsentia laborat. Quod si qui tamen sunt, qui aliter censent, aut tam firmo judicio, ut difficultates has omnes possint superare, fruantur judicio suo. Remonstrantes decisionem illam suam esse nolunt, aut saltẽ eã necessariã esse non credunt, vel hoc uno argumento adducti, quod Scriptura eã nuspiã faciat, idcirco malunt Deo eã relinquere, & futuro isti seculo, in quo videbunt Deũ, sicuti est. Nescire liceat, quę non nisi periculosè credũtur. Et cũ sũmma subtilitate disceptãtur.

Sectio octava primam habet Censuram, sed infelicem valde, itaque inscitam. *Quanquam*, ait Censor, *Remonstrantes hic quoque eventa possibilia nominant, in eo tamen prævaricantur, quod contingentia silentio prætermittunt, vel potius diserte non recensent.* Nam I. certum est, Censorem hunc, aliosque, si consentaneè principiis suis loqui velint, contingentia nulla, quæ verè contingentia sunt, uti, ex.g. libera, agnoscere. II. Certum est eos credere contingentia, qua talia, præcise sumta, non cognoscibilia, ac proinde inter objecta divinæ omniscientiæ referenda non esse. Contingentia nulla, quæ quidem vere contingentia sunt, non agnoscunt, quia libertatem voluntatis veram, quæ in indifferentia activa sita est, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, vel hoc aut illud agere, funditus tollunt, & lubentiam sive spontaneitatem conjunctam cum judicio, ipsam veram libertatem esse volunt, uti suo loco demonstrabitur. Spontaneum autem istud tantum abest, ut inter contingentia censeri debeat, ut semper summe sit necessarium. Contingentia vero, qua talia, non esse scibilia statuunt in terminis. Vide quid disertis verbis

De Scientia rerum contingentium.

Censores ipsos nulla vere contingẽtia agnoscere & vere contingentia, qua talia, non esse cognoscibilia statuere, prolixè demonstratur.

verbis ea de re scripserit *Iohannes Camero Professor Theologiæ* in responsione sua ad libellum, cui titulus est, *Epistola viri docti*, &c. quam Censores ipsi aliique judicio suo approbarunt & dignam judicarunt, quæ in lucem mitteretur, uti ex Epistolis Festi Hommii, aliorumque ei præfixis liquet. Verba ejus hæc sunt: *Non potuit Deus divinare, quorsum hominis primi volũtas libera sese inclinaret, priusquam ipsa sese inclinavit in alterutram partem. Vin id demonstrem? Qualis est res, talis est rei scientia. At hæc inclinatio in sua causa incerta fuit, quæ ἀδιάφορος indifferens (ut ita dicam) erat in utramvis partem. Ergo in sua causa certo id sciri non potuit.* Sed, quid ego novitium & nuperum hunc Scriptorem allego? *Calvinus* ipse Institut. suarum lib. 3. 21. diserte ita loquitur: *Decretum quidem horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quem exitum habiturus esset homo, antequam ipsum conderet, & IDEO præsciverit, quia decreto suo sic ordinaverat.* Loquitur autem de decreto proprie dicto, quia addit; *fatemur factum fuisse Dei consilio ac voluntate, ut Adamus lapsus sit.* Et, ne longe abeamus, Censor hic in eandem sententiam, & ad Calvini formulam, hoc ipso in loco scripsit; *Contingentia ex scientia determinata seu visionis cognoscit Deus, sub ratione prævisæ* (inepte hæc vox *prævisæ* inseritur) *existentiæ, tanquam certo futuræ, quia Deus, ut ea aliquando fiant, ab æterno ordinavit.* Contingentia itaque, qua talia, juxta Censorem hunc, non cognoscit Deus, nec cognoscere potest aliter, quam cognoscere eum dicit possibilia, videlicet scientia indeterminata seu simplicis intelligentiæ, sub ratione possibilis tantum existentiæ, propterea quod Deus, ut ea aliquando fiant, non decreverit: ut enim futura sunt, cognoscere non potest scientia determinata, nisi in decreto & ordinatione, ut aliquando fiant: At contingentia, ut futura ex decreto, non sunt contingentia, sed necessaria: aut, si contingentia sunt, & contingentia ea esse vult Censor, eadem etiam comprehensa fuisse à Remonstrantibus sub vocabulo, Futurorum, cur non credidit? Si eos determinationem hujusmodi divinam non agnoscere dicat Censor, tum necesse est, ut fateatur eos idcirco eam non agnoscere, quod alioquin secuturum sit, mala etiam à Deo non cognosci, nisi quia & quatenus determinationi isti divinæ subjacent. Mala itaque à Deo, ea determinante erunt, & ut sic determinata à Deo cognoscentur: ut contingentia itaque non cognoscentur, nec cognosci à Deo poterunt: quod tamen illud ipsum est, quod Censor hic in Remonstrantium declaratione carpit. Sed ut nos eum hac ratione premamus non est necesse:

Ioannes Camero.

Calvinus.

Censor ipse hic fatetur contingentia qua talia non sciri à Deo.

Remonstrantes vere con-

necesse: Certum est, quod Remonstrantes attinet, eos contingentiam & libertatem, quæ vera & sola contingentia ista est, quæ hic consideranda venit, & à lubentia ac spontaneitate Censorum toto cælo distat, agnoscere. Deinde, certum est, eos Prædestinationem ex prævisa fide & fidei perseverantia, nullo interveniente absoluto decreto aut ordinatione de fide ista per vim irresistibilem efficienda, passim urgere. Quid inde concludatur nemo non videt. Quæ ex Thesibus Episcopii citantur, ea istis non repugnant. Etsi enim verbo *videtur* in Thesibus suis Episcopius utatur, tamen, cum dicit passim in Scripturis scientiam contingentium tribui videri Deo, non obscure indicat, se in eam sententiam maxime propendere: Interim quod disquiri permiserit, an necessarium scitu sit ad hoc, ut Deus colatur, scientiam istam Deo competere, in eo eum & recte & prudenter fecisse, cur dubitetur? Qui disquiri & examinari aliquid permittit, is, etiamsi significare videatur rationes ex utraque parte esse, quæ probabiles sunt & verisimiles, tamen sententiam suam nondum interponit. Quare, quid de ea ipsa re statuerit Episcopius, colligi ex verbis istis non potest. Censura itaque hæc tota nil iterum nisi mera & inepta conjectura ac suspicio est.

tingentia agnoscere ostenditur.

Quæ Sectione IX. censentur, ea huc proprie non pertinent, & suis singula locis, ubi de voluntatis libertate, de providentia Dei & Vocatione hominũ ad salutem agetur, expendenda venient. Breviter itaq; tantum perstringam, quæ hic Censor carpit. *Vitiosa*, inquit, *est definitio liberrime voluntatis Dei, qua Remonstrantes asserunt Deum non intrinseca naturæ suæ necessitate determinari aut ad volendum bona, aut ad nolendum vel permittendum mala, quæ extra ipsum sunt ac fiunt, &c.* Ratio est, *Quia duo, quæ simul in Deo sunt atq; amice inter se conspirant, tanquam contraria ἀσύστατα inter se opponunt, nimirum intrinsecam ipsius naturæ necessitatem, & voluntatis ad ea, quæ extra ipsũ sunt aut fiunt, libertatem.* Valde crude atq; inscite hæc dicuntur. Nam Remonstrantes non negant naturæ necessitatem in Deo esse, & simul etiam libertatem voluntatis, nec ea tanquam contraria ἀσύστατα censent, quasi simul in Deo esse non possint, aut quasi ita sint opposita, ut eidem subjecto simul inesse nequeant; Nugæ: tantum dicunt, volitiones Dei liberas ex naturæ divinæ necessitate non fluere, ac proinde etiam non produci à voluntate, ut voluntas natura est, sed à voluntate, ut est potentia activa indifferens ad hoc aut illud volendum, vel simpliciter ad volendum aut non volendum, sive, ut *Thomas Aquinas* loquitur, ut est *principium electionis*. Nam alioquin

De libertate divinæ voluntatis.

quin volitiones essent simul necessariæ & liberæ, quod contradictionem implicare manifestum est. Quæ enim necessaria sunt, ea non possunt non esse: Quæ libera sunt, ea possunt non esse, quia libertas species contingentiæ est. Posse autem non esse, & non posse non esse, contradictoria sunt & infinite inter se distant. *At necessitas naturæ in Deo est*, inquit Censor, *quatenus ipse alius esse non potest, quam in se est, necessaria sc. atque immutabiliter sapiens, bonus & justus. Quando igitur ei lubet aliquid velle præter se, & aliquid ex se agere, illud naturaliter non potest quam suæ naturæ perfectissimæ congruenter velle & facere.* Esto: si modo superlativæ istæ affirmationes positivo sensu accipiantur. *Hæc libertas quoque in Deo est*, inquit, *quatenus multa bona, quæ extra ipsum sunt, potest aliter velle & agere, quam vult & facit.* Atqui hęc libertas, non est nisi libertas contrarietatis, quam vocant, & necessitati naturali hactenus opponitur etiam, quod Deus, etiamsi natura sua sit determinatus ad volendum quod rectum est, non tamen determinatus sit ad hoc aut illud rectum volendum: Sed de libertate contradictionis potissimum quæritur, An Deus ad simpliciter volendum extra se per intrinsecam naturæ suæ necessitatem determinetur, ita ut non possit non volitionem hanc aut illam extra se habere ex. gr. creare mundum, remittere peccatum, satisfactionem postulare, &c. sive, an Deus possit non velle, id est, supersedere à volendo extra se, id quod si vellet, sine dubio sapienter, juste ac recte vellet. Itaque non quæritur, utrum Deus id omne, quod vult extra se, sapienter, juste ac recte semper velit, nedum, an inter ea, quæ recta & justa sunt, hoc aut illud velle possit; sed an Deus ad volendum quicquam extra se, per sapientiam, justitiam & rectitudinem suam naturalem ita determinetur, ut non possit non velle: Sive, an volitio, qua Deus extra se aliquid vult, talis sit volitio, quæ ex intrinseca naturæ divinæ necessitate fluit, ut Deus eam non possit potueritve non habere. A vero itaque controversiæ statu aberravit Censor: Sed elenchi ignoratio familiare est hujus Censoris vitium. Idem apparet in censura sequente. Ex eo enim, quod Remonstrantes dixerant Deum bona quidē omnia ita velle, ut ea etiam approbet & procuret, quædam etiam jubeat, suadeat, optet, desideret, & suo semper modo efficiat; colligit eos eo ipso asserere, *unicum tantum agendi modum, eumque perpetuum, in Deo bona opera præcipiendi esse, nimirum moralem seu suasorium.* Atqui Remonstrantes non dicunt, Deum bona omnia suadendo, jubendo, optando, semper efficere, sed quædam bona suadere, optare, desiderare, & suo semper modo efficere,

Ignoratio Elenchi familiare Censoris hujus vitium est.

cere. Aliud autem est suadere, optare, & suo semper modo efficere, aliud non nisi suadendo efficere. Et quis est adeo rerum sacrarum ignarus, ut dicere audeat Deum non nisi unico agendi modo eoque perpetuo uti, videlicet suasorio seu morali? Ne Pelagius quidem id dixit, ut Augustinus ipse fatetur lib. 1. de Grat. Christ. cap. 7. *Pelagius*, inquit, *adjutorium Dei multipliciter insinuandam putavit, commemorando revelationem & doctrinam, & oculorum cordis apertionem, & demonstrationem futurorum, & apertionem Diabolicarum insidiarum, & multiformem & ineffabilem doni gratiæ cælestis illuminationem* (NB) *ad hoc utique ut divina præcepta & promissa discamus*. Remonstrantes vero directe & diserte etiam id negare constat ex Actis & scriptis eorum Synodalibus. Vide in Declaratione sententiæ eorum circa articulum 3. & 4. pag. 60. *Regeret*, inquiunt, *fortasse quispiam, ex hac nostra deductione concludi posse à nobis aliam gratiam non statui, quam moralem: Sed respondemus, neutiquam recte concludi. Potentiam enim credendi conferri dicimus per irresistibilem gratiam, &c.* Videatur hujus etiam ipsius Confessionis ipsorum cap. 17. distinct. 1. & 2. Quando vero Remonstrantes in Declaratione sua hoc in loco dixerunt *Deum suo semper modo efficere bona*, non id voluerunt, quasi Deus non nisi suadendo efficiat bona, quæ jubet: Sed tantum, quod Deo vere tribuatur, quod bona efficiat, etiam quatenus illa jubet, optat ac desiderat, vel potius, quando bona ista non tantum optat ac desiderat, sed suo semper modo etiam ut effectum sortiantur, operam dat. Quis autem ille modus sit non exponunt. Et hoc quidem idcirco addiderunt, ut contradistinguerent voluntatem hanc Dei, à voluntate Dei, qua circa mala versatur. Hac enim Deum mala non velle significant, ut videlicet ea vel procuret, vel approbet, vel jubeat, vel suadeat, vel desideret, vel suo modo efficiat. Atque hæc quidem ita dicta sunto, non quod existimem idcirco Censura dignam futuram fuisse Declarationem, etiamsi haberet Deũ non nisi morali suasione (supposita tantum potentiæ gratiosa concessione) uti circa eos, quos credere & resipiscere jubet: nihil minus. Istud enim certissimum est. Nec jubendum est quod efficitur, nec efficiendum quod jubetur. Stulte jubet & vult ab alia fieri aliquid, qui idipsum, quod jubet, in eo efficere vult, efficitque ea vi, cui reluctari non est in potestate ejus, cui jubet, ut postea suo loco videbimus: Sed ut paralogismos hujus Censoris tantum ob oculos poneremus: Rarissime enim sic disputat, ut non præter casã, quod dicitur, currat. Sectione sequente, quod à Remonstrantibus dictũ fuerat, *Deum*, vid., *mala culpæ sive peccata*

Quo sensu Remonstrantium declaratio adferat Deum suo semper modo bona efficere.

peccata velle permittere, ac proinde volentem permittere, non quod ea fieri à nobis velit, aut, ut fiant, efficaciter ordinet vel decernat, hoc, inquam, censet tanquam ambigue dictum: Quo circa eos *iterum interrogare cogimur*, inquit, *quo sensu dicant, postquam de permissione Dei & voluntate permittendi peccata egerunt, Deum non velle ea à nobis fieri?* Audiamus distinctum & acutum interrogatorem. *Si Remonstrantes hoc dicant respectu voluntatis Dei præceptivæ & approbativæ in verbo ipsius revelatæ, idem bis dicunt.* Nugæ. Quis adeo excors, qui istam periodum sic intelligat? *Sin autem*, inquit, *respectu voluntatis Dei permittentis hoc dicant, sibi contra dicunt*; Cur? *Nam si Deus*, inquit, *vult peccata permittere, eaque volens, ut ajunt, permittit peccata, certe voluntate permissiva ab aliis fieri vult.* Quam sordide! quam imperite! Permittere velle peccata, non est velle ea fieri, sed tantum velle permissionem, qua posita, peccata fieri possunt, aut non fieri. Permissio non dicit voluntatem futuritionis, nec supponit futuritionem peccatorum, ut Calviniani affirmant; sed tantum dicit id, quod necessario præcedere debet, ut peccatum fieri possit. Volitio futuritionis, affirmationem notat: Volitio permissionis, negationem. Permittere enim aliud nihil est, quam nolle impedire, quominus peccatum fiat, aut fieri possit, sive futurum sit, sive non futurum: Posita enim permissione divina, non sequitur idcirco peccatum futurum: imo fieri potest, ut tamen peccatum non sequatur, sive ut non fiat: Sed hoc non vidit bonus Censor. Permissionem enim Dei aliam non esse sibi persuadet, quam divinæ voluntatis remissionem, qua posita, fieri non potest quin peccatum fiat: quod arcanum Calvinianæ impietatis est. Nam sic peccata omnia in Deum unum ac proprie transcribi necesse est: Sic statuitur Adamus non potuisse non peccare: Sic reprobatio non circa lapsum, sed circa integrum hominem absoluta voluntate facta statuatur necesse est, aliaque ejus generis horrenda. Hujusmodi vero permissionem à Censore hoc loco intelligi ex secundo quæsito liquet: cum interrogat, *quid sibi velint Remonstrantes per vocem Efficaciter, cum negant Deum efficaciter, ordinare aut decernere ut peccata fiant?* Nam satis indicat se, si voce *efficacitatis* intelligatur positiva aliqua & externa efficientia, concedere quidem isto sensu, Deum non ordinare aut decernere ut peccata fiant: Sed si intelligatur negatio efficientiæ ad peccata impedienda sufficientis, quæ etiam efficacitas vocari potest, nullo se modo id concedere. Permissio enim divina ipsi est talis negatio, qua posita, peccata fieri necesse est. Sed libet hic ignorantiam Censoris clarius

Velle permittere peccata quid sit.

Permissio quid Censoribus sit.

rius paulum detegere. *Si intelligunt*, inquit, *Remonstrantes Deum non decernere nec ordinare peccatorum permissionem actu interno voluntatis conconsultæ, certoque consilio determinatæ, qui apud Deum ipsum sit efficax, nos Vorstium ipsis opponimus.* Magnum profecto acumen Censoris hujus! Quasi voluntas permittendi aliud quid esse possit, aut quisquam tam sit fatuus, ut quum voluntatem & decretum permittendi dicit aut concipit, aliud quod intelligere aut concipere cum ratione possit. *At si*, inquit, *actum voluntatis Dei externum, seu executionem intelligunt, qua peccata permittit, non esse efficacem apud homines peccatum committentes, id certo respectu concedi potest, quatenus actus iste externus seu executio decreti permissivi, est nuda Dei permissio; nihilque aliud, quam actionis negatio aut omissio.* Quis, bone Deus! Censorem hunc deliberata mente hæc scripsisse credat? Actionis negationem, sive non impeditionem, quæ non potest non esse actio Dei interna, vocat externum voluntatis Dei actum, seu executionem decreti permissivi: Non agere velle itaque, sive perstare in volendo non agere, est externa agere: continuare decretum permissivum est executio decreti permissivi sive actus voluntatis Dei externus. Pudet equidem tam inepti distinctoris. Quid si per permissionem intellexisset Censor actualem divinæ gratiæ subtractionem, uti non pauci inter Calvinistas intelligere se profitentur, consequenter locutus fuisset, & speciem haberet distinctio: Sed quia nil nisi meram actionis divinæ negationem se intelligere affirmat, vanitate ipsa vanior est ejus distinctio. Deinde, ista ipsa negatio actionis sive non impeditio peccati, non est efficax, inquit, *certo respectu.* Nota, certo inquit respectu: Nimirum (ô acumen!) respectu talis physicæ efficaciæ, quæ positivam efficientiam sive subtractionem notat. *Sed quoniam*, inquit, *ista Dei permissio semper cum actus vitiosi, tam interni, quam externi, moderatione conjuncta est, ideo à quibusdam ex nostris Theologis recte efficax permissio appellatur.* Quam timide! quam inepte! Pudet Censorem suæ sententiæ. Moderatio enim illa Dei quid est? an est actus Dei internus an externus? Si externus, an negatio actionis, an positiva actio? Si negatio, tum bis idem dicit Censor. Si positiva actio, tum permissio, vel est physica efficientia, quam tamen hic excludit, vel saltem per efficientiam externam permissioni conjunctam, permissionem efficacem fieri, dicat necesse est. Et sic efficacia non tribuenda est permissioni ut tali, sed efficientiæ positivæ, quæ permissioni conjuncta est: Vnde consequetur tandem si efficentia talis divina versatur circa omnem actum

Ridicula Censura.

vitiosum, tam internum, quam externum, Deum per positivam actionem peccatorum omnium, verum, proprium ac solum Authorem esse. Consequentia patet ex terminis. En, ut suo se gladio jugulavit Censor, & dum Remonstrantes taxaturum se credidit, arcanum impiæ doctrinæ suæ, distinctionis hujus suæ subtilitate, velut clave, aperuit.

An Deus necessario punire teneatur peccatorem.

Sectionis XI. Censura prima indigna est serio responso. Nam statuere justitiam Dei vindicatricem sic esse Deo essentialem, ut Deus vi ejus obligetur & necessitetur ad puniendum peccata, ineptissimum & Deo indignissimum esse, non tantum rationes complures, sed etiam ista omnia loca probant, quibus Deus misericors, tardus ad iram, clemens, remittere peccata, transgressionum non velle recordari, dicitur, &c. Et fatentur id non pauci Reformati Theologi, ut mirum merito videri debeat, quod hoc etiam Censuræ suæ caput fecerint Censores. Piscator ipse, nuper admodum publice & ingenue profiteri non erubuit, se, quanquam aliter credidisset, jam tamen rationibus D. Vorstii propius expensis, in ipsius sententiam concessisse. Secunda ejusdem sectionis Censura acris quidem est, sed admodum inscita, dicam, an ridicula? Dixerant Remonstrantes, Deum in omnibus operibus & judiciis suis (imprimis autem in præmiis distribuendis & pœnis infligendis) rectitudinem & justitiam, qua suum cuique tribuitur, semper exacte servare, & jus æquissimum exercere. *Huic assertioni*, inquit Censor, *repugnat tota Euangelii doctrina, quæ testatur Deum electorum suorum fidem, eorumque opera coronaturum dono gratuito vitæ æternæ.* Matth. 25. 34. Quis non miretur audaciam Censoris hujus, & collectionem ejus tam futilem admiretur? *Tota*, inquit, *Euangelii doctrina repugnat isti assertioni*, & unum tantum locum Matthei allegat, ubi ne quidem dicitur id, quod ibi dici ait. Tum, certum & clarum est, Scripturam asserere non uno in loco vitæ æternæ donationem ex justitia futuram, uti diserte videre est. 2. Tim. 4. 8. ubi Deus ut *judex justus daturus* dicitur *coronam justitiæ omnibus, qui expetiverint illustrem ipsius adventum.* Et ad Hebr. 6. 10. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboriosæ caritatis vestræ, &c.* Et 2. Thess. 1. 6. *justum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui vos affligunt, afflictionem: Vobis vero, qui premimini, relaxationem nobiscum, dum patefiet Dominus ipse de cælo, cum Angelis potentiæ suæ, &c.* Vide Rom. 2. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 1. Ioh. 1. 9. Consequentiam sive collectionem quis admittat? Ex gratia coronabit Deus opera nostra vita æterna: Ergo vitæ æternæ distributio

Datio vitæ æternæ à Deo promissæ, actus justitiæ distributivæ merito vocatur.

non fiet ſecundum juſtitiam diſtributivam. Aliud enim eſt vitæ æternæ præmium promittere, aliud præmium promiſſum diſtribuere: Promiſſio pure pute gratuita eſt : Diſtribuere , poſt promiſſionem factam , ſuum cuique præmium , pro ratione præſtitæ conditionis ad præmium conſequendum requiſitæ, juſtitiæ actus eſt, tum reſpectu ejus, qui promiſit, tum reſpectu eorum, quibus promiſſio facta eſt: Reſpectu ejus qui promiſit , quia verbo ſuo promiſſorio , licet gratioſo, ſe obligavit alteri, & promittendo jus alteri in ſe dedit. Ex promiſſo enim naſcitur obligatio, & quidem talis, ut promiſſor promiſſum bonum ſibi retinere, aut diminuere ex eo non poſſit, ſine injuria ejus, cui promiſit. Reſpectu eorum , quibus promiſſio facta eſt , quia juſtum eſt, ut jure ſuo, eo quod in ipſos tranſlatum eſt , utantur. Promiſſa enim res non amplius eſt promittentis, ſed ejus, ad quem promiſſio pertinet : Nec refert an res promiſſa ſit proportionata labori ejus , cui promiſſio ſub conditione facta eſt, an non: Id enim nō ad diſtributionem , ſed ad promiſſionem conſiderandum venit. Quod verò dicit Cenſor , *Ergo vita æterna eſt ſtipendium potius ac pretium debitum, quam donum gratuitum* , nimis eſt futile. Debitum enim ex promiſſo immerito & gratioſum donum non repugnant, imo eo ipſo, quia aliquid eſt debitum ex promiſſo libero & liberali, adeoque pure pute gratioſo, gratioſum donum eſt & manet. Quod vero ex promiſſo debetur alicui , id juſtum ſane eſt ut ei detur , quia juſtitiæ eſt ſuum cuique dare. Quod autem mihi debetur, id meum eſt, quocunque tandem modo debeatur & qualecunque tandem ſit. Verum quidem eſt Apoſtolum Rom. 4. 4. de operantibus ſolis dicere , quod eis tribuatur merces ex debito, de credentibus autem, quod eis ex gratia detur : At Apoſtolum voce debiti iſtic ſtrictiore ſignificatione uti , ex verbo Operandi ſatis liquet, & ex natura rei, quia alioquin dixiſſet Apoſtolus id, quod Iudæi aliique ſtatim damnare ac reſpuere potuiſſent. Nam debitum ex quolibet promiſſo naſcitur, qualecunque tandem ſit, etiamſi ſit gratioſiſſimum. Id autem hac etiam in re locum habere, ex illis locis Scripturæ evincitur, ubi Deus vitam æternam daturus dicitur fidelibus & ſanctis ad finem uſque perſeverantibus , quia non eſt injuſtus judex, & quia juſtum eſt ut ita faciat. Atq; hæc quidem res adeò certa viſa fuit primis Reformatoribus, ut Auguſtana ipſa Confeſſio, quæ in Harmonia Confeſſionum eſt, non dubitarit aſſerere, *Bona opera noſtra præmia mereri, adeoque eſſe ipſam juſtitiam,* uti videre eſt in Articulo de Bonis Operibus.

Exceptioni occurritur.

Quæ ſequũntur, inquit Cenſor, ea ſunt leviora. Itaque nos ea prætcribimus & ad graviora progrediemur, ne otio noſtro, in levioribus Cenſuris cenſendis, voluiſſe abuti videamur.

AD CENSVRAM CAPITIS III.

De SS. Trinitate.

IN Sectionis primæ cenſura confert Cenſor exemplar Latinum cum Belgico. In illo dicit reperiri quaſdam locutiones, quæ vel aliter habent in Belgico, vel prorſus omiſſæ ſunt. Magnum crimen! acutum videt ſuſpicax & malignus oculus. Sed ſuſpicio lema eſt, quæ judicium faſcinat. Res utrobique eadem: idem utrobique ſenſus eſt. Nam quod attinet ea quæ aliter in Belgico quam in Latino haberi dicit, ea talia ſunt, ut *quid iſta mutatione innuere voluerint Remonſtrantes* Cenſor ipſe *non ſatis ſe intelligere dicat*. Conjecturam adhibet ut cribrum, ſed revera pædagogicum & Scholare. *Niſi forte*, inquit, *cum Vorſtio, eſſentiam divinam & perſonas affirmāt ſe habere ut genus & ſpecies*. Id ne ſomniarunt quidem Remonſtrantes, nec intelligunt quid ſit. Futiles iſtos & ſtultos terminos Academicorum rident: Nec credunt Cenſorem intelligere quid dicat, aut quomodo ex verbis iſtis concludi, vel per decimam conſequentiam poſſit: Ergo, eſſentiam ut genus, perſonas ut ſpecies ſe habere ſignificant. Sed quorſum hæc? Phraſis eadem eſt, eadem Phraſeos utriuſque ſententia. Tranſlatio ſignificantiſſima eſt. Latini termini, qui in Scholis noti ſunt, & rem illuſtrant apud eos qui terminorum periti ſunt, tranſlationem obſcuram reddidiſſent apud plebem, in cujus gratiam tranſlatio facta eſt. Quod ſi pari jure agere nobis liberet, quam crebras, quam pudendas, quam inconcinnas variationes oſtendere poſſemus in exemplaribus Confeſſionis horum Cenſorum. Augiæ ſtabulum eſt. Crederes quemlibet pro arbitrio ſuo phraſes, ut ſordes, immiſcuiſſe in ſingulis pene articulis: uti id à Remonſtrantibus in collatione Exemplarium, cum conſiderationes ſuas in Confeſſionem iſtam Synodo repræſentarunt, obſervatum fuit, & ex parte hic illic in conſiderationibus indicatum, nominatim verò pag. 87. ſect. 10. Quæ omiſſa eſſe dicit Cenſor, ejuſdem ſunt farinæ. Duæ ſunt enuntiationes, inquit: I. *Deus in verbo ſuo Deitatem*

tatem suam patefecit nobis œconomice meditandam : Esto. At quis illud, *œconomice meditandam* Belgice ita reddat, ut intelligi à plebe possit? At ambigua est enunciato & indigna interpretationis. Nugæ. Vox *œconomice* clara est. Qui Patrem dicit & Filium, œconomiam dicit : Deus, verbum, Spiritus, œconomiam proprie non dicunt : Proprietas vocum id arguit : An Patres ista voce, hoc sensu usi sint, non putant operæ pretium expendere : Quanquam certum est Tertullianum ista voce eodem prorsus sensu usum esse, & quidem in hac de Trinitate materia. Altera enuntiatio, quam omissam esse dicit, hæc est, *Alia Deitatis persona est prorsus* ἀνάιτιος. At Belgicum exemplar ita habet: *D'eene persoon is niet voort-ghebraght.* Quid hic omissum? An vocem Græcam Belgice reddi voluit? at Latinum exemplar, Græcam vocem reddidit. Addidit enim, *h.e., improducta.* Hanc reddidit Belgicum. Quid restat adhuc reddendum? Pudet, pudet tam stupidæ censuræ. Scrupulus, quem in voce ἀνάιτιος facit Censor, nimis est frivolus, quam ut solicite expendi mereatur.

In Sectione secunda dicit Censor *Remonstrantes minus dicere, quam in priore suo Belgico exemplari: quia dicunt Deum Patrem à nemine habere suam essentiam sive originem. Nam vocem essentiæ hic omittunt.* Quis non rideat Censuræ insulsitatem? Imo plus dicunt, quia dicunt, Deum Patrem expertem esse *omnis originis*. Omnis origo, an non essentiæ originem etiam notat? Quin imo, quid origo aliud significare potest, quam incipere esse? Sed hoc indicasse etiam satis est. Alterum quod in hac sectione censet, est, quod exemplar Belgicum & Latinum variare videantur in adsignandis Christo Filiationis causis : Sed hoc sane nuce cassa inanius est. Particulam enim, *tantum*, quæ in Belgico exemplari tertio membro addita videtur, etiam ad priora duo membra, referri quid vetat? Ratio recta non permittit, ut eam aliter quam in Latino exemplari exstat, Censor accipiat. Christum enim per Creationem proprie dictam, aut gratiosam adoptionem Filium Dei esse, ut Censor statuat Remonstrantes credere, non permittit Hypothesis ipsius, qua eos cum Socino sentire adfirmat, quem id ipsum ex professo negare & ab Arrio, cujus ista sententia est, ea in re dissentire, certissimum est. Cavillatio itaque est, & plena quidem inscitiæ. *At*, inquit Censor, *saltem manifestum est ex Latino exemplari, Remonstrantes affirmare, Deum Patrem Christo tanquam* (hæc vox *Tanquam* inepte inserta est à Censore) *Filio suo unigenito Deitatem suam duplici modo communicasse: Nimirum per veram, attamen arcanam & ineffabilem generationem, & per gratiosam divinæ*

divinæ potestatis ac gloriæ supremæ communicationem, Ita est. *At hoc*, inquit, *contradicit Scripturæ. Nam Scriptura sacra, unicam tantum Deitatis communicationem à Patre Filio ejus unigenito factam agnoscit, per divinam sc. Filii sui ac naturalem generationem.* Audax assertio: Nihil falsius, nihil quod Scripturæ verbis magis directe contrarium est. Tantum enim abest, ut unicam tantum Deitatis communicationem, sive unicam tantum filiationem Christo tribuat Scriptura, ut disertis verbis, & variis in locis, eum diversas ob caussas Filium Dei vocet, quæ tamen omnes ad duas illas, quas diximus, referri possunt. Nam ex Luc. 1. vers. 35. aperte liquet, Angelum Dei nomine affirmare Christum idcirco Filium Dei vocandum fore, quod nasciturus esset ex matre, quam Virtus Altissimi inumbratura erat, & quæ ex Spiritu S. superveniente, uterum esset latura, Matth. 1. 18. *Propterea enim*, inquit Angelus Mariæ, *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, vers. 35. *sive Filius Altissimi*, ut est vers. 32. Hæc nativitas, hæc Filiatio, non est æterna illa nativitas, nec æterna illa Filiatio: Ergo non unica tantum generatio, nec unica tantum Deitatis communicatio. Hoc cum ita sit, quid obstat quo minus dici possit, Christum Deum Patrem suum vocare, τὸν ἴδιον seu proprium suum Patrem, Iohan. 5. 18. etiam ratione hujus productionis? Nam hæc Christo uni ac soli propria est, & hanc cum nulla alia creatura habet communem. Dicit Censor, *Christum Patrem suum vocare τὸν ἴδιον σοῦ πατέρα, ob solam æternam generationem.* At dicit hoc tantum, sed non probat, & ut probet impossibile est: Tentet, & videbit: Deinde ex cap, Iohan. 10. 35. 36. manifestum est, Christum Iudæos convicisse, quod jure se Filium Dei vocare potuerat, & quod Iudæi caussam non habebant ipsum blasphemiæ postulandi idcirco, quod se Filium Dei vocasset, hac solida & ἀκαλαγοῤῥήτῳ ratione, quod à Patre suo sanctificatus, & missus esset in mundum ad procurandum salutem generis humani. *Nam*, inquit, *si illos dixit Deos, ad quos sermo factus est, nec potest solvi Scriptura; Mene, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum blasphemare dicitis, quia dixi Filius Dei sum?* Propter sanctificationem itaque hanc, & missionem in mundum, Christus se Filium Dei non minori jure esse ac dici posse concludit, quam Magistratus aliiq;, propter munus excelsum & egregium, quod gerunt inter mortales, ad quod à Deo sanctificati sunt, Dii ac Filii altissimi, in Scripturis à Deo ipso vocantur, psal. 82. 1. 6. Ratio plana est & evidens: Tertio ex Act. 13. 32. 33. clarissime patet, Chistum Filium Dei vocari, imo

Christus pluribus modis & variis de caussis vocatur in Scriptura Filius Dei.

Primo.

Secundo.

Tertio.

à Deo

à Deo genitum dici, quatenus à Deo ex mortuis ſuſcitatus, & ex terra, veluti ex utero, rurſum eductus fuit in vitam; nam ſic ſonant verba; *Nos vobis Euangelizamus promiſſionem, quæ Patribus facta eſt, Deum* vid. *eam expleviſſe filiis eorum,* id eſt, *nobis, ſuſcitato Ieſu; ut etiam in pſalmo ſecundo ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Per ſuſcitationem autem ex mortuis aliquem, recte & merito Filium Dei vocari poſſe, natura rei indicat; Deus enim ſolus tum eſt autor vitæ iſtius, & in communionem ejus non venit homo ullus: & locus Luc. 20. 36. arguit evidenter, *Sunt Filii Dei, quia ſunt Filii Reſurrectionis*: unde & Chriſtus dicitur, *definitus Filius Dei potenter per reſurrectionem ex mortuis*, Rom. 1. 4. Denique ad Hebr. cap. 1. 4. aperte dicitur de Chriſto, *poſtquam*, vel, *eo ipſo quod conſedit ad dextram majeſtatis Dei in altiſſimis, quod tanto præſtantior factus fuerit Angelis, quanto excellentius præ illis nomen* κεκληρονόμηκεν. i. e. ſortitus eſt. *Nam cui Angelorum dixit unquam, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ac rurſum, *ego ero ei Pater & ipſe mihi erit Filius.* Ex hiſce liquet, quam inconſiderate Cenſor hic affirmet, Scripturam Chriſto Domino noſtro, unicam tantum filiationem attribuere ex unico ad divinam & æternam ipſius generationem reſpectu; & contra quam recte, quam ſolide Remonſtrantes cum Scripturis aſſeruerint, Chriſtum pluribus modis Filium Dei eſſe ac vocari. Nequis verò exiſtimet hoc à Remonſtrantibus ſolis, contra & præter Reformatorum, & cæterorum Chriſtianorum omnium opinionem, ſtatui, is videat quæ in hanc eandem ſententiam ſubjunximus teſtimonia, quæ inſtar multorum erunt. Rudolphus Gualterus in Luc. 1. *Deinde repetit Gabriel quod prius dixerat, Filius Dei vocabitur, quod non modo ad æternam illius divinitatem, verum etiam ad incarnationem referri debet. Vt enim, quoad divinam naturam, verus & æternus Filius eſt Chriſtus, ita quoad aſſumptam carnem quoque revera Filius Dei dicitur: nam ſi homines Dei Filios ſcriptura dicit, ad quos (ut Chriſtus ait) Dei ſermo factus eſt, id eſt, qui ad munus aliquod peculiare divinitus deſtinati ſunt, quanto magis nomen hoc Chriſto debetur, qui ut, quoad carnem, abſque viri congreſſu, Spiritus S. virtute & operatione ſingulari ex virginis ſubſtantia generatus eſt: Ita munus etiam à patre accepit omnium excellentiſſimum, ut ſcilicet populi Dei Rex & Sacerdos æternus, atque unicus humani generis Redemptor ſit.* Hieronymus Zanchius parte 2. de tribus Elohim, lib. 2. cap. 6. *Sic enim dixit* (Angelus) διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον: *ideo etiam* (id) *quod naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. Quorſum illa particula copulativa* καὶ, *etiam? nimirum, quia voluit*

Per ſuſcitationem ex mortuis, merito quis vocatur Filius Dei.

Citantur teſtimonia Reformatorum in eandem ſententiam.

Rudolphi Gualteri in 1. cap. Lucæ.

Hieronymi Zanchii de Tribus Elohim.

tuit indicare, Christum antea quidem fuisse Filium Dei, alia, quam nunc recens natus sit, ratione, nempe quia genitus ex substantia Dei Patris, illius scilicet naturæ respectu, qua non est conceptus è Spiritu S. Nunc vero etiam aliam accedere rationem propter quam idem vere futurus sit Filius Dei, potius quam hominis, etiam secundum illam naturam, qua nasciturus erat ex virgine, quia scilicet non de semine viri, sed ex Spiritu Dei, hoc est vi Spiritus S. erat concipiendus. Hanc vim habet illa particula Etiam καὶ, *ut optime observavit Epiphanius.*

Maldonatus in 1. cap. Luc.

Maldonatus in Luc. 1. *Ad probandum autem id quod nasciturum erat ex virgine, Dei Filium futurum fuisse eo sensu, quo exposui, aptissima ratio fuit Angeli, quia non ex viro, sed ex solo Deo concipiendus erat. Itaque etiamsi Christus Deus non fuisset, illo tamen modo genitus, quo genitus fuit, merito Dei Filius vocatus fuisset; non solum ut cæteri viri sancti, de quibus dictum est, ego dixi Dii estis & Filii excelsi omnes, sed singulari quadam & propria ratione, quod non alium, quam Deum, haberet Patrem, non ab alio quam ab eo generatus. Eodem prorsus modo, quo Lucas infra cap. 3. 38. Adamum Filium Dei vocat, quia non à viro, sed à Deo genitus fuerat.* Distinctiones fortassis hic pro more suo accumulabit Censor, sed eæ tam obscuræ, tam futiles erunt, ut Scoto dignæ sint futuræ & quas ne Holcot aut Bricot quidem intelligat: *Atqui*, inquit, *duæ hujusmodi Filiationes se mutuo evertunt necessario: Nullus enim Filius ob naturalem generationem alterius filius vere sic dictus, ob aliud aliquod bonum adventitium, Filii nomine proprie insignitur.* Inepte primum hic inseritur in fine hujus pargraph. vox *proprie.* Nemo & enim adeo amens est ut gratiosam Filiationem sive generationem, proprie dictam generationem sive Filiationem vocet. Assimilatio gratiosa, vere ac recte dicitur Filiatio, sed non proprie. Nec enim est propria generatio. Sic nos recte ac vere filii Dei sumus, ac vocamur in Scripturis, imo divinæ naturæ consortes dicimur, etiamsi proprie filii Dei non simus. Sed clarissime in adoptione res patet. Is qui naturaliter filius alterius est, vere quidem filius adoptantis fit, etsi non proprie, quia in jura omnia filii succedit, non aliter quam si proprie ex adoptante genitus esset. Sic olim in vet. Fœdere filius ex fratris demortui vidua, proprie à vivo & superstite fratre genitus, filius tamen vere, imo ex mandato & jussu divino, erat ac vocabatur, non fratris qui eum proprie genuerat, sed ejus, qui jam diem suum obierat. Deuter. 25. 6. Deinde Naturalis generatio non impedit, quo minus aliquis, qui naturaliter filius alicujus est, etiam filius ejusdem recte dici possit ob bonum aliquod adven-

Inter veram & propriam generationẽ sive Filiationem non distinguit Censor.

Deut. 25. 6.

adventitium, quod propter aliam caussam quam naturæ privilegium ei adsignatur, Apparet id ex eo, quod videamus in Scripturis Filium unigenitum aliquando vocari eum, qui naturaliter unigenitus filius non est, imo qui plures fratres ex eadem matre habet, tantum eam ob caussam, quod Pater eum præ reliquis diligat, & bona adventitia aut præcipuam bonorum adventitiorum partem, in eum conferat, non aliter, quam si proprie unigenitus esset. Proverb. 4. 3. *Adhac*, inquit Censor, *gratiosa Deitatis communicatio, naturali ex diametro repugnat*: Sane, quando Deitas divinam essentiam notat: At gratiosa Deitatis communicatio non est essentiæ communicatio, sed dignitatis ac gloriæ, non quæ Deo essentialis est, sed quæ divinæ dignitati ac gloriæ similis est. Naturalis generatio, qua talis, non confert nisi essentiam: gratiosa generatio confert dignitatem gloriam & excellentiam specialem, quæ eum cui confertur, similem reddit ei qui eam confert. Tantum autem abest, ut hæc sibi invicem ex diametro repugnent, ut I. Censor ipse ejusdem paginæ linea 22. in terminis affirmet, gratiosam dignitatis ac gloriæ communicationem, naturalem necessario supponere, sic enim ait; *Quemadmodum officium Christi Mediatorium, divinam ipsius naturam, sic gratiosa dignitatis ac gloriæ communicatio, naturalem necessario præsupponit.* Quamquam, quo modo se hic ex manifesta contradictione expedire Censor possit, non video, cum paucis ante lineis dixerit, *Gratiosa Deitatis communicatio, naturali ex diametro repugnat.* Naturalem enim necessario supponere, & naturali ex diametro repugnare contradictoria sunt. Sed hoc ille viderit. II. Ista duo sibi invicem ex diametro non repugnare, id unum fortissime evincit, quod Christus etiam secundum naturam Humanam, Filius Dei natus fuerit, & tamen gratiosa divinæ potestatis, dignitatis & gloriæ communicatione, Filius Dei factus fuisse, & nomen supra Angelos omnes excellentissimum, vid. nomen Filii, hæreditasse dicatur in Scripturis: Ex quo etiam liquet, Remonstrantes jure dixisse Christum per adoptionem filium Dei appellari non posse, ne quidem secundum naturam humanam, quam ex matre habuit, quamquam non desunt inter Reformatos qui id nō dubitant adserere, quia sic filius Dei, sive ex Spiritu divino conceptus ac natus fuit: ubi autem nativitatis jus locum habet, ibi adoptio locum habere non potest. Adoptio enim, est mera generationis imitatio seu simulatio, uti Iureconsulti loquuntur. Ineptus autem est Censor, quando gratiosam communicationem sufficere credit ad adoptionem constituendam. Etsi enim adoptio omnis sit

Censoris contradictio.

Vide Epistolas Adriani Mylii.

nis ſit gratioſa communicatio, non tamen omnis gratioſa communicatio adoptio eſt. Ignorantia hæc craſſa eſt & Theologo indigna.

In *ſectione Tertia* nihil habet Cenſor, quod jure cenſeri poſſe profitetur, tantum ſuſpicionem iterum movet, abortum credo facturus, niſi eam ſubinde hic illic eniteretur, uſque adeo ſuſpicionibus turget. Ea hæc eſt, *Remonſtr. hoc loco*, inquit, *cultum divinum Filio, ac Spiritui S. debitum, inter illa argumenta non referunt, quibus Deitas utriuſque à Theologis Orthodoxis demonſtrari ſolet.* Nempe, eò jam res devenit, ut argumentis omnibus, & iiſdem quibus alii utuntur, non uti, ſignum ſit ἑτεροδοξίας. Tribus argumentis, quæ per ſe ſolida ſunt, & efficacia ad probandam Filii divinitatem, uſi ſunt Remonſtrantes. Hoc non ſufficit. Quarto opus eſt, niſi hæretici cenſeri velint. Putidi Doctores! Niſi eadem & omnia cum ipſis, eodem modo, ad unguem uſurpes, ſuſpicione te mactabunt, uti malleo boves ſolent. Id ſæpius obſervabitur in hac Cenſura. Valeant, & ſervitutem iſtam Bodechero, & mancipiis cæteris ſuis imperent. Remonſtrantes Tyrannidem iſtam abominantur. Sed *nec alia cauſſa eſt*, inquit, *cur de cultu divino differentes, qui Chriſto debetur, eum nunquam* θεάνθρωπον *aut Deum in carne manifeſtatum nominent.* Itane? Atqui Remonſtrantes ſtudio Chriſtum ſic non nominaſſe, unde conſtat? Tantum abeſt, ut alia cauſſa non ſit, cur id non fecerint, ut cauſſa, credo, nulla prorſus fuerit, aut eſſe potuerit cur id non facere in animum ſuum voluiſſent inducere. Quis enim paulo æquior, Chriſtum θεάνθρωπον nominare gravetur? Chriſtum verò cum Scriptura ipſa nominet 1. Tim. 3. 16. (quod enim neceſſario locus hic de Deo Patre intelligi debeat, ut Socinus & Tranſſylvani volunt, nulla ratio ſolida cogit ut credamus) *Deum in carne manifeſtatum*, Qua veriſimilitudinis ſpecie Remonſtrantes id facere noluiſſe dicet Cenſor? Imo verò idcirco quia Remonſtrantes ex Scriptura didicerunt, Deum Patrem Chriſto Filio ſuo, quatenus θεάνθρωπος, Mediator, Homo, Filius Dei, & Filius hominis in una eademque perſona eſt, Deus denique in carne manifeſtatus, cultum & honorem divinum gratificatum eſſe, idcirco inquam, à cultu divino argumentum irrefragabile ad probandum æternam Filii Deitatem peti non poſſe, judicarunt. Conſequentia evidens eſt, & per ſe plana. Chriſtus enim, qua θεάνθρωπος, æternus non eſt: multo minus æterna eſt iſta gratificatio. Quod autem Deus homini Chriſto, quatenus Mediator eſt, aut quatenus Filius hominis eſt, honorem & cultum iſtum gratificatus fuerit, ex Scripturæ verbis liquet, & nos jam ante probavimus. En cenſuræ vanitatem.

Argumentum à cultu adorationis ad probandum Chriſti æternam divinitatem, cur à Remonſtrantibus non ſit adductum.

Chriſtũ recte vocari poſſe θεάνθρωπον & Deũ in carne manifeſtatum à Remõſtrantibus cõcedi oſtenditur.

Sed

Sed & vide jam Censoris impudentiam: *Nec alia caussa est*, inquit, *cur nuspiam doceant, Christum propter divinam naturam, aut propter operationes divinas*, &c. *divino à nobis cultu esse adorandum.* At hoc ipso in loco probant Remonstrantes, Christum Deum esse ex divinis proprietatibus & operationibus ejus. An hoc satis non est, ut colligatur Christum divino cultu à nobis adorandum esse? Certe hoc tantundem est, atque si id totidem verbis dicerent. Si enim vere Deus est, utique divino cultu adorandus est. Sed id hic non agitur. Aliud est dicere, Christum idcirco esse adorandum, quia est Deus æternus: Aliud, Christum idcirco Deum esse æternum, quia adorandus est. Istud certissimum est: Hoc controversum. Deus enim, uti ex Scriptura liquet, Christum Filium suum dignatus est honore adorationis, etiam quatenus homo & Filius hominis est, uti loca supra allegata, in terminis probant. Impossibile autem est, ut concipiatur, Deum Filium suum Iesum dignatum esse honore isto in tempore, si ratio adorationis, quæ Christo Mediatori tribuenda est, sit tantum divina ejus natura, quam per generationem à Patre ab æterno habuit. Hunc enim honorem Censores ipsi non diffitebuntur deberi naturę divinæ Christi, vel Christo etiam ratione naturæ istius per se semper & ubique: dignatione aut donatione Dei nulla opus est, ut honore isto dignus censeatur Christus ratione naturæ istius, ne dum natura illa in persona Christi: Imo vix sine summa injuria, tum Dei Patris donantis, tum Christi accipientis, id concipi aut percipi potest. Distinctionibus si hanc rem elucidari posse credit Censor, næ vehementer errat. Nimis clara est hæc veritas. Distinctionibus non obnubilatur. Stupent ingenia ad istas veluti ad crines Gorgonis. At Remonstrantes istas respuunt. Aut dicenda sunt, quæ intelligi possunt, aut respuenda quæ dicuntur.

Cur Remonstrantes non adhibuerint argumentum a cultu adorationis ad probandum Spiritus S. divinitatem.

De Spiritu S. quod attinet, certum est Remonstrantes Argumentum à cultu divino non adhibuisse ad probandum Spiritus S. æternam Deitatem. Cur? Argumentum istud adhibere non poterant, nisi ex Scriptura S. adorationis Spiritus S. mandatum, exemplum aut indicium aliquod manifestum proferrent. Hoc non poterant, manente quæstione principali controversa, an Spiritus S. sit Deus: At quæstio illa maneat necesse est, quando quæritur, an medium ad probandum, quod Spiritus S. sit Deus, idoneum inter alia etiam hoc sit, quod Spiritus S. adorari debeat cultu divino. Alioquin in circulum eundum foret. Si Censor dicat, sufficere quod Scriptura eum vocet Deum, sufficiat itaque idem à Remonstrantibus dici, &

propter argumentum à cultu non usurpatum, lis eis non moveatur. Caussa, uti jam dixi, & ratio manifesta est. De Patre & Filio adorando Scriptura plena est. De Spiritu S. ne hilum quidem occurrit. Quæ res etiam fecit ut *Hilarius* Episcopus Pictaviensis in 12. quos de Trinitate scripsit libris, Spiritum S. nuspiam Deum, nuspiam adorandum esse dixerit, ut in præfatione ad illum, prolixius observavit Erasmus. Hinc etiam ab omni ævo fuerunt, hodieque adhuc sunt complures, ut ait *Georgius Cassander in notis suis ad Hymnum de Spiritu S.*, qui, cum alioquin de Sacro sanctæ Triados mysterio rectissime sentiunt, Zelo tamen quodam & religione verbi divini adducti, consuetudinem Ecclesiæ olim receptam, qua Spiritus S. nominatim invocatur, in dubium vocant. Remonstrantes id se facere nunquam sunt professi. Sufficit impræsentiarum, si dicant, quod argumentum à cultu divino, ad probandum Spiritus S. divinitatem, idcirco non adhibuerint in sua declaratione, quia ex Scripturis cultum istum Spiritui S. nominatum deferendum, aut à Sanctorum ullo delatum esse, probare non possunt.

Hilarius.

Georgii Cassandri locus.

Nimis vero anile ac putidum est, quod subjicit Censor, Remonstrantes nullum locũ allegasse, ubi Spiritus S. & Christus quoq; Iehova nuncupantur. Nam esto, id non fecerint Remonstrantes, an ex eo sequitur eos negare esse loca, in quibus hoc factum sit? Imo, si Iehova divinum ac proprium Dei nomen est, an non eos id non negare concludendum potius fuerat, cum dicunt Filium ac Spiritum Deum esse, concludi ex divinis nominibus ac titulis, quibus in Scriptura insigniuntur? Certe: ut loca omnia citarent, non erat necesse. Sed, quid si etiã id omnino negassent, an non jure id facere potuissent, & à Censura immunes esse? Quid ni? Nam, ut jam de ipsa voce Iehova nihil dicam, quam tamen certum est, non Rabbinos tantum Iudæos pæne omnes, sed complures etiam orthodoxos, linguæ sacræ peritos, pro voce plane fictitia habere, nihil certius aut liquidius est, quam nomen hoc Creaturis etiam in Scriptura passim attributum esse. Loca, unde id constat, tot sunt & tam aperta, ut frontem perfricuisse censeri debeat, qui id negare audet. Videantur hæc pauca, Gen. 16. 7. 8. 9. 10. collatis cum vers. 13. ubi hæc verba sunt, vers. 7. *Invenit eam Angelus Iehovæ, dixitq; ad Hagar*, &c. vers. 13. dicitur, *vocavitq;* (Hagar scilicet) *nomen Jehovæ, qui loquebatur sibi, Tu Deus videns me, &c.* cap. 31. 13. *Angelus se ipsum nominat, Deum Bethel, cui Iacob votũ voverat, cum à facie Esaui fratris sui fugeret, & ad cognationẽ suã iret*, &, qui expresse cap. 28. 13.

se Ieho-

ſe Iehovam appellat Angelus in rubo apparens Moſi, Exod. 3. 2. diſerte appellatur Iehova, & Deus verſ. 4. 6. 16. vide porro Exod. 13. 21. collato cum Exod. 14. 19. & cap. 23. 20. & 32. verſ. 34. Exod. 3. verſ. 2. collato cum verſ. 4. & 16. Num. 20. 16. & 22. 28. collato cum verſ. 22. 23. 24. & cum Ioſuæ 2. 1. Iud. 6. 14. 15. 16. collatis cum verſ. 2. 12. 13. Zach. 1. 19. 20. collato cum verſ. 7. 9. & cap. 2. verſ. 3. Zach. 3. 3.

Sectione IV. duo cenſet: Primum, *Remonſtrantes dignos eſſe gravi atque acri cenſura, quod cum omnino neceſſarium, & quam tutiſſimum eſſe arbitrentur, ut myſterium de S. S. Trinitate, quantum fieri poteſt, propriis & expreſſis Spiritus S. phraſibus enuncietur, in declaratione tamen phraſibus utantur, quas à Spiritu S. non didicerunt.* Cenſuram hanc, etſi admodum ſit iniqua & impertinens, haud gravate tamen admittunt Remonſtrantes. Vtinam in Declaratione ſua, de hoc myſterio auguſto, & humano ingenio inſcrutabili, non fuiſſent locuti, niſi lingua Spiritus Sancti! Præſtitiſſet fortaſſe, invidiam totius mundi ſuſtinere, quam audacter inferre pedem in adytum divinæ Majeſtatis ulterius, quam Spiritus S. hominibus aperuit. Quis enim ſine ſolicitiſſimo tremore, ſine Spiritus S. manifeſtiſſimo ductu ac dictamine, de tam ſublimi Majeſtate cogitet, loquatur, aut ſcribat? Ponderandæ jure ſunt ſyllabæ ac literę omnes, ne quid indignum ea nobis excidat, quin & balbutiendum potius eſt cum ſacris Scriptoribus, quam, vel imprudenter aliquid effutiendum, vel Academica cum confidentia, tanquam ex tripode, de ea pronunciandum. Quicquid de ea Spiritus S. dixit, id ſine periculo dici poteſt; quicquid non dixit, periculo falſi vix caret, & fere ſemper temeritatem ſapit. Aut enim id, quod Spiritus S. dixit, ſufficere credendum eſt, aut, ſi id non ſufficit, in præcipuo capite Religionis, Spiritum Dei & Scripturam deficere, ſtatuendum eſt. Non ignorarunt vim hujus rationis Remonſtrantes. Quin & libenter admodum ad eam, Declarationem ſuam compoſuiſſent, certi & experientia longa edocti, quam difficile ſit conſiſtere, ſi ſemel pedem ultra Scripturæ limitem protuleris, & quam multæ, quam peregrinæ concluſiones ex una poſitione deducantur, ad quas deinde pari neceſſitate, ac ſi ipſa Spiritus S. conſequentia eſſet, te obſtringas neceſſe eſt. Sed quid facerent? Adverſariorum iniquitates & calumniæ id non ſinebant. Alterutrum neceſſario faciendum ipſis erat: Aut calumniæ cedendum erat, aut cædenda calumnia. Calumniæ cedere viſi fuiſſent, ſi non niſi verbis Scripturæ, mentem ſuam de hoc myſterio expreſſiſſent.

Cantio Remonſtrantium, ſectione quarta propoſita adſeritur à Cenſoris criminationibus.

In rebus ad divinæ eſſentiæ Majeſtatem pertinentibus potius Scripturæ phraſi quam alia ulla humana utendum eſt.

Cur humanis & in Schola uſitatis phraſibus nihilominus uſi ſint Remonſtrãtes,

Id

Id Censor ipse hic indicat, cum subjungit hæc verba; Si in plerisque Confessionis suæ capitibus, se conceptis S. Scripturæ verbis ac phrasibus sententiam suam proponere regerant, hoc ipsis cum Socinianis commune esse dicemus, aliud nihil crepantibus, quam Confessiones ac Catecheses suas, totidem pæne verbis ac syllabis ex S. Scriptura depromtas. Quid apertius? hoc pacto calumniæ cedere, & latam fenestram aperire malignis rumoribus, qui jam invaluerant apud credulam & malesanam plebem, nimis profecto grave ac difficile videbatur Remonstrantibus in hoc capite. Vt autem calumniam cæderent, aliis phrasibus utendum esse sibi videbant Hoc quamquam grave etiam videbatur in hoc mysterio, ob reverentiam, quæ summa Numini isti supremo debetur, idcirco tamen tum temporis levius esse habendum judicabant, quia ex una parte calumniæ aliter occurri non posse intelligebant, & ex altera parte cautione subjuncta, factum hoc suum aliquo modo excusari, & reverentiam quam mysterio huic deferendam esse putant, declarari posse credebant. Hinc nata brevis & circumspecta Mysterii istius declaratio, deinde solicita illa, quæ declarationi subjuncta est cautio. Vtraque tum iniquis, tum æquis, piis, & Dei reverentibus, satisfieri posse persuasum habebant. Hæc res, cum per se sit manifesta, & Censori ignota esse non potuerit, tanto profecto major videri debet Censoris iniquitas, quod factum hoc Remonstrantium, non Censura tantum, sed acri & gravi censura dignum pronunciet. Sed hujusmodi sæculo vivimus. Vnde modestia exultat, ibi impudentiam regnare, necesse est.

Cur usus nullos doctrinæ de Trinitate protulerint Remonstrantes.

Secundum, quod in hac sectione censet Censor, duo membra continet, quorum prius est, *Quod Remonstrantes doctrinæ hujus ac mysterii de S. S. Trinitate nullos usus proferunt.* At quis imperitiorem aut insulsiorem Censuram hic fieri posse cogitet? usus enim doctrinæ de Deo, præmissi fuerunt, & quidem satis prolixe: Nunc vero hoc capite tantum asseritur, Deum illum se patefecisse sub tribus personis sive hypostasibus. Quis, nisi væcors, novos usus hic fingat? Quicunque enim hic fingentur usus, ii non fingentur sub alio conceptu, quam sub conceptu Deitatis. Persona, ut persona est, simpliciter usum præbere non potest, nisi quatenus persona divina est: Divinitatis autem conceptus, quos usus præbeat jam ante præcedente capite indicatum erat. Vnde patet quam frivolum sit ac frigidum, quod hic Censor ait, *Remonstrantes hac usuum omissione, aut non recitatione ipsis suspicandi occasionem præbuisse, quod capui hoc de Trinitate non tam utilibus,*

utilibus, quam omnino ſpeculativis articulis annumerari velint. Communi ſenſu ac judicio careat neceſſe eſt, qui arenaceam hanc conſequentiam facit. Contrarium potius quis collegerit, & Cenſori, ſi non depuduit, ruborem incuſſerit. Tum conſiderentur, ſodes, quos doctrinæ huic proprios uſus facit Cenſor & ſtatim intelligetur, quam graviter hic hallucinetur. Nam uſus illos, plane eoſdem eſſe videbit, qui præcedente capite annotati ſunt à Remonſtrantibus, quarto tantum excepto, quo ineptior uſus fingi non poteſt. Quomodo enim ex eo, quod tres perſonæ in una eademque eſſentia realiter diſtinctæ ſint, ſi nihil aliud adjungas, colligetur, æquum ac neceſſarium eſſe, ut certo credamus ex offenſa Deitate nobis miſeris peccatoribus,non dico dari potuiſſe (hoc enim ſpeciem habet, quanquam ad rem parum facit) revera datam eſſe ex tribus unam? Ne Lynceus quidem hanc conſequentiam videat. Totum enim id à pura puta Dei voluntate dependet eaque libera,de qua poſtea quæritur: hic autem de ſola tantum eſſentia agitur: Niſi ita eſſet, pari jure colligi poſſet ex hac doctrina, Patrem aut Spiritum S. ex offenſa Deitate dari potuiſſe, imo alterum datum revera fuiſſe in Mediatorem generis humani. Sunt enim illæ perſonæ, non minus à Filio realiter diſtinctæ, quam Filius à Patre & Spiritu S. diſtinctus eſt; Et cum Filii eſſentiam eandem & æqualem Cenſor eſſe non neget cum eſſentia Patris ac Spiritus S., quæ ratio differentiæ dari aut excogitari poſſet? Impoſſibile eſt: Aliud eſt æquum fuiſſe ut Filius mitteretur, non Pater aut Spiritus S. ſuppoſita voluntate mittendi. Aliud æquum adeoque ſimpliciter neceſſarium fuiſſe,ut una ex tribus daretur, aut mitteretur. Qui aliter cenſet,

Neſcio an Anticyram ratio illi deſtinet omnem.

Secundum membrum quod hic obſervandum eſſe dicit Cenſor, eſt, quod *Remonſtrantes, cum in declaratione ſententiam ſuam de prædeſtinatione & articulis ei annexis declarent, doctrinam Eccleſiarum Reformatarum* (id eſt Calvinianarum) *non modo κατ' ἀντίθεσιν rejiciant, ſed eam quoque impietatis ac blaſphemiæ condemnent, in hac tamen doctrina Hæreticos nullos, aut hæretica nulla dogmata improbent, damnent, aut anathemate percutiant:* Fruſtra. Nec enim mirum eſt Remonſtrantes doctrinam iſtam Calviniſticam rejeciſſe paſſim in ſua Declaratione, & quæ ex ea conſequuntur, impietates ac blaſphemias damnaſſe ex profeſſo, à cæteris autem ex profeſſo damnandis abſtinuiſſe. Iſtud ut facerent, graviſſimas cauſſas habebant: nam ſententia iſta Hæretica Calvini jam nota erat, vel pueris à furno & lacu redeuntibus:

Adſignatur ratio, cur Remonſtrantes in Articulo de Prædeſtinatione potius, quam in aliis articulis contrarias hæreticas opiniones damnaverint.

Patroni ejus non damnaverant tantum contrariam veritatem, ſed eam etiam intolerabilem in Eccleſiis ſuis judicaverant: Profeſſores ejus exauthoraverant, proſcripſerant, incarceraverant, enecaverant, &, quantum in ipſis erat, ad ſanguinem uſque crudelitatis omni genere perſecuti fuerant, & indies adhuc perſequebantur, ea ſolum de cauſſa, quod ſe ſententiæ iſti Calvini ſubſcribere bona conſcientia non poſſe, aut contrariæ veritatis prędicationem ac propagationem ſolemni promiſſo ſilentii abdicare non velle profitebantur. Iſtam ſententiam ut coloribus ſuis ad vivum depingerent, neceſſarium erat, idque eo magis, quod eam, prout jacet, peſtem credant & venenum Religionis omnis, cum qua forte hæreſis nulla alia comparari mereatur, & tamen nihilominus eam, ut fundamentum & baſin Religionis pæne totius Chriſtianæ ſtatui, ac propugnari videant. Hoc ut facerent, id eſt, ut hæreſes ubique omnes, & nominatim quæ circa hoc caput ſunt, anathemate damnarent, cauſſas non habebant ſatis graves. Præterquam enim quod hæreſes hæ non ita notę erant in vulgo, ſtabat jam animo Remonſtrantium hæc ſententia, nulli doctrinæ, nulli homini anathema dicere, niſi cui Deus ipſe anathema dicit, vel expreſſis verbis, vel ſic, ut per conſequentiam omni exceptione majorem & cuivis obviam, id Deum dicere, colligi poſſit. Deum non reperiunt anathema dicere altero horum modorum iis, qui unum Deum in Filio ejus unigenito Ieſu Chriſto pie colendum eſſe, & Spiritum S. ab utroque procedere, ex animo credunt, vitamque ſuam ex præſcripto Euangelii ſic inſtituunt, ut Patrem in filio ejus colant, & ab utroque Spiritus S. gratiam, ſanctis piiſque precibus ambire ſtudeant, etiamſi forte aut non intelligant quod Filius ab æterno ex eſſentia Patris per intellectionem ſit genitus, aut quod Spiritus S. per voluntatem ex Patre & Filio, ſeu à Patre per Filium emanet, aut alioquin de perſona Filii vel Spiritus S. perperā ſentiant, aut deniq; an Pater Filius & Spiritus S. ſint perſonæ inter ſe diſtinctæ realiter, an formaliter, an ratione, & quæ ſunt circa iſtud caput quæſtiones aliæ infinitæ, non percipiant. Et quantula, obſecro, pars hominum eſt, quæ iſta intelligit, aut explicita fide credit? Abſit à Remonſtrantibus, ut tam promtam habeant ſpongiam, qua ex albo vitæ æternæ, infinitas animarum, alioquin ſanctiſſimarum, myriadas expungant, ob ignorantiam earum rerum, quæ ſufficiunt ad doctiſſimi cujuſque induſtriam exercendam, ut eas poſſint intelligere, aut ſi forte eas intelligant, adeo tenues ac ſubtiles ſunt, ut eas perſuadere aliis pœne impoſſibile ſit: Et profecto veterem Chriſtianorum Eccleſiam, cum iis qui

iis qui circa tempora Iustini, credebant Iesum Christum non esse, nisi hominem ex hominibus, communionem coluisse, dummodo Iesum verum Messiam esse, & per eum Deum colendum esse firma cum ipsis fide crederent, non obscure colligitur ex Iustini dialogo, cum Tryphone. Ejus hæc sunt Verba. ἤδη μὲν ὦ Τρύφων, εἶπον, οὐκ ἀπόλλυται τὸ τοιοῦτον, χριστὸν τοῦ θεοῦ, ἐὰν ἀποδεῖξαι μὴ δύνωμαι, ὅτι καὶ προϋπῆρχεν υἱὸς τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων, θεὸς ὤν, καὶ γεγέννηται ἄνθρωπος διὰ τῆς παρθένου, ἀλλ' ἐκ παντὸς ἀποδεικνυμένου ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστὸς ὁ τοῦ θεοῦ, ὅστις οὗτος ἔσται. ἐὰν δὲ μὴ ἀποδεικνύω, ὅτι προϋπῆρχε καὶ γεννηθῆναι ἄνθρωπος, ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν σάρκα ἔχων κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς βουλὴν ὑπέμενεν, ἐν τούτῳ πεπλανῆσθαί με μόνον λέγειν δίκαιον, ἀλλὰ μὴ ἀρνεῖσθαι ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστὸς ἐὰν φαίνηται ὡς ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπων γεννηθεὶς, καὶ ἐκλογῇ γενόμενος εἰς τὸν χριστὸν εἶναι ἀποδεικνύηται: καὶ γάρ εἰσί τινες, ὦ φίλοι, ἔλεγον, ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους ὁμολογοῦντες αὐτὸν χριστὸν εἶναι, ἄνθρωπον δὲ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἀποφαινόμενοι, οἷς οὐ συντίθεμαι, οὐδὲ ἂν πλεῖστοι ταὐτά μοι δοξάσαντες εἴποιεν. Id est; Verum enimvero, Trypho, dixi, non perierit illud, Christum hunc esse Dei, si demonstrasse nequeam, eum præexstitisse Filium conditoris hujus universitatis, esseque Deum, & genitum esse hominem ex Virgine, præterquam ex eo omni, quo probatur hunc esse Christum illum Dei, quod talem eum fore præostensum sit. At si non demonstravero, inquam, eum & prius exstitisse & nasci Hominem sustinuisse, iisdem nobiscum perpessionibus obnoxiam carnem habentem, secundum Patris consilium & voluntatem, in eo ipso tantum æquum fuerit, errore me lapsum dicere, non autem negare hunc esse Christum illum, etiamsi tanquam homo ex hominibus genitus videatur, & electione Christus factus esse asseratur. Sunt enim nonnulli, O Amici, dixi, ex genere nostro, profitentes ipsum Christum esse, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant; quibus non adsentior, neque id sane multi, qui in eadem mecum sunt sententia, dixerint.

AD CENSURAM CAPITIS IV.

De cognitione operum divinorum.

NOvum hic Censorem agnosco & Doctorem novitium, qui statim, perinde ut præcedens, in limine primæ sectionis misere

cespitat, quod malum omen est: *Remonstrantes hic*, inquit, *admodum improprie, opera Dei, per quæ gloriam suam nobis patefacit, ac bona quædam sua nobiscum communicat, quoddam fundamentum esse asserunt, cui jus atque authoritas Dei superstruitur, ex qua juste à nobis postulare potest ac solet cultum, quem ac qualem vult.* Ratio est: nam *divini cultus fundamentum proprie dictum, est Dei natura ac summa majestas.* Inepte. Nam primo, Remonstrantes nec asserunt opera ista esse fundamentum cultus simpliciter, nec fundamentum proprie dictum, sed fundamentum *quoddam.* Secundo, nec dicunt ea esse fundamentum quoddam cultus divini, sed tantum juris istius fundamentum, quo Deus cultum juste à nobis postulare potest; *Juste*, inquam, *& à nobis.* In his enim vocibus emphasis sita est: & ratio manifesta est; Majestas enim divina, qua talis, non facit ut Deus jus ullum in nos habeat, quo juste postulare cultum à nobis potest, nisi nos aliquo actu suo aut nostro, obnoxios sibi habeat ad se colendum: Majestas divina sufficit ad hoc, ut Deus coli dignus sit: At ut à nobis coli jure debeat, id est, haberi pro eo, ad cujus cultum jure aliquo obstricti simus & obligati, majestas per se non sufficit. Ius omne, quod quis in alium habet, necesse est ut oriatur aut ex beneficio ejus in nos, aut ex maleficio in illum nostro. Aliud est dignitas, aliud potestas aut jus. Sed hoc indicasse sufficiat.

Majestas Dei est fundamentum non cultus proprie, sed juris istius, quo Deus cultum juste à nobis postulare potest.

In *secunda sectione* examinat Censor Axioma, non tam Remonstrantium, quam mortalium pene omnium. *Talia omnino esse decreta Dei, qualis est eorundem executio*: Bone Deus! quam operoso molimine, quam turbido conatu veritatem planissimam studet involvere! Heracliti tenebris obscurius facere adlaborat, quod Sole clarius est. *Non recte*, inquit, *id axioma ab ipsis exponitur, cum ajunt, ex ratione & modo executionis, judicium semper faciendum esse de ipsis decretis: Nihil magis absonum fingi potest*, ait. Cur? *Nam cum Deus quæcunque ab æterno voluit, unico simplicissimo actu voluntatis suæ determinaverit ac decreverit, non potest hujusmodi modus atque ordo agendi in decretis ipsius statui, quo aliquid prius, aliquid posterius tempore ordinasse dicatur. Hic autem modus, ordo, & successio in executione locum habet.* At ratio hæc I. valde est inepta. Nam quis adeo ἄλογος reperiatur, ut axiomatis istius sensum hunc esse credat? Sicut Deus successive in tempore omnia exequitur, ita ab æterno successive omnia decrevit? Nugæ hæ sunt Academicæ & commenta otiosorum Sophistarum. II. Ratio hæc valde est absurda & impertinens. Quid enim hoc est, Deum unico simplicissimo actu volun-

Sensus Axiomatis istius. Talia omnino sunt decreta qualis est eorundem executio, prolixe declaratur cōtra Censoris ineptias.

tatis

tatis suæ determinare quæcunque ab æterno vult? An Deum omnia simul confuse, in eodem instanti, sine ordine, qui inter res ipsas est velle ac determinare, id est, finem, media, antecedentia, consequentia, caussas, effecta, sine ullo proprio, distincto conceptu finis, mediorum, antecedentium, consequentium, caussarum, effectorum, sine ullo, inquam, ordine aut connexione, quæ inter res ipsas est, decernere? Chaos foret hujusmodi decretum, & sapiente quovis homine, nedum sapientissimo Deo indignum. III. Ratio hæc non convenit cum eo, quod in fine sectionis hujus fatetur Censor, imo aperte ei contradicit: Nam ibi dicit, *Quicquid Deus in tempore facit, id eum ab æterno sic facere decrevisse:* Atqui decretum, quo Deus ab æterno aliquid facere decrevit, est unicus simplicissimus divinæ voluntatis actus: Ergo quod in isto etiam decreto Deus omnia simul ab æterno decreverit, fateatur necesse est. Falsum itaque erit quod dicit, quicquid Deus in tempore facit, id ab æterno sic facere decrevit. Quid hic excipere Censor possit non video. Necesse est ut dicat, aut decretum illud, quo Deus exequi decernit quæ vult, non esse decretum sive volitionem divinam, quæ ab æterno est, & sic non esse etiam unicum ac simplicissimum actum divinæ voluntatis, quo omnia simul & eodem momento decernit, quod sane per se absurdum est; aut, si hoc non vult, esse in Deo itaque decretum duplex; Vnum, quo Deus omnia simul in instanti decernit, quod cum executione commune nihil habet; alterum, quo Deus omnia simul non decernit, sed unum prius, alterum posterius, cui respondet executio. At sic rationē suam omnino destruet, & commento vanissimo se ipsum ridendum omnibus propinabit. Sed nos alteram ejus rationem videamus; ea ejusdem commatos est, & huc redit: *Quod primum est in intentione, id ultimum est in executione: finis in intentione sapientis primum semper locum habet, inde media:* Contra, *in executione, media prius adhibentur, ut finis deinde obtineatur. Eadem itaque ratio in sapientissimo Deo locum cur non habuerit?* Præter rem & extra oleam est hæc ratio. Nam quod ad logicum Axioma istud attinet, certum est ejus sensum alium nullum esse, quam id quod prius est ordine caussalitatis in intentione, posterius esse ordine temporis in executione: Finis, ordine caussalitatis prior est in intentione: media, ordine temporis sunt priora in executione. Ordo caussalitatis, cum ordine temporis tantum confertur à Theologis, quando axiomate isto utuntur. At Axioma Remonstrantium, *Talia omnino sunt decreta, qualis est eorundem executio*, nullo modo de ordine temporis, sed de solo ordine caussa-

Sensus Axiomatis istius, Quod primū est in intentione, id est ultimum in executione.

caussalitatis, qui est inter res ipsas, intelligendum est, ita ut sensus ejus sit, eundem esse ordinem, nostro intelligendi modo, inter decreta divina ab æterno, qui est inter ipsas res in tempore, ratione caussalitatis, id est, Deum ab æterno prius decrevisse de eo, quod habet rationem causæ & posterius de eo, quod habet rationem effectus, prius decrevisse de conditione præstanda, quam de præmio conferendo, sive, Deum non prius decrevisse aut ordinasse efficaciter alicui pręmium, quam decreverit, ut is certaret & præstaret, quod ad præmium consequendum requiritur, & similia. Quare cum dicit Censor, *Deum in decreto suo semper primum de fine decernere, & finem illum primariū esse divinæ voluntatis objectum: Deinde, de mediis ad finem illum obtinendum convenientibus, ut secundariis objectis statuere. In executione autem decreti istius, è contrario media omnia destinata prius efficere, quam finem suum adsequatur*, recte quidem loquitur, si modo id quod dicit sane intelligatur, hoc videlicet sensu, volitionem divinam, quæ circa finem versatur, priorem esse volitione illa, qua eliguntur media; quia finis intentio causa est electionis mediorum; Nemo enim sapiens vult media, qua talia, nisi propter finem adsequendum: At, cum finis dupliciter possit spectari, primo, per modum finis respectu ejus, qui vult finem consequi per media: 2. per modum præmii, respectu ejus, qui alteri finem istum vult per modum præmii; fallacia hic latere potest, quæ detegenda est. Volitio, qua quis efficaciter vult finem per modum finis, ista est, quæ ex amore finis movet volentem ad quęrenda media, quibus finis obtineri potest: Volitio autem, qua quis efficaciter vult finem per modum præmii, est ista, quæ eum, in quo est, efficaciter movet ad volendum dare præmium ei, qui facit id, quod, ad præmium obtinendum, præscriptum est. Istam volitionem sequitur in decreto, electio mediorum ad finem; At in executione præcedit hanc volitionem mediorum electio, tum in decreto, tum in executione. Hac distinctione posita, dicunt Remonstrantes fieri non posse ut Deus, respectu eorundem objectorum, id est, respectu eorundem hominum, decretum duplex hoc habuerit, Vnum quo voluisse credatur gloriam suam patefacere in salvandis hominibus per modum finis, & alterum, quo voluisse credatur eam patefacere in salvandiis iisdem hominibus, per modum præmii: Hoc enim pacto, decreta duo prorsus diversa ac dissentanea in Deo statuerentur, Absolutum unum, & conditionale alterum, quod per se ἄτοπον & absurdum est. Nec conciliabis ea, si dicas, conditionem illam, quæ in conditionali decreto statuitur, à Deo ipso effici in illo, cui

Finis dupliciter potest spectari. I. Per modum finis. II. Per modum præmii.

cui conditio præſcribitur, & ſic conditionem illam induere rationem effectus: Nam hoc ipſo decretum non modo non erit conditionale, ſed & fatuum. Conditio enim, quam is, qui conditionem præſcribit, ipſe efficit, non niſi ridicula & ſtulta eſt conditio, ſapiente legislatore indigna. Præceptum etiam, quo conditio illa præſcribitur, ridiculum præceptum eſt, imprimis, ſi ſanciatur inſuper promiſſione præmii, & comminatione ſupplicii: Et hoc eſt totum illud, quod axiomate iſto ſuo voluerunt Remonſtrantes, *Talia eſſe decreta, qualis eſt eorundem executio*; prout patet ex additamento ſive ἐξηγήσει, quam immediate ſubjungunt, *citra notam inconſtantiæ fieri non poteſt*, *ut executio decreto non reſpondeat, nedum ut decreto repugnet aut contraveniat*. Nimirum id vult Declaratio, fieri non poſſe, ut Deo tribuatur decretum ab æterno, quo abſoluta voluntate Petro, Paulo, ut Petro & Paulo, ſive integris, ſive in lapſu Adæ poſitis (id enim jam ad rem hic non facit, ne quis vocem *abſolute* calumnietur, quamquam voce eadem Cenſores uti in materia de prædeſtinatione non dubitant,) vitam ac ſalutem æternam ordinaverit: In executione autem ei tribuatur, quod Petro & Paulo ſalutem non ordinet, niſi ſub ratione præmii, coronæ, mercedis, id eſt, ſub conditione fidei & reſipiſcentiæ. Similiter, ut Deo tribuatur decretum ab æterno, quo abſoluta voluntate morti deſtinaverit Petrum, Paulum, ut Petrum & Paulum, in executione autem ei tribuatur, quod Petrum & Paulum non velit deſtinare morti, niſi ſub conditione, ſi credere & reſipiſcere nolint: Item, ut Deo tribuatur decretum, quo conſtituit ab æterno ut Chriſtus non moriatur pro reprobis, quos vocant, & ſimul tamen ei in executione decreti hujus tribuatur, quod reprobis mandet in Chriſtum credere, id eſt, perſuadere ſibi ipſis, quod Chriſtus pro ipſis mortuus ſit, & quæ ſunt hujus generis alia: Hæc ſunt ἀσύςατα & incompatibilia. Quare, quæcunque præter hunc ſcopum dixit Cenſor, uti omnia ſunt, quæ hic dixit de decreto, quatenus eſt actus divinæ voluntatis immanens, & quatenus ad objecta refertur, ea ſunt ἀπροσδιόνυσα, Scholaria commenta, & plane extra lineam controverſiæ. Hoc vero, quod dixit in fine hujus cenſuræ, recte videlicet concludere Remonſtrantes, ſi dicant, *quicquid Deus in tempore facit, id ab æterno ſic facere decrevit*, veriſſimum eſt, & eſt idem illud, quod hic axiomate ſuo volunt Remonſtrantes, tantum abeſt ut id negent, prout Cenſor ait. Sed præter decretum hoc aliud eſſe decretum, quo decrevit res ſimpliciter & quod diſtinctum ſit à decreto, quo res decrevit exequi, id ipſum eſt quod Remonſtrantes

tes dicunt per se absurdum ac falsum esse. Sed hoc ipsum postea pluribus demonstrabitur.

Sectione III. eadem, cum Censore præcedente, censendi prurigine se laborare docet hic Censor : Quod obiter & ex occasione hic dixerant Remonstrantes, etsi per se verissimum sit, id tanquam si ex professo, & suo loco, sensuque hæretico dictum fuisset, suspicionis morsu vellicat & carpit : *Cum de pœna peccati, in quod Adamus est prolapsus, hic loquuntur, mortis tantum æternæ mentionem faciunt. Observa sis Lector*, inquit, *atque hanc sectionem confer cum 4. sectione capitis proximi, in qua Remonstrantes tantum agunt de immortalitate animæ, qua Deus hominem primum creationis beneficio exornavit.* Quid inde? Nugæ. *Confer item*, inquit, *cum Thesi 4. disp. 5. Episcopii de operibus Dei, quâ mortalitatem corporum homini ante lapsum cum brutis animalibus communem fuisse asserit.* Quasi vero Remonstrantium omnium intersit, quid Episcopius, multo ante editam Confessionem, privatim, exercitii gratia inter discipulos suos disputari permiserit. Sed &, quid verius, quam quod Episcopius in Thesibus istis sustinuit? Hic ipse Censor, cap. seq. sect. 4. idem in terminis asserit: Sed pergit. *Ex istis videtur concludi posse, Remonstrantes pœnam transgressionis primorum nostrorum Parentum collocare in sola morte æterna.* En censendi aviditatem simul atque imperitiam: *videtur*, inquit: Imo vero contrarium potius videri, colliget Socinianus. Idcirco scilicet quia mortis æternæ mentionem faciunt Remonstrantes, mortem temporalem, id est, dissolutionem animæ & corporis aternam, adeoque animæ & corporis annihilationem ab iis intelligi, hoc enim Socino est æternum mori. Sed utraque collectio vana est. Mors enim æterna, uti dissolutionem animæ & corporis, quæ temporalis mors dicitur, non necessario excludit, ita annihilationem animæ & corporis non necessario includit : Et quomodo adeo excordes & amentes forent Remonstrantes, ut, cum mortis æternæ mentionem faciunt, mortem temporalem, sive dissolutionem animæ & corporis exclusam velint, quandoquidem sententia contra Adamum lata, post admissum peccatum, diserte habet, *pulvis es & in pulverē reverteris?* Non obtusa adeo gestamus pectora. Stupor hic foret, non ignorantia. Neque vero huic repugnat, quod ex disputationibus M. Episcopii refert Censor, eum statuere, hominem ante peccatum etiam mortale corpus habuisse, ut cætera animantia. Aliud enim est mortale corpus habere, aliud corpus certo vel necessario moriturum: aliud corpus, quod potest mori, aliud corpus, quod certo morietur, aut

[Margin notes: De pœna peccati primi. — Genes. 3.19.]

aut quod non poteſt non mori. Mortalitas corpori Adami, vel potius, ut rectius loquar, homini Adamo (mors enim eſt ſuppoſiti totius, non partis hujus aut illius in ſuppoſito deſtructio) ante peccatum naturaliter competebat, quatenus etiam tum homo animalis, & per unionẽ natura ſua diſſolubilem, compoſitus erat. Mors & moriendi neceſſitas non competebant ei naturaliter, ſed ex ſententia Iudicis, & quatenus tranſgreſſor erat divini pacti. *Nam per peccatum mors intravit in mundum:* Rom. 5. 12. *& per hominem mors,* 1. Cor. 15. 21. Sed de hac re pluribus in ſeq. cap. Quæ poſt hæc quærit Cenſor, *Cur* videlicet, *Remonſtrantes, cum concedant Adamum per peccatum morti atque æternæ condemnationi cum omnibus ſuis poſteris obnoxium factum eſſe, tantopere offendantur eo, quod ipſi & ipſorum Theologi doceant, Deum pro voluntatis ſuæ beneplacito decreviſſe quorundam tantum, non autem omnium poſterorum ejus miſereri, aut nonnullos eorum in morte relinquere?* Ea, inquam, omnia ridicula & inepte quærit: nam idcirco jure offenduntur eo Remonſtrantes, quia id falciſſimum eſſe credunt, & directe Scripturis contrariũ. Si quæreret Cenſor, cur offendantur Remonſtrantes eo, quod dicant Deum juſte potuiſſe nonnullos Adami poſterorum ſub morte æterna relinquere, uti poſtea quærit, recte quæreret. At tantum abeſt, ut eo offendantur Remonſtrantes, ut ne quidem offendantur, ſi dicatur, Deum omnes Adami poſteros ſub morte potuiſſe relinquere, ſi voluiſſet, aut ſi rei tantum natura ſpectetur. Tantum offenduntur, & jure quidem meritoque idcirco, quod Cenſores dicant Deum non tantum jure id potuiſſe, ſed etiam re ipſa voluiſſe, & velle quotidie relinquere ſub æterna morte non paucos, imo maximam etiam partem eorum, quos per Euangelium ſuum ſerio vocat à morte, ad vitam & ſalutem æternam. Hoc offenſionis & ſcandali plenum eſt. Hæc ſufficere poſſunt pro reſponſione ad quæſtiones has Cenſoris. Sed ut novis quæſtionibus occaſio præcidatur, auctarii loco addere libet hæc duo. 1. Cum de æterna morte loquuntur Remonſtrantes, in hac de Adamo quæſtione, (de morte enim æterna, quam actualiter peccantibus atq; inprimis contemtoribus Euangelii comminatur Deus, jam non agitur) non intelligunt mortem illam, quæ æterna pœna ſenſus, ſive cruciatuum infernalium æterna perpeſſio dicitur, quaſi videlicet, Deus eam Adamo vel ſine ulla morte corporali interventura comminatus fuerit, vel poſt corporalem mortem prius inflictam, Adamo ex morte iterum ſuſcitato, inflicturus fuerit. Nuſpiam enim pœna hæc Adamo, aut denunciata aut inflicta legitur: Sententiam Adami

De Morte quã Adamo comminatus eſt Deus.

vide,& res liquebit luce clarius: Nec verba, *morte morieris*, istam pœnam vel verisimiliter postulant: Sed intelligunt mortem corporalem,sive dissolutionem animæ & corporis, quam præcedunt mala omnia ad mortem disponentia, & quam deinde æterna pœna damni,id est, divinæ visionis sive gratiæ & gloriæ æterna privatio, subsequitur. Hæc mors ista est, quam sententia divina expressam credunt. Aliam mortem,id est,pœnam æterni sensus ut statuant,nulla autoritas,nulla æquitas,nulla ratio cogit, imo sententiæ divinæ autoritas, æquitas & ratio cogunt, ut aliam non statuant. II. Cum Remonstrantes Adamum morti huic æternæ obnoxium factum fuisse dicunt cum posteris suis omnibus, non volunt mortem istam,eodem prorsus modo,inflictam fuisse utrisque, tum Adamo,tum posteris ejus: Absit: Sed volunt eam inflictam fuisse Adamo,ut transgressori, & qui ipse actualiter peccavit. In posteros vero ejus propagatam propter conditionem naturæ ejusdem,quam ex Adamo peccatore trahunt; quippe quæ privata bono gratiæ & gloriæ, non aliter quam posteros eodem bono privatos,proseminare potest. Hæc duo,iis quæ diximus, idcirco subjicere operæ pretium est, ne Censor credat, argumenta illa momenti alicujus esse,quibus colligere aliqui solent cum Calvino,aliisque hunc in modum: Si Deus propter unum peccatum Adami, cæteros pæne infinitos Adami posteros, nondum natos, conceptosve, jure reos censere potuit ejusdem peccati, simpliciter quia ita voluit; imo, si Deus omnes istos posteros propter istud peccatum Adami, pœna peccati originis,id est,necessitate peccandi punire jure potuit, cur mirum aut alienum videtur, si dicatur Deus potuisse ordinare, ut homo in peccatum incideret,simpliciter quia ita voluit?Deinde,si Deus omnes Adami posteros æterna pœna sensus, id est, perpetuis inferni ignibus cruciare ac torquere jure potest, propter peccatum unum, quod ab Adamo parente eorum solo commissum est, & cujus ipse veniam consecutus est, tantum quia Deo sic placuit, cur absurdum aut iniquum videbitur,si dicatur Deus maximam generis humani, imo infantium ab uberibus matrum suarum raptorum miriadas, non perdere tantum velle, sed etiam internis inferni cruciatibus destinare pro arbitrio suo? hæc enim sunt horrenda illa, quæ Calvini schola istis fundamentis superstruit; quæ Remonstrantes idcirco totis animis aversantur & abominantur. Nec dubitant, quin, si Censor ex animo quæstiones formare ausus fuisset, easdem aut similes potius formaturus fuisset, quam eas quas formare non potuit, quin ineptiam suam

am proderet, uti jam ostensum est. Quod de providentia divina subjungit Censor, id non ad hoc caput, sed ad caput de prædestinatione, aut ad caput de vocatione & conversione hominis pertinet. Vbi quam sit absurda & ridicula ista, quam hic exceptioni nostræ adjungendam censet Exceptio, cum bono Deo demonstrabitur. Interim notandum hic est, quod Censor diserte fateatur, conversionem hominis non pertinere ad providentiam, quæ rerum creatarum naturis ac proprietatibus est accommodata, & hominem in ea tantum παθητικῶς seu passive se habere, quo absurdius & falsius dici nihil posse, suo loco planum faciemus, σὺν θεῷ.

EXAMEN CENSVRÆ CAPITIS V.

De creatione Mundi, Angelorum, & Hominum.

HIc sectio declarationis tertia, primo loco incurrit censuram, *Non omnes*, inquit Censor, *rationes hic à Remonstrantibus exprimuntur, ob quas boni Angeli nunc sancti, nunc electi, nunc Filii lucis, in sacris literis appellantur.* Quantum crimen, etiamsi omnino hoc verum esset! At tantum abest, ut Remonstrantes, non omnes rationes hic exprimant, ut ne quidem rationes ullas allegent, cur Angeli sancti, electi, aut Filii lucis vocentur: Nam idcirco tantum eos sanctos, electos, & Filios lucis vocari in Scripturis dicunt, quia, principatum seu originem suam retinentes, Deo creatori, & Domino suo constanter adhæserunt: Quæ causa ejus rei fuerit quod adhæserint, & an electi à priore aut posteriore dicantur, an nominaliter, an participialiter, non definiunt, uti ex eo constat, quod Angelos idcirco etiam sanctos vocari dicant, quia Deo creatori suo constanter adhæserint: Sanctitas autem ab iis allegata, non poterat dici ratio, propter quam Angeli Creatori suo adhæserint constanter, quia constans illa adhæsio, ipsa sanctitas est. Itaq; particula *idcirco*, qua utuntur Remonstrantes, non ut rationalis aut caussalis particula, sed ut ἐξηγητικὴ tantum allata fuit. Et cum vox electus, nominaliter accipi possit, & non raro accipi in Scripturis soleat, eodē sensu vocem electos, quo sanctos usurpare potuerunt Remonstrantes. Sed esto, Remonstrantes particulam, *idcirco*, pro caussali particula acceperint,

runt, cum ad vocem *Electi* refertur, & vocem *electi*, participialiter acceperint, quid tum? *At ſic*, inquit, *vocarentur Angeli electi à poſteriore, uti ſancti & Filii lucis vocantur, cum à priore vocentur electi*, 1. Tim. verſ. 21. Cedo rationem Cenſor, *Ad ipſos etenim*, inqui, *illud Apoſtoli effatum quoque accommodari poteſt: Quis prior dedit ei, & retribuetur ei? Nam ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia*, Rom. 11. 35. 36. Quis macriorem rationem fingi poſſe credat? Nam primo, certum eſt, iſtud effatum Apoſtoli ad Angelos non ſpectare, ſi ſcopus loci videatur. II. Incertum eſt, an ad eos accommodari poſſit, imo certum eſt, ſi ſenſus loci proprius ſpectetur, ad eos accommodari non poſſe, in hac de electione materia. Nam manifeſtum eſt ex antecedentibus verſibus 33. 34. de datione conſilii tantum iſthic loqui Apoſtolum, Senſus enim eſt: Deum Opt. Max. conſilium iſtud, quo conſtituit primum Gentes incredulas & rebelles ſub contumacia concludere, & Iudæos in gentem ſeu populum ſuum aſſumere; Deinde, quo vice verſa, Iudæos incredulos & præfracte rebellantes conſtituit rejicere, & gentes iterum gratia Euangelii ſui dignari; conſilium iſtud, inquam apud ſe ipſum, ex ſe ipſo, per ſe ipſum, & in ſe ipſo ſumſiſſe: à nemine inſtructum, συμβιβασθέντα, à nemine, qui σύμβουλος ipſi fuerit motum aut impulſum, ac proinde ei ſoli univerſam ſapientiſſimi iſtius conſilii, ſive adminiſtrationis iſtius univerſæ, quæ in mentem nullius mortalium unquam veniſſet, niſi Deus eam Apoſtolis ſuis revelaſſet, qui mentem & conſilium Domini tenuiſſe ſe affirmant, 1. Cor. 11. 16. gloriam ac laudem deberi. Quis itaque prior dedit Deo conſilium, ut ita ageret, & reddetur ei gratia? inquit Apoſtolus: Quam alienum jam ab hoc ſenſu ſit futurum, ſi quis hæc verba accommodare velit ad Angelos, & ex iis colligere, Angelos idcirco electos à priore dici debere, quia illis etiam dari oportuit à Deo, ut ſancti eſſent, & ut ſancti manerent, & quia ex Deo ſunt omnia, quis non videt? III. poſito etiam quod ad Angelos non accommodari tantum poſſint, ſed etiam accommodentur hæc verba Apoſtoli, qua conſequentiæ trochlea, ex iis educetur, dationem ſanctitatis ſimpliciter hic intelligi: Non enim datio proprie Deo tribuitur, ſed dationis prioritas. 2. Etiamſi datio ſimpliciter Deo tribueretur, neutiquam tamen adhuc evictum foret, talem dationis modum intelligi ab Apoſtolo, qualem hîc Cenſor intelligi vult, id eſt, abſolutam ejuſmodi electionem, & quam ex iſta electione ſequi vult ſanctitatis & perſeverantiæ irreſiſtibilem collationem. Contrarium potius evinceretur. Datio enim accipientem reſpicit. Nec dediſſe dici

Arguitur inepta citatio loci ad Rom. 11 35. 36. & verus ejus ſenſus indicatur.

dici potest, nisi qui accipientem invenit. Sed quid ego his diutius immoror? Syrma absurditatum necti posset, si quis Censorem urgere velit. Vnam tantum indicabo, quæ instar multarum erit. Si Angeli electi dicuntur à priore, quia, ut ait Censor, ex toto genere Angelorum à Deo selecti, & ad vitam æternam fuerunt ordinati ex mera Dei gratia, absque ullo ad ullas ipsorum qualitates respectu; tum certe cęteri Angeli absolute, absque ullo ad ullas qualitates ipsorum respectu, reprobati, sive non electi credantur necesse est; aut si electi credantur, non electi nisi sub hac conditione, si in sanctitate permanerent, qualem intelligi vult à Remonstrantibus. Hoc non dicet Censor, nec dicere consequentur potest: Nam sic Angeli isti potuissent saltem electi fieri, & sic Censori concludendum foret, falsum etiam potuisse esse illud Apostoli; *Quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* sic *ex Deo, per Deum, & in Deum* potuissent saltem non *esse omnia:* imo, si qui ex iis perstitissent (quod cur fieri non potuerit, caussa nulla dari potest) falsum fuisset reipsa ex Deo esse omnia. Itaque prius istud dicat necesse est: Hoc si ita est, jam mihi vide, an ulla caussa dubitandi sit, quod hominum electionem & reprobationem, quæ non minus ab æterno hominibus quam Angelis in Scriptura tribuitur, lapsui Adami præmittendam esse censeant, quamquam aliter facere videri volunt, ut fucum faciant imperitioribus, & fraudes atque imposturas suas horrendas apud populum tegant? Ita sane sorex suo se indicio hic illic prodit. Profecto, cum Censor aperte satis hic fateatur, Deum sic absolute cum Angelis egisse, cur gravate fert, si idem de hominibus statuere à nostris dicatur? Nec enim ratio ulla justitiæ aut æquitatis ex parte Angelorum magis dari potest, quam ex parte hominum.

Ostenditur Censorē hunc supralapsariū esse ex proprio ipsius argumento.

Sectione IV. de Spiritus sive animæ hominis immortalitate recte locutos fatetur Remonstrantes. Bene quidem, *Sed cur de corporis eorum immortalitate nihil dicunt, nisi quod tam Episcopio, quam Socino contradicere nolunt?* Ridicule. Rationi contradicere nolunt. Falsum enim est, corpus Adami immortale, id est, incorruptibile fuisse: Corpus omne, animale, pulvereum, quod cibo & potu indiget ad sui conservationem, quod ex contrariis qualitatibus compositum est, corruptibile esse, ratio recta docet, & diserte affirmat Apostolus 1. Cor. 15. imo τὸ φθαρτὸν ipsum esse non semel inculcat. Et cur reprehendit id in Remonstrantibus Censor, cum ipse idem totidem terminis in hac sectione ipsa fateatur? *Adamus enim*, inquit, *ante lapsum ab omni periculo mortis immunis erat, non ex corporis sui natura, se-*

Corpus Adami non fuit immortale seu incorruptibile.

cundum quam, utpote compositum ex contrariis qualitatibus, corrumpi potuissent, &c. Corrumpi posse, an non idem est, quod corruptibile esse? Et quid aliud dicunt Remonstrantes? *Atqui addo*, Censor inquit, *Adamum ab omni periculo mortis immunem fuisse ex anima originaliter justa, tanquam caussa proxima, atque ex ordinatione Dei, tanquam caussa remota.* At sic efficitur quidem corpus Adami si in innocentia perstitisset, moriturum, sive potius corrumpendum non fuisse, at non corpus ejus incorruptibile fuisse, quod hic solum cum D. Episcopio & Theologis omnibus dicunt Remonstrantes. Non jam necesse est examinare, an verum sit id, quod dicit Censor, incorruptibilitatis istius caussam proximam fuisse animam, quatenus originaliter justa erat: Nulla enim prorsus solida ratione nititur, nec in scriptura fundamentum ullum habet, sed transeat cum cæteris Academicis postulatis, quæ nunc expendere nec animus est, nec otium: Certum est immortalitatem non fuisse intrinsecam qualitatem, sive conditionem ex natura corporis Adami necessario resultantem, atque ita homini naturalem, sed beneficium extrinsecum, ut ita loquar, dependens pure pute à divinæ voluntatis gratia, quatenus ille conservare, id est, non destruere volebat hominem, sive non permittere ut moreretur soluta compage corporis & animæ, nec permittere ut vel anima ejus annihilaretur, vel corpus ejus corrumperetur: Idcirco enim data homini fuit Arbor vitæ in Paradiso, ut mala omnia ad mortem disponentia, vel apta nata corruptionem corpori humano inducere, esu fructus ejus anteverteret aut tolleret, veluti præsentissimo mortis & corruptionis antidoto.

Arbor vitæ symbolũ fuit, beatæ immortalitatis.

Arborem autem istam, Sacramentum fuisse Adamo, quo obsignata fuerit promissio vitæ æternæ, si qui adserere audent, ii videant ut id probent: Remonstrantes uti id adserere non fuerunt ausi, ita negare noluerunt, sufficere rati, si arborem istam dicerent fuisse symbolum beatæ immortalitatis (promissæ enim aut non promissæ dicere non audent, nec dicere certo possunt, quia promissio illa nuspiam facta legitur) prout diserte dixisse leguntur sect. 3. cap. 7. *Arbor vitæ, symbolum erat beatæ immortalitatis.* Quod porro Censor *mirari se dicit, cur Remonstrantes non tam in totius hominis creati à Deo immortalitate, quam in dominio ipsius in cæteras creaturas, Dei imaginem constituant*, id mirum merito videri debet. Quid enim ad rem facit, si dicant Remonstrantes imaginem Dei, potissimum consistere in dominio ejus in cæteras creaturas, si id quod imagine Dei comprehensum vult Censor, nihilominus tamen homini tribuant, etiamsi sub ratione imaginis

An imago Dei potissimum sita sit in dominio hominis in cæteras creaturas, quæstio est nullius momenti.

ginis id non comprehendant? An iſta res tanti eſt, ut Cenſura digna ſit? Sed & cauſſas habuerunt Remonſtrantes exceptione omni majores, cur ita judicaverint. I. quod imago Dei, ad quam Adamus creatus fuit, diſerte aut præcipue in dominio, non autem diſerte, nedum præcipue, in immortalitate hominis, conſtituta dicatur iſto in loco, ubi homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus legitur, Gen. 1. 26. II. quia imago Dei diſerte homini adhuc tributa legitur, poſt peccatum commiſſum, cum jam mors in mundum introducta, & immortalitatis beneficio homo propter peccatum privatus eſſet, Gen. 9. 6. *Qui effuderit ſanguinem hominis in homine, ſanguis ejus effundetur, quia ad imaginem Dei factus eſt.* Quod contra adfert Cenſor, *quod* vid. *immortalitas ſit una ex primariis naturæ divinæ proprietatibus, quæ imagine Dei in homine adumbratæ fuerunt*, id nullius prorſus eſt momenti, quia hoc eſt ipſum τὸ κρινόμενον. Alterum vero quod ſubjicit, *quia immortalitas una eſt ex notis præcipuis ſtatus beati, in quo Deus hominem collocavit*, arguit quidem hominem in ſtatu iſto immortalem, eo quo diximus ſenſu, creatum fuiſſe, at non arguit immortalitatem iſtam partem, nedum partem præcipuam imaginis Dei fuiſſe, quod tamen illud eſt, quod hic quæritur. Tertium ejuſdem generis eſt, itaque vanum & impertinens, ut jam de veritate ejus nihil dicatur.

In V. Sectione nihil cenſet Cenſor, ſed ne nihil cenſendum habuiſſe videatur, ſuſpicionem movet, pro more ſuo, & ſub latiore imaginis Dei deſcriptione aliquot cothurnos latere fingit, quos adaptare poſſe Socinum pedibus ſuis ait. Et ne Remonſtrantibus dura videatur hæc agendi ratio, ſupplicia facit Cenſor, *Rogamus*, inquit, *ipſos, ut de quibuſdam dubiis animum ſuum nobis aperiant*, Phariſæorum inſtar & Scribarum, de quibus Lucas ait cap. 11. 53. quod cum ex verbis Chriſti nihil reprehenſione dignum poſſent captare, ἤρξαντο δεινῶς ἐνέχειν καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων, ἐνεδρεύοντες αὐτὸν καὶ ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ: Eſto: Audiamus quæſitorem. *An ſub vocibus iſtis, animo recto, affectibuſque integris, talem quoque juſtitiam Originalem complectantur, qualem Eccleſiæ Reformatæ Adamo & Evæ tribuunt? Quod ut de ipſis penitus nobis perſuadeamus, ab animis noſtris impetrare non poſſumus.* Nempe, multum admodum refert, ut de eo perſuaſi ſint Cenſores! Non quæremus hic viciſſim, Cur Eccleſias Reformatas hic tantum nominet, & qualem juſtitiam originalem Eccleſiæ Reformatæ unanimiter Adamo & Evæ attribuant? Res tanti non eſt, ut propter- De juſtitia Originali.

propterea laboremus. Remonstrantes enim quæstionem hanc totam ineptam & inutilem censent. Qualemcunque justitiam originalem Adamo & Evæ attribueris, cum Ecclesiis, seu Reformatis, seu Romanensibus, seu aliis quibuscunque, eam volentibus ac lubentibus Remonstrantibus Adamo & Evæ attribueris, dummodo justitiam originalem ejusmodi qualitatem aut formam esse non dicas, qua posita, impossibile fuerit peccare Adamum, &, qua non posita, impossibile fuerit Adamum non peccare: quod ideo monendum putant, quia observarunt, Calvinistas plerosque, qui ingenue & sine fuco sententiam suam proferre non dubitant, justitiam originalem pro ejusmodi seu qualitate, seu forma supernaturali accipere solere, qua manente, Adamum peccare impossibile erat, sublata, peccare Adamum necesse erat, prout ex eo patet, I. quod Adamo justitiam illam originalẽ subtractam fuisse, antequam peccaret, imo ut subtraheretur necesse fuisse affirment, ut peccare posset, & ut actu in peccatum laberetur, quam subtractionem, alii cautiores, sed minus ingenui, permissionem efficacem appellant. II. quod justitiam illam originalẽ in regenitis per novam creationem restitui atque instaurari dicant, eamque justitiam dicant esse inamissibilem, uti hic etiam Censor hac ipsa sectione sub finem diserte loquitur. Quod si Censores hi nihilominus aliter se sentire profiteantur, & justitiam originalem, formam tantum super naturalem esse velint, quæ necessaria est ad potentiam humanæ voluntatis elevandam, ut idonea sit ad actus supernaturales præstandos, sive formam illam habitum vocent, sive semen, sive principium supernaturale, sive aliud quid, Remonstrantes omnes habebunt sibi ultro suffragantes. Titivilitio non emtitent tam vilem controversiam. Est enim, judicio ipsorum, vana & inutilis. Quid enim refert, sive quis dicat Adamum justitia tali præditum fuisse, sive quis id neget, & interim fateatur, Adamum potentia voluntatis tali preditum fuisse divino beneficio, ut possit idem, quod ab aliis non nisi posita justitia illa posse dicitur? Semper enim, sive hoc, sive illud dicatur, tribuetur Adamo potentia prorsus libera, & liber potentiæ usus, & quidem ex puro puto divinæ gratiæ beneficio. Sed certum est, Censorem hunc per justitiam originalem aliud quid velle, quid autem illud sit, nuspiam clare satis explicat, sive quia id non potest, sive quia non audet. Sub generalibus terminis latet, sed frustra; nos eum ex latebris suis extrahamus, ut intelligamus, quid sibi velit. Iustitiam originariam vult esse, non modo remotionem injustitiæ, verum etiam positionem justitiæ sive æqui-

Ostenditur Calvinistas per justitiam originalem intelligere ejusmodi qualitatẽ, qua manente, Adamũ impossibile erat peccare.

æquitatis internæ. Esto: Illa posita, quæro, quomodo fieri potuerit, imo quomodo factum fuerit, ut homo peccaret? Si dicat, liberam nihilominus mansisse voluntatem hominis, nihil dicit. Nam, cum hoc dicit, tum necesse est ut simul etiam dicat, voluntatem hominis libero suo & proprio motu justitiam illam originalem retinere potuisse, aut abjicere. At sic in infinitum abibit. Nam sic potentiam Voluntatis, qua Voluntas justitiam illam originariam retinere libere potuit, alia rursum justitia Originali opus habuisse dicat necesse est, ad retinendum justitiam illam Originariam, & sic porro in infinitum. Deinde, si voluntas justitiam illam originariam libere potuit abjicere, quid justitia illa originalis operata est in voluntate hominis aliud, quam quod operari potuisset potentia illa, si justitia caruisset? Nihil dubito quin Censor, & qui cum ipso sentiunt, dicturus hic sit, fieri non potuisse ut Adamus peccaret, nisi justitia illa originalis Adamo subducta vel subtracta à Deo fuisset, & sic Adamus permissus fuisset sua sponte ruere in peccatum, ut molare saxum pondere suo ex alto ruit, subducto fulcro, in sterquilineum. Sic enim Angelos reprobatos, & justitia originali præditos, peccasse, ut fateatur necesse est. Quod an non sit culpam totam in Deum transcribere, Lector judicet. Quod subjicit ex voce, Iaschar, nimis triviale & grammaticum est. Pergo.

In sectionis sextæ censura, magna apparet Censoris inadvertentia, ut lenissime dicam, *Remonstrantes*, inquit, *scopum creationis ad marginem, ex locis S. Scripturæ ostendentes, naturam cum gratia Euangelica, illiusque usum, cum hujus beneficio confundunt*. Ratio est, *loca enim ac testimonia verbi divini, de fine creationis mundi enotata, ex psal. 8. 104. & 136. &c. permiscentur cum locis ac testimoniis, de fructu Redemptionis nostræ per Jesum Christum*; (Loca autem hæc duo sunt ex 1. Cor. 4. 7. & ex 1. Cor. 1. 26.) hîc inquam inadvertentia supina apparet. Nam loca hæc posteriora duo non allegant Remonstrantes eum in finem, ut ex iis immediate probent, quem usum nobis præbeat Creationis primæ consideratio. Nihil minus. Tantum allegant ea ad rationem istam, qua nituntur usus, quos ex creationis beneficio deducunt, stabiliendam. Ratio autem ista *Majorem* tantum propositionem habet Syllogismi istius, quem in sectione ista formant Remonstrantes. Ea hæc est; Qui nihil habet boni à se ipso, is omnia debet ei à quo habet, quicquid habet, ac proinde non in se ipso, sed in eo, à quo habet omnia, gloriari perpetuo tenetur. Huic propositioni majori, hæc subnectitur *Minor*: Atqui homi-

Magna Censoris inadvertentia.

homines omnes à Deo ſolo omnia habent per creationis beneficium, uti ex natura rei liquet. Majorem iſtam propoſitionem, etſi per ſe claram, duobus illis locis tantum illuſtratam voluerunt; Vno, quo dicitur, *quod ſi accepiſti, quid gloriaris, ac ſi non acceperis?* Altero, quo dicitur, *Ex Deo vos eſtis, &c. ut ſicut ſcriptum eſt* (cogitetis) *qui gloriatur, in Domino gloriator*: Hunc eſse ſenſum Remonſtrantium in hac ſectione particula rationalis, *Enim*, arguit, & orationis filum adeo clare, ut verbum non ſim additurus.

Atqui diverſos, prætèrea, creationis uſus hic omittunt, inquit, *Remonſtrantes.* Credo Cenſorem hunc præ cenſendi aviditate peregrinatum eſse animo, cum hæc ſcripſit. Iſti enim uſus, quos recenſet, quomodo fieri poteſt ut credantur non contineri iſtis uſibus, quos aſſignarunt Remonſtrantes? Qui enim dicit hominem idcirco totum ſe, & totum ſui, & omne quod habet, quo utitur aut fruitur, in ſolidum Deo Creatori perpetuo debere; an non dicit hominem credere debere, iſtum Creatorem ſuum Deum ſuum eſse unicum, eum ſolum adorandum, eique uni (quod etiam diſerte additum à Remonſtrantibus eſt) excluſis aliis omnibus, à quibus nihil prorſus habet, utpote Angelis, &c. gratias ſemper agendas eſse? 2. Si quis rem bene expendat, primus iſte qué adſignat uſus, non eſt uſus ex creationis beneficio fluens, ſed ex hypotheſi & conſequentia alia, quam expendere alterius ſcholæ eſt & operæ: Aliud enim eſt dicere, Deus creavit te, idcirco eum ſolum colere & adorare debes: Aliud dicere, Qui creat, is neceſsario æternus eſt, & pro æterno habendus. Iſta conſequentia plana eſt, & uſus, qui ex ea deducitur, palpabilis. Hæc primum operoſe adſtruenda eſt, antequam uſus iſte, quem Cenſor vult, inde elici poſſit. Sed & poſito aliquem eſse aut fuiſse, qui conſequentiam iſtam aut non perciperet, aut negaret, quid hoc ad rem faceret, ſi nihilominus conſtet, eum firmiſſima fide credere, Deum æternum eſse? An iſto argumento opus habet, ut id credat firmiter? Nihil minus. Sed vide interim, lector, quanta ſervitus ſervienda ſit apud Cenſores iſtos: Etiam argumento iſto moveri, vel conſequentiæ illi adſentiri, ut credas Deum æternum eſse, inter uſus ponunt, qui ad ſalutem cognitu neceſsarii ſunt, ſic enim ajunt: *Quaſi vero uſus illi non ſint ad ſalutem cognitu neceſſarii.* Horret animus, cum Tyrannidem iſtam vel cogitat. 3. Denique poſito quod uſus hi, aut non ſint uſibus illis Remonſtrantium comprehenſi, aut à Remonſtrantibus neglecti an ratio ulla ſuſpicandi idcirco data fuerit, eos de æternitate Dei dubitare? At Cenſores laudem iſtam

Inepta Cenſura de uſibus Creationis diverſis omiſsis in declaratione.

Remon-

Remonſtrantibus dederunt jam ante, quod de æternitate Dei recte & aperte fuerunt locuti, pag. 38. An quod cultum Angelorum religioſum approbent? At eum diſerte etiam reprobari ab iis cap. 16. Sect. 3. in confeſſo eſt. Et qui poſſunt aliter? Cultum Angelorum Apoſtolus diſerte ad Coloſſ. damnat. De creatione cæli & terræ Propheta exclamat, *Dii, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra, & de ſub cœlis iſtis.* Ier. 10. 11.

Sectionis ſeptimę Cenſura nil niſi prolixã habet Calvini apologiam, quod Prædeſtinationis objectum non fecerit hominem integrum & innocentem, ſed in lapſu Adæ conſideratum, ſive Peccatorem. At principio quidem Cenſor acriter invehitur in Remonſtrantes, *quod Pontificiis nonnullis Eccleſiarum Reformatarum hoſtibus parcentes, Calvino ſoli & quibuſdam aliis Orthodoxis Theologis ac Doctoribus litem moveant.* Sine cauſſa. Remonſtrantes Calvino aut orthodoxis Theologis litem nunquam moverunt: Præclaras dotes, & merita de Eccleſiis Reformatis inſignia Calvini aliorumque in pretio ſemper habuerunt, atque etiamnum habent: Tantum ſententiam ejus de Prædeſtinatione rejecerunt ac damnaverunt, ut ſententiam, quæ Reformatarum Eccleſiarum communis ſententia dici non debeat, ſed Calvini, eorumque, qui vel Calvinum ſequuntur vel idem cum Calvino credunt, ſive ii ſint Stoici, ſive Manichæi, ſive Prædeſtinati, ſive Turcæ, ſive Athei, ſive Pontificii, propria ſententia, & quæ per ſe falſa ac Reformationi toti, ipſique adeo Religioni Chriſtianæ probro ſit, ac ſcandalo. Hoc autem ſe non tantum jure ſuo facere potuiſſe crediderunt, ut Reformatas Eccleſias à fœda iſta labe & pudenda macula, quantum in ſe erat, pręſtarent immunes, ſed etiam ad id faciendum conſtricti fuerunt, eam maxime ob cauſſam, quod cum ſententiam iſtam ſibi improbari ſignificarent, in acerbiſſima odia multorum incidere ſe videbant. Alii enim ſententiam iſtam Calvini, ſententiam Reformatarum Eccleſiarum eſſe contendebant, alii eam Calvini ſententiam eſſe negabant, alii eam, etiamſi Calvini ſententia eſſet, à contradictione tamen omni vindicandam, & contradicentes quovis modo opprimendos eſſe aſſerebant. Quid facerent Remonſtrantes? ut Calvini ſententia peculiaris pro communi Eccleſiarum Reformatarũ ſententia haberetur, permittere non poterant per conſcientiã, nec debebant ex officio: ut crederetur ſententiam iſtam non eſſe ſententiam Calvini, non ſinebant non modo Reformationis hoſtes, ſed nec ii, qui inter Reformatos id palam & inadoperto capite non agnoſcebant tantum, ſed velis etiam

Oſtenditur vera cauſſa quæ Remonſtrãtes impulit, ut Calvini nomen in ſcenam producerent.

remiſque contendebant: ut à ſententia iſta non diſſentirent, & contrariam ſententiam non profiterentur, ab animo ſuo impetrare non poterant, quia valde noxiam eam & religionis pietatiſque omnis labem ac tabem eſſe perſuaſi erant, & experimentis multis didicerant. Quamquam vero initio libenter admodū parcebant nominibus Calvini, aliorumque, quorum iſtam eſſe ſententiam ſciebant, rati ſufficere ſi intra ſolam ſententiæ contrariæ aſſertionem & propugnationem ſtarent; tamen non ſinebant id Zelotæ complures, quibus Calvini omnia placita uſque adeo probabantur, ut ea pro ipſiſſima Reformatarum Eccleſiarum ſententia habenda eſſe judicarent; hi Calvinum ducem & anteſignanum Reformationis peti, & per latus ejus Eccleſias Reformatas vulnerari, clamabant, quando ſententia illa convellebatur. Hinc neceſſitas impoſita fuit Remonſtrantibus, ut ſententiam iſtam non eſſe communem Reformatarum Eccleſiarum ſententiam, ſed peculiarem Calvini, aliorumque ſententiam eſſe probarent. At initio quidem vix ulli erant, qui non ultro agnoſcebant, fatebanturque ſententiam illam, Calvini genuinam ſententiam eſſe, & res plana erat: Sed quia ſententiæ iſtius fœditas paulatim magis magiſque detegebatur, adeo ut ſtragulum ſatis ſpecioſum reperiri non poſſet, quo velaretur, fuerunt, qui audaci ſtratagemate utendum putarunt, & in dubium vocare non erubuerunt, an ſententia iſta Calvini ſententia eſſet. Iſta arte credebant novæ liti materiam præberi poſſe, & odia plebis accendi in Remonſtrantes, quia videbant eos ſententiam ſuam tueri non poſſe, niſi aut tam magni herois famam, manes ac merita quaſi publicitus proſtituere, aut mendacii manifeſti teneri vellent. Calvinum itaque aliosque Theologos, ejus aſſeclas, in ſcænam ut producerent Remonſtrantes, neceſſe erat, non quia ita volebant, ſed quia aliter non poterant, tum veritati, tum famæ ſuæ honeſtæ conſulere. Ex quo patet cur Pontificios nonnullos, ac nominatim Dominicanos, accerrimos licet Eccleſiarū Reformatarum hoſtes, à quibus Calvinus ſententiam ſuam hauſit, & cum quibus pene per omnia ſentit, in hanc arenam non traxerint, ſed Calvino ac Calviniſtis tantū ſententiam hanc, & quæ ex ea ſequuntur horrenda paradoxa, & ἄτοπα attribuerint, imprimis poſtquam ſententia iſta Calvini in Synodo Dordracena non tantum approbata, ſed contraria etiā ut intolerabilis in Eccleſiis ipſorum judicata eſt, & profeſſores ejus proſcripti, relegati, omnique ſævitiæ genere tractati fuerunt: Quare cum Cenſor ait, *Remonſtrantium ſcopum hunc eſſe, ut Eccleſiarum Reformatarum hoſtibus, ſive hæreticis, ſive*

Schiſma-

Schismaticis blandiantur, atque ut gratiam eorum captent, & consensui, in generali quadam Confessione, in qua omnes comprehendi queant, viam sternant, eum convitium Remonstrantibus dedita opera facere voluisse, manifestum est. Scopus enim Remonstrantium jam liquet, & res in Belgio Fœderato notior est, quam ut negari possit. Quomodo vero credibile est, Remonstrantes hac ratione voluisse blandiri Pontificiis, Ecclesiarum Reformatarum hostibus, aut hæreticorum & schismaticorum aliorum gratiam captare, qui sententiam eorum quam cum Calvino & Calvinistis communem habent, non minus quam Calvinum ipsum respuunt ac rejiciunt? quid? an gratia eorum captatur, quia nominibus eorum parcitur? At sententia eorum damnatur. An consensui cum iis via sternitur? At dissensionem testantur, cum iis aperte contradicitur. Profecto tetricum & malevolum hunc Censorem hujus calumniæ, dicam, an importunæ proterviæ? pudere merito debet. Sed nos rem videamus.

Refelitur Censoris calumnia.

Censor pro Calvino dicturus duas proponit sententias, unam, quæ statuit objectum prædestinationis, massam generis humani incorruptam; Alteram, quæ statuit massam corruptam. Illam dicit tenuisse tum Patres quosdam orthodoxos, Augustinum scilicet, Fulgentium, Prosperum, Bernardum, tum Theologos alios recentiores, Scholasticos sc. non paucos, Iesuitas nonnullos, & nominatim Iesuitam *Estium*. Hanc dicit Calvinum tenuisse, cum expressa prioris istius non repudiatione tantum, sed & detestatione. Quid de prima ista sententia sit, & an jure ea tribuatur iis, quibus eam tribuit Censor, nolo jam inquirere. De plerisque Scholasticis, de Pontificiis Doctoribus, de Iesuitis Hispanis, imprimis Dominicanis Inquisitoribus, & de Estio dubitandum non est, quin sententiæ istius primæ patroni fuerint. De Augustino, Fulgentio, Prospero, Bernardo, etiamsi Iudicia varient, tamen pauca admodum sunt, quæ iis primam sententiam tribuunt, pleraque iis tribuunt sententiam secundam, & summa cum veritatis specie: Sed Remonstrantibus ista lis tanti non est, ut eam suā facere velint. Quisque in suo sensu abundet. Id tantum opere pretium est notari, quod Censor hic omnes *istos orthodoxos* vocet, *quatenus unanimiter cum Calvino in hac re, quod absolutum Prædestinationis decretum Deo attribuant, id est, à solo pendens voluntatis ipsius beneplacito, non autem ab ullis bonis aut malis hominum operibus ab ipso prævisis, neque etiam ab ulla virtute aut dispositione ad virtutem* (addi debebat, *aut ad peccatum*, nam non *bona* tantū sed etiam *mala* hominū opera antea excluserat) *in massa generis huma-*

Quæ fuerit genuina Calvini & Bezæ sententia de Prædestinationis objecto.

ni considerata: Nam ex eo apparet, quanta sit horum Censorum erga Remonstrantes ἐπιείκεια, dum eos, qui statuunt Deum Opt. Max. multo maximam hominum partem insontem, & nullius prorsus culpæ aut peccati ream, non tantum destinare potuisse, sed etiam destinare ab æterno voluisse, actuque ipso destinasse ad æternos & ineffabiles ignium infernalium cruciatus, quanquam ipsi sententiam eorum videri volunt habere pro profana, detestabili, blasphema & execratione digna, ut ex pag. 71. 75. liquet; dum eos, inquam, nihilominus tamen inter Orthodoxos referunt, & quidem idcirco tantum, quia decretum eorum, quod Deo attribuunt, in eo convenit cum decreto, quale ipsi Deo attribuunt, quod absolutum sit, & quod per illud destinentur homines plerique æternis cruciatibus, non propter peccatum ullum ipsorum, sed quia Deo ita libet, quo tamen ipso absoluto decreto nihil aut in divinam sapientiam, bonitatem, justitiam contumeliosius, aut in divinum Christi meritum injuriosius, aut in rectam rationem incongruentius, aut in totam Christi sacrosanctam Religionem indignius concipi potest: Remonstrantes vero, qui Deum nec posse, nec velle destinare ullos homines ad æternos inferni cruciatus, nisi ob propriam & vincibilem eorum culpam adserunt, inter heterodoxos censeant, tantum idcirco, quod non tribuant Deo absolutum decretũ, quod à prævisis malis hominum operibus, aut ab ulla ad mala opera dispositione non dependet. Adeo facile coeunt, qui in fatalitatẽ absolutam tantum consentiunt. An Deus ex una parte statuatur insipiens, ex altera injustus, susque deque habent: Salvo tantum fato, syncretismus orthodoxus constat. Hoc qui non admittit, etiamsi non nisi verissima dicat, in spongiam incumbat, & ex albo orthodoxorum deleatur, necesse est: Absolutum decretum, id est, fatum, tessera est, ex qua dignoscitur, an quis sit orthodoxus, etiamsi id dicat, unde necessario consequitur Deum esse insipientem, stultum, injustum, Tyranno quovis crudeliorem, peccati authorem, & si quæ alia ejus generis blasphema sunt. Atque hinc etiam est, quod in Synodo Dordracena, non modo non sint ex orthodoxorum catalogo expuncti, qui horrenda ista primæ sententiæ placita se tenere profitentur, uti Piscator, Maccovius, aliique, sed etiam inter orthodoxos censitus D. Gomarus, quamquam protestatione publica se primæ sententiæ adhærere significabat. Neque sine caussa Censor, cum primam sententiam proponit, prolixe adeo Patres, Doctores, Scholasticos, Estium, & quæ ab Estio pro sententia ista ex Apostolo ad Roman. 9. dicuntur, citat: Vix dubium est, quin

Syncretismus Calvinistarum constat, salvo tantum Fato.

quin eo significatum voluerit, sententiam istam non esse usque adeo improbabilem; Quando vero deinde subjicit, *Calvinum sententiam Scholasticorum rejicere*, non respexisse eum nisi ad posteriorem illam Bassolii Aliacensis, & aliorum Thomistarum sententiam, qui affirmant, Deum quoque hominem insontem potuisse addicere pœnis æternis, atque interim lusisse sub voce *Pœnis*, qua tamen Scholasticos malum pœnæ, etiamsi non sub ratione pœnæ, significare voluisse certum est. Sed conjecturis opus non est. De Calvino videamus. Ad ea, quæ à Remonstrantibus Calvino attributa erant, *Nos*, inquit Censor, *in contrarium ipsummet Calvinum pro se dicentem, deque sententia sua testificantem audiamus*: Atqui primo, hoc satis non est. Calvinus Calvino facile opponi potest, utpote sibi ipsi, quoad locutiones, quibus in hac materia utitur, valde dissimilis. Nec mirum. Non enim ignorabat, quam horrenda esset sententia sua nude prolata. Arte locutionum, veluti purpurissa & ceromate incrustanda erat, ne pateret vulgo, aut iis, quibus stomachus non est, quo crudam istam sententiam concoquant. Hoc ita esse, id unum arguit, quod inter ipsos Calvini Sectatores hodieque mira opinionum diversitas sit de genuina Calvini sententia, quolibet pene reperiente in verbis ejus, quo suam opinionem tueatur ac propugnet: Adeo ἀμφίρρεπτές est, quicquid ab eo profertur, ut quid crediderit difficulter capi possit, nisi quis acriter animum advertat, & affectus ac præjudicium procul habeat. Idem observare est in Discipulo Calvini Beza: Nam si Notas ejus Minores in cap. 9. ad Rom. videas (pauculis quibusdam periodis exceptis, ubi lineamenta & vestigia propriæ sententiæ suæ exstare voluit) jurares, eum prædestinationis objectum non statuere nisi *massam* generis humani *corruptam*: At si Notas ejus Majores videas, aut prælectiones in caput idem nonum, item Responsf. ejus ad Calumnias Nebulonis, Sole clarius est, eum Prædestinationis objectum facere massã generis humani incorruptam. Hæc enim sunt ejus verba in Prælect. in cap. 9. ad Rom. pag. 120. *Æternum illud Dei decretum de gloria sua in nonnullis, quos ei visum est, per misericordiam servandis, & in nonnullis justo judicio perdendis, patefacienda, non modo corruptionis, sed etiam integritatis, atque adeo ipsius creationis propositum, ordine caussarum antegreditur.* Et clarius adhuc in tractatu de *Prædest. contra Castell. Responf. ad calumn.* pag. 86. *Neque enim Massæ nomen humano generi condito, sed condendo convenit, nedum ut Massæ nomine corruptum* (NB) *genus humanum intelligatur. Condendum autem humanum genus voco, non modo quod Deus re ipsa* nondum

Refellitur Censoris objectio, quam ex ipsis Calvini verbis depromit.

Beza sibi dissimilis.

mondum condidisset, sed etiam quod non (NB) *consideraret sive prospiceret ut conditum, nedum ut corruptum.* Idem hoc in Notis Majoribus in cap. 9. ad Rom. tribus rationibus probare conatur : Nihil apertius dici potest. Et hunc Calvini præceptoris sui vestigiis institisse mentemque ejus penitius, quam Censorem hunc perspectam habuisse, quis dubitet? Sed, quid ego longe abeo ? Idem factitarunt nuper , post natam in his Provinciis controversiam de prędestinatione contra-Remonstrantes supralapsarii, Calvini Sectatores. Deus bone ! Vidimus atque experiundo didicimus , quanta illi arte, quanto studio sententiam suam incrustare, tegere , ac cælare semper conati fuerint , hodieque adhuc conentur : Vix credo, humanam industriam comminisci plura posse, quam commenti sunt isti mortales, ut sententia ipsorum , à sententia Sublapsariorum differre non videretur. Proteos eos diceres & versipelles, qui subinde istorum , subinde horum sententiæ colorem præ se ferunt, & levi distinctione, veluti ventulo circumacti , sese vertunt in utramque partem. Si concionantes eos & orantes ad populum, si cum vulgo loquentes audias , nihil nisi Sublapsariorum fidem crepant , & sub peccati Originis obtentu , Prædestinationis absolutæ justitiam tegunt : Si disputantes eos audias , imprimis ubi secreti licentiam nacti sunt, altius eundum esse clamant, &c, ne Deo tribuatur insipientia, supra lapsum ascendendum , & à Dei puro beneplacito non Electionis tantum sed & Reprobationis decretum ordiendum esse contendunt: Ista arte credulæ plebis obsequium emitur , & retinentur in fide, quibus est *Pelidæ stomachus, cedere nescii.* Calvinum idem fecisse , & semitam hanc sectatoribus suis monstrasse cap. 21. 22. 23. Instit. ipsius, quæ à Remonstrantibus citata sunt, clare satis arguunt. Tantum vero abest, ut loca illa, quæ hic citat Censor, sufficere videri debeant, ad probandum Calvinum Prædestinationis objectum constituisse massam generis humani consideratam ut corruptam , ut ex illis ipsis non obscure colligi possit contrarium , si quis modo animum advertat. Nam, dum Scholasticorum sententiam de absoluta Dei, ut vocat, potestate, ut profanam & merito detestabilem repudiat & damnat, non idcirco id facit , quia potestatem absolutam homines insontes destinandi ad æternum exitium , Deo non competere vult ; Nihil minus : sed tantum , quia Deo eam competere non vult eo sensu , quo Scholastici eam Deo tribui posse & competere asserebant : Hi enim Potestatem absolutam à justitia hactenus separare Calvino videbantur , quod etiamsi injustissimum aliquid nobis sit aut esse videatur (quale est illud, Deum

Quid in Scholasticorum sententia de absoluta Dei potestate taxet Calvinus.

Deum insontem hominem posse æternis pœnis addicere) Deum tamen jure id posse contenderent, & non idcirco aliquid posse Deum statuere, quia justum esset, sed idcirco justum esse, quia Deus id posset facere: Hanc eorum sententiam tantum repudiavit Calvinus, ut ex verbis à Censore citatis patet: At potestatem absolutam insontes destinandi ad exitium & cruciatum æternum (non dico ad pœnam) tantum abest ut Calvinus Deo ademerit, ut contra eam diserte ei competere contenderit, sed caussam occultam esse & absconditam dixerit, & ab ea justitiam separari non voluerit, uti verba hæc citata manifeste evincunt; *Quamquam mihi Dei voluntas* (absoluta scilicet) *summa est decretorum ipsius caußa, ubique tamen doceo, ubi in ejus consiliis & operibus caussa non apparet, apud eum tamen esse absconditam, ut nihil nisi juste & sapienter decreverit. Itaq; quod de absoluta potestate nugantur Scholastici, non solum repudio, sed etiam detestor, quia justitiam ejus ab imperio separant. Nunc vide canis, quid proterve latrando proficias; Ego Dei arbitrio* (absoluto scilicet) *humanum genus subjiciens clare affirmo Deum nihil decernere sine optima caussa, quæ si hodie nobis incognita est, ultimo die patefiet:* Interim mentem nostram figendam potius esse dicit in caussa nobis propinqua, & quæ per se ad damnationem sufficit, videlicet in vitiositate per totum genus humanum diffusa: prout diserte habent verba ejus, quæ pag. 75. citavit Censor. *In corrupta* (NB) *potius*, inquit, *humani generis natura* (NB) *evidentem damnationis* (NB. non dicit Reprobationis) *caussam quæ* (NB) *nobis propinquior est, contemplemur, quam absconditam &* (NB) *pœne incomprehensibilem inquiramus in Dei prædestinatione. Neque immensæ Dei sapientiæ submittere huc usque ingenium pigeat, ut in multis ejus arcanis succumbat.* Instit. lib. 3. cap. 23. sect. 8. Cui loco consonant duo, quæ statim subjungit Censor ipse, ubi Calvinum ait, prædestinationem definire per divinæ justitiæ, occultæ quidem, sed inculpatæ dispensationem, & *eos* (NB) *præpostere agere, qui ad quærendam suæ* (NB) *damnationis originem, in* (NB) *recondita divini consilii adyta oculos intendant, ad naturæ corruptionem, unde illa* (damnatio scilicet) *scaturit, conniveant, &c.* Ex istis, ut alia plura non allegemus, haud obscure liquet, Calvinum asseruisse in massa corrupta caussam quidem damnationis quæri & reperiri posse, sed tamen eam prædestinanti Deo neutiquam objecisse. Ratio est, quia caussam prædestinationis semper nobis absconditam, occultam & incomprehensibilem esse vult: *Est enim prædestinatio*, inquit, *justitiæ divinæ, occultæ quidem, sed tamen inculpatæ dispensatio:* At si massa generis humani

Ostenditur à Calvino massam incorruptam statui objectum Prædestinationis.

R corrupta,

corrupta, à Calvino habita fuisset prædestinationis objectum, caussa & iustitia ejus, ipso Calvino teste, occulta & abscondita non fuisset, sic enim ait, *Sola vitiositas, quæ diffusa est per totum genus humanum, antequam emergat in actum, ad damnationem sufficit. Unde sequitur, merito rejectum fuisse Esavum, quia naturaliter erat filius iræ:* huic jam adde, I. quod Calvinus absolutam prædestinationem, id est, electionem & reprobationem à solo divinæ voluntatis beneplacito pendentem, non autem ab ullis bonis aut malis prævisis operibus, (Sic enim vocem, *absolutum*, Censor explicat,) etiam inter Angelos locum habere vult (hæc enim sunt ejus verba lib. 3. Instit. cap. 23. sect. 4. *Angelos, qui steterunt in integritate sua, Paulus electos vocat: Si eorum constantia in Dei beneplacito fundata fuit, aliorum defectio arguit fuisse derelictos. Cujus rei caussa non potest alia adduci, quam reprobatio, quæ in arcano Dei consilio abscondita est:*) ubi vitiositas communis non habet locum. Atque hanc eandem sententiam etiam Censorem hunc tenere, quicquid in massa corrupta tantum stare videri velit, initio cap. hujus evidenter patuit. II. Quod Calvinus in citato cap 21. lib. 3. *Instit.* lapsum Adami, ex quo vitiositas illa, quam damnationis caussam facit, & quam ad damnationem sufficere ait, *consilio & voluntate Dei factum* adserit, *& præscitum à Deo idcirco fuisse, quia Deus decreto suo sic ordinaverat,* uti diserte videre est sect. 7. lib. 3. cap. 23. & clarius adhuc sect. 6. ubi Laurentii Vallæ opinionem sibi maxime probari ait, ob hanc rationem, *quoniam,* inquit, *& vita & mors divinæ magis voluntatis, quam præscientiæ sint actiones:* & addit; *Si hominum eventa provideret Deus duntaxat, non etiam suo arbitrio disponeret ac ordinaret, tum non abs re agitaretur quæstio, ecquid ad eorum necessitatem valeat ipsius prævidentia, sed quum non alia ratione, quæ futura sunt, prævideat, nisi quia ut fierent, decrevit, frustra de præscientia lis moveretur, ubi constat ordinatione & nutu potius omnia evenire.* Adde his sect. 7. ubi objectionem istam, *At disertis verbis negant hoc exstare, decretum fuisse à Deo ut sua defectione periret Adam,* hunc in modum solvit, *Quasi vero idem ille Deus, quem Scriptura prædicat facere quæcunque vult, ambiguo fine condiderit nobilissimam ex suis creaturis.* III. Quod ipsam illam vitiositatem ex lapsu Adami in posteros ejus omnes defluxisse vult, nullam aliam ob causam, quam quia Deo ita placuit, *occulto quidem & horrendo judicio, sed tamen justo.* Sect. 7. lib. 3. cap. 23. Quæ non obscure arguunt, Calvinum, cum videri vult massam corruptam Deo prædestinanti objicere, non nisi dicis causa id facere, ut colorem aliquem

apud imperitum lectorem det sententiæ suæ. Quid enim obsecro vitiositas illa in massa generis humani facit, ut prædestinatio aut damnatio eorum, in quibus illa locum habet, aut locum habere consideratur, justa videatur, si caussa illa, id est, peccatum Adami, unde vitiositas illa nata est, & ipsa vitiositas, ac vitiositatis diffusio, non nisi ex pura puta Dei ordinatione est, & non aliter, quam quia sic erat à Deo ordinata, præscita fuit? Quæ itaque Censor in contrarium allegat argumenta, ex verbis Calvini, ea apparet esse ficulnea. Neque difficile admodum est observare, Censorem hunc sensisse passim laborare argumenta sua, eam maxime ob caussam, quod negare non possit, adeoque clarum sit; Calvinum asserere lapsum ipsum Adami Dei consilio & ordinatione accidisse, antequam præscitus à Deo esset. Hinc adeo sollicite & scrupulose loquitur, cum de ordinatione hac agit, ut id fere unum videatur egisse, ne conscientiam suam læderet, & tamen ulcus sententiæ Calvini verbulo aliquo de suo inserto, veluti honesto aliquo operimento tegeret. Dum enim contendit, corruptam generis humani Massam objectum prædestinationis à Calvino constitui, & interim non dubitat, quin Calvinus adseruerit corruptionem illam, quæ in massa tota est, & lapsum Adami, ex quo corruptio ista fluxisse creditur, divino consilio & voluntate accidisse, quid facit? Ne Calvino, & forte sibi ipsi contradicat, & interim, ut tum Calvini, tum suę sententiæ arcanum speciose velet, id unum operam dat, ut probet Calvinum dixisse, seque, suosque credere, Deum neminem, ac proinde nec ipsum Adamum, *Vi ordinationis ac voluntatis suæ potentissimæ ad peccatum committendum destinare*, pag. 75. Deum neminem ad peccatum, sive ad exitium, *fataliter*, *seu violenter* ordinare, pag. 72. Deum *non tanquam Authorem aut caussam primam* Adamum destinasse ad malum culpæ, sive ad peccatum, pag. 75. Quasi vero quisquam sit, qui ordinationi seu consilio isti, quo Deum Adamum ad peccatum destinasse dicitur à Calvino, vim, seu violentiam, seu efficientiam positivam tribuat: voces istæ singulæ totidem latibula sunt ac κρησφύγετα, in quæ se abdit Censor, ne videatur dicere, quod dictum tamen vult. Istæ artes jam dudum notæ sunt, & sordent apud eos, qui rerum momenta, non verborum inania ponderant. Constat enim id, quod ordinationem & consilium vocat hoc loco Calvinus, non raro ab illo, & aliis ei ὁμοψήφοις, *permissionem* leniore voce, sive *remissionem divinæ voluntatis*, ab aliis *voluntatem permissivam* simpliciter, ab aliis *voluntatem permissivam efficacem*, duriore paulum vocabulo, à Censore

Elaboratus loquēdi modus, quo Censor usus est, detegitur.

præcedente, *permissionem, sive cessationem divinæ actionis conjunctam cum moderatione, & ab ea efficaciam suam sortiente* appellari, eamque divinæ prædestinationi subordinari per modum caussæ, non efficientis, sed deficientis, qua posita, peccatum non fieri impossibile est: Quo ipso sane, etsi Deo non tribuatur in terminis proprie dicta efficientia, cujus vi peccatum fit, re ipsa tamen efficientia sive efficacia in ordine ad peccatum tribuitur; Deficiens enim caussa in necessariis, ad caussam efficientem proprie dictam reducitur: Quamquam si quis ipsum Calvinum videat, manifestum est eum dicere, non solum permissione divina lapsum hunc accidisse, sic enim diserte loquitur Instit. lib. 3. cap. 23. sect. 8. *quamquam nec hoc ipsum quidem per se probabile est, sola Dei permissione, nulla ordinatione, hominem sibi accersivisse interitum. Quasi vero non constituerit Deus, qua conditione præcipuam ex suis creaturis esse vellet: Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri, voluntatem Dei esse veram necessitatem, atque id necessario futurum esse, quod ille voluerit, quemadmodum ea vere futura sunt, quæ praviderit.* Secundo, idem non obscure apparet ex iis, quæ de Præscientiæ Dei fundamento statuit Censor pag. 74. Postquam enim dixerat, *Deum nihil ab æterno, tanquam certo futurum, prævidere potuisse, quod non voluntatis actu aliquando aut facere aut permittere decrevit*, quod sane rectissime dicitur, statim subjungit hæc verba, quæ sane sensum longe alium, eumque pessimum continent; *Unde ipsi quoque Scholastici fatentur, præscientiam Dei talem aliquem voluntatis actum in Deo præsupponere, qui ad certam rerum ipsarum (ut loquuntur) futuritionem, cum in mente Dei, tum in rebus ipsis fundandam* (NB) *sufficiat*: Istis enim verbis manifeste significat, fundamentum Præscientiæ divinæ, quod futuritioni rerum fundandæ sufficit, aliquando esse solam & nudam Dei permissionem, ita ut posita tantum divina permissione (quam alterum divinæ voluntatis actum vocat) non tantum certa futuritionis peccati scientia in mente Dei, sed peccati etiam necessaria futuritio in rebus ipsis statuatur (quod tamen ipsum diserte Calvini verbis repugnare manifestum est.) Posito itaq; Deum tantum velle permittere Adamo ut peccet, si velit, Adamum peccare, seu velle peccare necesse est. Atq; hoc est arcanum impiæ hujus sententiæ, quod Censor hic in sinu fovet. Et hæc quidem res clarius adhuc multo liquebit, si videantur ea, quæ ad Remonstrantiũ ἄτοπα, à Calvino aliisq; Doctoribus Orthodoxis, quibus ea impingi per impudentem calumniã dicit, amovenda attulit. Nos primum tantum discutiemus, quia cetera, aut discussa jam sunt,

ſunt, aut hoc diſcuſſo, amplius hic diſcuti neceſſe non eſt. *Primum eſt* (inquiunt) *Remonſtrantes, quod prædeſtinationem creationi hominum præmittendo, naturalem rerum ordinem invertant: At hoc*(inquit Cenſor)*falſum eſt, & à mente Calvini diſſentaneum.* Ratio eſt; *Quia Calvinus aliique diſtinguunt inter decretorum executionem, & decretum de fine. In executione decretorum primum opus eſt creatio, ſecundum redemptio: At in decreto de fine prius eſt decretum de rerum harum aut illarum fine, quam de mediis ad finem earundem rerum deſtinatis:* Bene habet, hoc eſt quod volunt Remonſtrantes; Calvinum ſc. cæteroſq; Doctores orthodoxos, quos vocat, ſtatuere, decretum abſolutæ prædeſtinationis, quod eſt decretum de Fine, id eſt, vita aut morte hominum æterna, præceſſiſſe non temporalem decreti illius executionem, id eſt creationem, uti inepte Cenſor Remonſtrantium verba capit (quis enim adeo fuerit ineptus, ut id neget?) ſed decretum creandi homines: Eo ipſo enim everti dicunt naturalem rerum ordinem. Ratio manifeſta eſt. Sic enim ſtatuitur Deũ prædeſtinaſſe ad æternam vitam & ad æternam mortem, non dico id quod nondum erat, ſed id quod à Deo ipſo, non poterat conſiderari ut ens: Quicquid enim conſideratur ut ens, ſive exiſtens, id ſupponit neceſſario decretum creationis, quia ſolius creationis terminus ad quem, eſt entitas, & decreti creandi terminus eſt conceptio entitatis. Decretum itaque abſolutum prædeſtinationis neceſſe eſt ut ſequatur poſt decretum creationis, aut naturalis rerum ordo evertitur: Atque hinc patet, fieri non poſſe, ut à Cenſore Calvinus credatur maſſam generis humani corruptam, feciſſe objectum divinæ prædeſtinationis, idcirco quod eum velit decretum creandi, ut medium, ſubjeciſſe decreto prædeſtinationis, quod eſt de fine. Sic enim neceſſe eſt ut fateatur Calvinum ne quidem genus humanum, quatenus maſſa ſimpliciter eſt, ſive quatenus ſimpliciter eſt ens, objectum prædeſtinationis feciſſe, ſi conſequenter loqui velit. En ut ſuo proprio laqueo tum Calvinum, tum Doctores cæteros ſuos, ſeque adeo ipſum ſtrangulet Cenſor: Ex hoc ſequentia æſtimentur, nam ex eo dependent. Quæ de lucta carnis & Spiritus, deque obediendi moleſtia, quæ in Adamo fuerit, Cenſor diſputat, ea alibi, & ſuo loco expendentur.

Atque hæc quidem ſufficiunt ad probandum Remonſtrantes non ſine magnis gravibuſque rationibus Calvino tribuiſſe ſententiam ſupralapſariam, ut vocant. Poſſent huic rei confirmandæ adduci teſtimonia complurium Doctorum Reformatorum, cum hujus, tum ſuperioris ævi, qui eandem ſententiam Calvino aperte tribuunt; ſed

quid opus est testibus, ubi rerum argumenta adsunt & loquuntur? Stabo itaque hîc, & coronidis loco id tantum addam: mirum merito videri debere, quod Censor in fine hujus censuræ eo usque abripiatur, ut scribere non dubitet, *Remonstrantes non minore injuria cæteros Theologos criminari, quos Calvini asseclas nominant*: Hoc enim indubitatum signum est, eum non judicio, sed affectu ferri, & quæ pro Calvino dixit, pro cæteris omnibus etiam dicta voluisse, quos tamen tam clare constat sententiam supralapsariam tenuisse, adseruisse, propugnasse, quam constat bis duo esse quatuor. Quis enim vel leviter versatus in scriptis Zanchii, Piscatoris, Perkinsii, Gomari, Maccovii, aliorumque, id non palpat? Bezæ tantum unius, quem discipulum & Collegam Calvini fuisse constat, testimonium, quod paulo ante citavimus, inspiciatur, &, si quis adhuc dubitat, næ eum fungum esse dicet, *cui nihil salit, læva sub parte mamillæ.*

EXAMEN CENSVRÆ CAPITIS VI.

De Providentia Dei, seu rerum conservatione & gubernatione.

SEctione I. & II. censentur Remonstrantes, quod in definitione Providentię divinę attributum illius omittunt, quod nempe sit *Vis atque actus potentiæ, quo Deus res omnes à se conditas conservat*: Hîc incertum est quid Censor sibi velit. An velit attributum illud, *Vis atque actus potentiæ*, attributum esse, quod Providentiæ divinę simpliciter, per se, ac semper competit, an vero velit esse attributum, quod tantum Providentiæ divinæ conservatrici, sive quatenus res conservat, competit. Istud si velit, tum sane perquam ineptus est, quia sequeretur, Deum providentia nulla uti, nisi cum vi & actu aliquo potentiæ utitur, quod absurdissimum esse Censor ipse non negabit, quia sic providentia divina circa mala non versaretur, aut si circa ea versatur, illam vi & actu aliquo potentiæ, circa ea versari credendum esset, quod Cēsorem ipsum sectione seq. negare constat, ubi Deum *mala, qua mala, vel peccata, qua peccata, nullo modo efficere, sed tantum permittere dicit, & gubernare.* Permissio autem, non est vis sive actus potentiæ, sed mera tantum actionis cessatio, sive negatio, uti Censor ipse fatetur, pag. 84.

An attributum divinæ Providentiæ sit vis atque actus potentiæ, quo Deus res à se conditas conservat.

Hoc

Hoc posterius si dicat, tum sane ridiculus est, quod attributum illud in definitione generalis Providentiæ poni velit, quod non nisi ad unã rei definitæ partem, id est, ad conservationis Providentiam pertinere vult: Tum, an actus ille, quo Deus res omnes conservat, sit vis sive actus potentiæ, inter Scholasticos hodieque controvertitur: plerisque, imo fere omnibus, conservationem actum negativum habendum, non autem positivum contendentibus, non sine magna veri specie. Sed Remonstrantes istas otiosas disputationes tanti non faciunt, ut propter eas velint litigare. Sufficit ipsis, si dicant, Deum providentia sua conservare res à se creatas; An conservatio ista, sit vis sive actus potentię, an actus merus voluntatis negativus, quo vult res creatas non destruere aut annihilare, disputandum relinquunt iis, quibus id libet: Locus ad Hebr. 1. 3. inepte adducitur, præterquam enim quod non agat de universali Dei providentia, sed de Christi Mediatoris officio, incertum etiam est, an per τὸ *Ferre*, intelligatur conservatio rerum creatarum, & per *verbum potentiæ*, intelligatur vis & actus potentiæ, quo res conservat, imo haut obscurum est, ista oratione emphatica longe excellentiora Christo tribui, de quibus jam non est necesse differere. Quod in descriptionibus modorum specialis Providentiæ Dei, quoad homines ad obedientiam fidei adducendos, Remonstrantes intra Pelagianorum lineas ait consistere, quia nullam gratiæ Dei intus operantis mentionem faciunt, id quam sit falsum & ineptum, suis locis demonstrabitur, ubi ejus rei tractandæ sedes est.

Sectione III. taxatur Remonstrantium argumentum, quo collegerant, *Si Deus sciens & volens inobedientiam, sive peccata, tali permissione permittit, qua posita, non potest non sequi inobedientia, necessario ex permissione Dei, tanquam effectus ex sua caussa sequeretur, jamque Deus omnium peccatorum autor esset, imo peccatum revera peccatum non esset, nedum æterna pœna dignum.* Ratio est, inquit Censor, *quia Dei permissio, qua hominis inobedientiam, aut peccata non impedit, sed patrari ab homine & evenire sinit, non tantum mutabilitatem hominis, sed etiam ex ea, Dei respectu, certam atque infallibilem hominis ad peccandum inclinationem præsupponit.* At hæc Censoris ratio, non modo non infringit, sed confirmat etiam argumentum Remonstrantium, & simul quid ipse Censor in sinu suo secreti gerat, pandit. Nam ex ea patet, Censorem ante permissionem divinam non statuere in homine nisi mutabilitatem, &, quod bene notandum est, *ex ea* mutabilitate sc. respectu hominis, necessariam inclinationem hominis ad peccan-

Ostenditur ex permissione, qualem Censor statuit sequi, Deum esse autorem peccati.

peccandum, & respectu Dei, inclinationem certam atque infallibilem in actum exituram protinus, si modo accedat Dei permissio, id est, si Deus mutabilitatem istam, & , quæ ex ea non impedita necessario sequitur, inclinationem ad peccandum actione aliqua sua non impediat aut reprimat: Permissio itaque juxta Censorem est virtutis vel actionis istius divinæ, sine qua inclinari hominem ex innata mutabilitate in malum necesse est, suspensio, vel non continuatio, sive, ut alii magis ingenue loquuntur, subtractio auxilii & gratiæ ad non peccandum necessariæ. At hoc est, ex quo Remonstrantes colligunt non minus necessaria quam evidenti consequentia, malum ex permissione ista divina non aliter, aut non minus sequi, quam effectus ex caussa sequitur. Non quasi permissionem propterea esse velint caussam proprie dictam efficientem mali sive peccati: sed quod velint, eam eodem loco ac gradu censeri, quo caussa efficiens censeri solet: Caussa enim deficiens in necessariis ad caussam efficientem reducitur, uti jam ante diximus. Hanc collectionem adeo evidentem & certam esse concedit Piscator, ut disertis verbis fateatur in Respons. ad duplic. Vorstii, parte I. pag. 10. 11. *Incredulitatem à Dei prædestinatione pendere, tanquam effectum à caussa.* Quare cum Censor inclinationem hominis ex mutabilitate ejus fluentem propriam ac proximam caussam peccati esse dicit, permissionem autem antecedens peccati, non caussam, ludit pueriliter in verbis, ac speciatim in voce *caussæ*, & in vocabulo, *propriæ ac proximæ*; eundem plane in modum, quo Sophista ille, qui cum lapidem fune suspensum abscidisset, sese caussam proximam ac propriam casus lapidis istius in subjecta vasa negabat: Caussam enim motionis istius propriam ac proximam fuisse pondus & gravitatem lapidis naturalem, non suam incisionem, quæ antecedens quidem aliquid motionis fuisset, sed non caussa motionis aut casus: Dignus certe Sophista, qui ob tam egregiam subtilitatem fœnum ederet & quem mortui incursarent boves. Censorem eodem plane sensu, quod de permissione divina dicit, intelligere ex iis, quæ immediate his subjicit, evidenter colligitur: *Sequeretur enim*, inquit, *Deum non tantum permittere, ut homo male agat, ac legem transgrediatur, sed etiam ut bene agat, ipsique obtemperet; At hoc, inquit, distinctioni efficientiæ & permissionis, quæ* (NB) *perpetuo observatur in doctrina de Providentia, aperte repugnat, secundum quam providentiam Deus bona non permittit, sed efficit, & operatur; mala autem, qua mala, sive peccata nullo modo efficit, sed tantum permittit & gubernat.* Ex hisce enim verbis patet, phrasin hanc, *Deum permittere*

mittere

mittere peccatum, Cenſori nihil aliud ſignificare quam Deum non operari, ſeu non efficere bonum in homine : Eo ipſo itaque, quod Deus permiſit Adamum peccare, concludendum eſt, Deum non voluiſſe operari, ſeu efficere bonum in Adamo, ac proinde Adamum non potuiſſe non peccare ex mutabilis naturæ conditione, quam actu mutari neceſſe erat ad malum, niſi divina virtute actualis mutatio ſiſteretur ac reprimeretur, ſive, quæ bona operari non poterat, niſi Deus in ea bonum operaretur & efficeret, & malum non poterat non operari accedente tantum divina permiſſione, id eſt, non impeditione, uti verbum permittendi exponit, non ſine emphaſi, Cenſor lin. 1. pag. 82. Hoc velle Cenſorem, ex ſequentibus apparebit multo adhuc latius. Quare quæ poſt hæc de permiſſione diſputat, ea non ſunt niſi operoſæ nugæ, ad involvendum tenebris, quod per ſe clarum eſt. *Deſcriptio permiſſionis, quam Remonſtrantes faciunt*, inquit, *cum ad eam requiri dicunt, ut non tantum potentia voluntatis in ſe, ſed uſus etiam potentiæ liber ſit, atque ad oppoſita indifferens, ſive ut ab omni interna ſimul & externa neceſſitate maneat immunis, abſurda, imperfecta, & ambigua eſt. Abſurda*, inquit, *quia hac definitione permiſsio ſtatuitur ante uſum liberæ potentiæ, quæ ineſt æque ad oppoſita hominis voluntati indifferenti: Non enim hîc agitur de permiſsione Dei, qua Peccator ſibi, ſed qua peccatum peccatori permittitur*. Scholaris diſtinctio ſane, id eſt, Schola & Scoto digna. Quid enim differunt, Peccatorem ſibi & peccatum Peccatori permitti? Cum Peccator ſibi permittitur, an non peccatũ Peccatori permittitur ex ſententia Cenſoris? Sane. Peccator enim non poteſt non peccare. Conjectura opus eſt, ut ſenſus intelligatur. An Peccator ſibi relinquitur, cum permittitur homini nondum peccatori, ſed qui peccator poſtea fit, ut poſſit bene aut male agere, id eſt, peccare aut non peccare, ſi velit; Et, an peccatum Peccatori permittitur, cum homini jam actu Peccatori, aut peccare volenti, permittitur ut peccet? hoc ſane ſenſu videntur verba Cenſoris intelligenda eſſe. At, ne phraſin jam examinẽ, cur obſecro de hac permiſſione Dei, non autem de illa hîc agi dicit? Contrarium verum eſt, de illa agitur, non de hac, & patet res, quia Remonſtrantes diſerte affirmant, ſe per permiſſionem Dei intelligere non ejuſmodi permiſſionem, qua poſita non poteſt non ſequi inobedientia ſive peccatum (quod fit quando ex mente Cenſoris peccatum Peccatori permittitur) ſed qua poſita, homo duntaxat inobediens eſſe poteſt, ſiquidem omnino ita velit, quod fit, quando ex mente Cenſoris, Peccator ſibi relinquitur. qui enim poteſt actu inobediens eſſe, poſita per-

Demonſtratur diſtinctionem Cenſoris, inter permiſſionem, qua peccator ſibi, & peccatum peccatori permittitur, ineptam eſſe.

miſſione, is poteſt etiam, permiſſione eadem poſita, obediens eſſe ac manere, ſi velit: Qui enim poteſt nolle, poteſt etiam velle, & qui non poteſt nolle, is etiam non poteſt velle. De permiſſione itaque agitur, quæ non circa actum uſumque voluntatis liberæ, hoc vel illud malum appetentis, ac per organa ſua efficientis, ut Cenſor loquitur, ſed quæ circa potentiam liberam verſatur: Adde, ſi de hac permiſſione hoc loco non ageretur, quomodo permiſſio hæc ad Adamum ipſum ejuſque inobedientiam poſſet extendi? Adamus enim non erat peccator, cum permitteretur ei peccatum, imo erat libero arbitrio, id eſt, potentia voluntatis indifferente præditus, ad oppoſita nimirum, & ad bonum & ad malum morale, nec non ad alterutrũ volendum aut non volendum; uti Cenſor ipſe hac eadem pagina fatetur. Cæterum deſcriptionem permiſſionis ad Adamum & Evam extendi etiam debere Cenſor ait, quia idcirco dicit eſſe imperfectam deſcriptionem Remonſtrantium, quod ad permiſſionem inobedientiæ Adami & Evę adaptari tantum poſſit: At permiſſio, qua peccatum peccatori permittitur ad permiſſionem inobedientiæ Adami & Evæ adaptari non poteſt. Dicet fortaſſe aliquis, poſſe etiam id, quod ait Cenſor, de permiſſione, qua peccatum peccatori permittitur, adaptari ad permiſſionem iſtam, quia Deus videbat Adamum & Evam jam inclinare in peccatum, nihil autem reſtare, niſi permiſsionem ſuam ut peccarent actu. Sed hoc commentum abſurdum eſt: Nam juxta Cenſorem, Deus prævidere non poterat Adamum in peccatum actu inclinare, niſi præſuppoſita prius ſua permiſsione. *Præſcientia enim Dei ſemper, ut ait, præſupponit actum aliquem divinæ voluntatis, qui ad certam rerum ipſarum futuritionem, tum in mente Dei, tum in rebus ipſis fundandam ſufficiat:* Iuxta Calvinum autem, non ſola permiſsio Dei, ſed etiam *ordinatio, nutus, voluntas* Dei accedere debet. Quare, ſi Cenſor velit, Deum prævidiſſe inclinationem illam in Adamo, neceſſe eſt ut fateatur, id factum vel præſuppoſita jam permiſsione hac, vel alia priore. Si hoc dicat, in infinitum ibit; ſi iſtud, evertet Theſin ſuam, & permiſſionem faciet, non antecedens iſtius præviſæ inclinationis, ſed conſequens, quod contra directam ejus confeſsionem eſt, quam paulo ante fecit. Pergamus.

Deinde, ait Cenſor, *cum uſus potentiæ, quæ ineſt hominis voluntati, ſit actus liberam voluntatem ad unum determinans, inepte ipſi quoque uſui libertas ad oppoſita indifferens attribuitur:* hæc ratio ſane ſpeciem & colorem haberet, niſi conſtaret, quæ ſit mens & ſententia Remonſtrantium, quando

quando dicunt, Permiſsionem veram requirere, vt non tantum potentia voluntatis in ſe, ſed uſus etiam potentiæ liber ſit. Tantum enim id volunt, non ſufficere ad hoc ut quis dicatur vere poſſe non agere, ſive potens eſſe aliter agere, quod poſsit aliter agere, ſi talis aut talis circumſtantia adſit, aut abſit, ſed requiri, ut vel nulla ei adſit aut abſit circumſtantia, cum qua non poſsit conſiſtere ipſum non agere, vel ſaltem, ut habeat in ſua poteſtate omnem talem circumſtantiam, prout libuerit, tollere. Ideoque non ſufficit ad hoc, ut quis jure dicatur liber, & libertari ſuæ permitti, quod voluntate præditus ſit, quæ in ſe potentia libera eſt ad oppoſita, ſed requiritur etiam, ut potentia iſta non ſit impedita ex. g. non ſufficit ad hoc, ut quis in tenebris aut in tenebroſiſsimo carcere, adamantinis vinculis ligatus, conſtrictuſque ſedens, dicatur poſſe videre, legere, currere, quia potentia videndi præditus eſt, qua novit legere, & locomotivam facultatem habet bene conſtitutam. Potentia enim hæc, etiamſi phyſice loquendo, potentia ſit ac maneat libera, moraliter tamen loquendo, non niſi nudum potentiæ nomen eſt, quia uſus potentiæ iſtius impeditus eſt, ac plane fruſtraneus: Quare, ut permiſsio vera ſit, neceſſe eſt, ut non modo potentia in ſe ſit libera, ſed etiam ut potentiæ uſus maneat non impeditus: Atq; hæc res non tantum in actionibus externis ſive imperatis, ſed etiam in actionibus internis & elicitis locum habet. Deinde, propoſitio iſta, quod uſus potentiæ liberæ ſit actus voluntatem liberam determinans ad unum, quamquam communiter eſt recepta, tamen niſi benigno ſenſu intelligatur, non uſque quaque vera eſt; uſus enim potentiæ liberæ, non eſt niſi ipſiſsima libertas actualis, ſive exercitium potentiæ liberæ, ut libera eſt. Quando itaque potentia libera ſe ipſam determinare dicitur ad unum per uſum libertatis ſuæ, ſenſus profecto non eſt eam determinare ſe ipſam per uſum iſtum, tanquam per aliquid habens rationem actus primi, quo fiat, ut ipſa voluntas non maneat in actu primo indifferens; Nihil minus: ſic enim uſus aut actio iſta voluntatis libera actio non eſſet; ſed ſenſus eſt, eam determinare ſe per actum ſuum ſecundum, qui eſt ipſiſsima libertas actualis, ſive exercitium potentiæ liberæ, ut libera eſt: Virtus itaque activa voluntatis completa manet virtus activa completa, in actu primo indifferens, etiam tum cum agit, quia nihil in ea eſt, quatenus virtus activa eſt, quod petat, ut loquuntur, operationem magis quam ejus carentiam, aut quod neceſſario cum actione iſta nectatur. Et hoc ſolo differt potentia libera à neceſſaria. Sed hæc monuiſſe ſufficiat.

Quo ſenſu intelligendum ſit, Permiſsionem veram requirere, ut n ō tantum potētia voluntatis in ſe, ſed uſus etiam pot entiæ liber ſit.

Vſus potentiæ liberæ non proprie nec recte dicitur actus determinans potentiam liberam ad unum.

Alterum quod in deſcriptione permiſſionis Cenſor culpat, eſt, *quod ſit imperfecta, quia ad permiſsionem inobedientiæ Adami & Evæ adaptari quidem poteſt, non autem ad permiſsionem, quæ in corruptis ipſorum poſteris conſpicitur: Nam in ſolis parentibus noſtris ante lapſum potentia voluntatis in ſe libera fuit, &c. In poſteris autem ipſorum, in ſtatu corruptionis verſantibus, nequaquam potentia voluntatis in ſe libera eſt atque indifferens ad oppoſita.* Hæc cenſura idcirco vana eſt, quia Remonſtrantes, cum in declaratione ſua de permiſſione obediendi & non obediendi agunt, ſemper ſupponunt liberam obediendi, & non obediendi potentiam, tam in iis qui obediunt, quam qui non obediunt: non quaſi eam Peccator in ſtatu corruptionis ex ſe habeat, ſed quia eam Deus omnibus, à quibus obedientiam exigit, quæ ſine potentia nova præſtari non poteſt, gratis, liberaliter, & de novo concedit, ita ut qui obediens eſt, idcirco obediens cenſeatur, quia, cum poſſet non obedire, obedit tamen; & contra inobediens idcirco, quia, cum poſſet obedire, tamen non vult obedire. De hac re ex profeſſo agetur ſuo loco. Quare, quæ de hominibus in ſtatu corruptionis naturaliter conſideratis, & de elogiis, quæ Scriptura eis tribuit, Cenſor adfert, ea ſunt vana & impertinentia, prout etiam omnia ſequentia, quæ pertinent ad tertium membrum, quo ambiguitatem deſcriptionis permiſſionis conatur oſtendere. Ratio eſt, quia Remonſtrantes aſſerunt neceſſitatem ſive ſervitutem iſtam peccati, cui homines per naturæ conditionem ſubjecti ſunt, locum non habere ſub ſtatu gratiæ. Nam ſtatuunt vocatis omnibus gratiam ſufficientem à Deo concedi, ita ut poſſint à ſervitute illa liberari, & ſimul manere in iis voluntatis libertatem, ut poſſint eidem ſervituti manere ſubjecti, ſi velint, prout etiam ſuo loco demonſtrabitur. Adde tantum his, quæ jam diximus, Quod deſcriptio permiſſionis, quam Cenſor facit, imperfectione illa ipſa laboret, quam Remonſtrantium deſcriptioni tribuit; Nam neutiquam adaptari poteſt permiſſioni inobedientiæ Adami & Evæ. Eſt enim, uti ait, permiſſio, qua peccatum Peccatori permittitur: At hujuſmodi permiſſio circa Adamum & Evam in ſtatu integritatis locum habere non potuit. Sed quid mirum eſt hoc σφάλμα commiſſum hic eſſe à Cenſore? Vſque adeo hæſitat in deſcriptione permiſſionis, ut alterum non minus leve pene eodem ſpiritu committat. Nam cum pag. 82. dixiſſet, *permiſsionem eſſe antecedens peccati, non cauſſam*, pag. 84. dicit, *permiſsionem Dei & inobedientiam Peccatoris eſſe ſimul tempore, ut ſubjectum & adjunctum. Item, Peccatoris inobedientiam non ſequi proprie*

Potentia obediendi ſupponitur ſemper in omnibus vocatis.

poſt

post Dei permissionem. Quod idem sane est, atque si dixisset, permissionem Dei non esse antecedens peccati. Atque hoc σφάλμα idcirco accuratius notandum est, quod rem totam majoribus multo tenebris involvat. Quis enim mentem Censoris, cum hæc scripsit, penetret, vel si septem penulis involutus conceptiones sudet? Permissio Dei, quæ est actus divinæ voluntatis in Deo immanens, quo vult non operari in voluntate hominis bonum, quomodo intelligibiliter concipi potest esse adjunctum voluntatis peccatoris, tanquam subjecti, quo ille vult malum operari, & adjunctum quod cum illa voluntate peccatoris simul tempore est? Aliud est, actum illum divinæ voluntatis esse conjunctum cum actu voluntatis peccatoris, & sic simul tempore: Aliud illum actum esse adjunctum hujus, ut subjecti: Istud concipi potest: At hoc quis capiat, vel tota philosophia imbutus? Tum, quid hoc ad rem facit, quod permissio Dei & Peccatoris inobedientia simul tempore sint? Id non quæritur: Esto tamen: Quærendum deinde restat, an simul natura sint? & si non, utrum prius, utrum posterius, & sub qua ratione? In hoc scrupulo vertitur rei cardo, id est, Quæritur, An permissio Dei sit cessatio divinæ voluntatis ab operatione, quæ necessaria est ad hoc ut homo possit non peccare, proinde qua cessatione posita impossibile est hominem non peccare: an vero sit cessatio ab operatione, qua hominem jam peccandi voluntate præditum, vel quem Deus voluntate peccandi præditum futurum prævidet, si eum non impediat, impedire non vult, quominus peccet? Istud si dicatur, tum permissio natura prior est inobedientia, & ex ea inobedientia, veluti ex caussa necessaria deficiente fluit: si hoc dicatur, tum permissio supponit liberam peccandi volitionem in homine, & eam sequitur naturæ ordine. Quæcunque aliter de hac re disputantur sub terminis logicis, ea non sunt nisi Scholare fascinum, ad inficiendum oculos imperitiorum. Priore sensu permissionem à Censore intelligi, ex antecedentibus, & natura doctrinæ ejus liquet: Confirmatur vero hoc paragrapho, cum ait, *permissionem esse remissæ & ab operatione cessantis, non autem operantis voluntatis indicium:* Atqui sine operante Dei voluntate, aut potius, sine Dei operatione, impossibile erat Adamo velle bonum operari, ex Censoris hujus perpetua assertione. Permissio itaque, qua Deus Adamum permisit peccare, antecedens fuit peccati caussa, per modum caussæ deficientis sive remissæ & ab operatione cessantis, quod ipsum illud est, quod Remonstrantes argumento suo conclusũ atq; evictum volunt. Hac eadẽ sectione videtur Censor voluisse

Absurda Censoris oratio, Permissionem Dei esse adjunctum voluntatis peccatoris.

luiſſe cenſere ſententiam Remonſtrantium de providentia Dei circa peccata,qua negant Deum ad actiones malas quemquam excitare aut impellere,ſed revera nihil cenſuit;occaſionem tantum captavit,ut invidiam ſententiæ tam nefariæ à Theologis ſuis amoliretur. Atque hoc optime fieri poſſe credidit,ſi primum Clariſs. viri p. m. Arminii verba ex diſput. ejus de *Efficacitate & Iuſtitia Provid. Dei in malo*, huic Cenſuræ ſuæ insereret: *Nam in iis*,inquit, *nonnulla durius dicta inveniuntur, quam in pleriſque noſtrorum Theologorum Scriptis:* Deinde, ſi ſententiam ſuam & Theologorum cæterorum enunciaret in hunc modum; *Tantummodo nobiſcum docent, Deum nec directe, nec indirecte quempiam ad actiones malas incitare.* Sed vehementer fallitur, ſi credat iſta ratione ſatisfeciſſe ſe peritis rerum æſtimatoribus: Nam ſi poſterius hoc cum Theologis ſuis docet, cur itaque non præteriit periodum iſtam Remonſtrantium inanimadverſam,in qua idem prorſus dicitur, Deum videlicet neminem ad actiones malas incitare atque impellere? Sane hoc ipſum cenſere,& poſtea idem totidem, imo pluribus ac ſignificantioribus vocibus dicere,ſuſpectum merito videri debet. Deinde,quorſum quæritur,quid iſtis vocibus ſibi velint Remonſtrantes? Sunt enim voces planæ ſatis ac ſignificantes: *Si*, inquit, *Remonſtrantes hoc eodem modo ac ſenſu negant,qua antea negarunt Deum actiones malas,qua malas,proprie jubere atque imperare,negationem eorum approbamus. Sin intelligant, Deum ſua providentia etiam ſua judicia non exercere, aut exequi, &c.* At,quid hoc eſt, Deum judicia ſua non exercere aut exequi? Quis adeo inſanus eſt,ut verbis hiſce, Deus neminem excitat aut impellit ad malas actiones,iſtum ſenſum contineri credat, Deum judicia ſua non exercere aut exequi,aut ut ſimpliciter negare in animum inducat,Deum judicia ſua exercere & exequi? Dolus hic latet, qui indicandus eſt,(nota autem diſerte hæc verba diſtingui à verbis ſequentibus Arminii,quæ deinde citat,ne quis hæc idem ſignificare putet) Excitationem, impulſionem Dei ad peccata à Providentia Dei excluſam vult, quatenus excitatio & impulſio ſignificant idem,quod proprie dicta juſſio,imperium, approbatio, non vero quatenus excitatio & impulſio ſignificant, vel arcanam Dei motionem, vel talem permiſſionem, quæ arcanæ Dei motioni & proprie dictæ excitationi atque impulſioni æquivalet. Id apparet ex eo, quod Theologos ſuos ſecum docere dicat, Deum nec directe, nec indirecte quemquam ad actiones malas incitare. Nihil enim certius eſt, quam pleroſque eorum Theologos diſertis verbis docere, *Deum homines ad actiones malas*

Fraus Cenſoris multiplex detegitur.

las incitare, velle & facere ut homines peccent; Deum caussam esse peccati Adami; Deum operari tam in piis quam in impiis; Deum homines ad pravas actiones incitare, seducere, trahere, jubere, & quæ peccata sunt gravia efficere; Deum occulte ad peccata impellere, uti ex Beza, Zanchio, Martyre, Piscatore, &c. prolixe probarunt Remonstrantes variis Scriptis & nominatim in Syllabo Testimon. quibus contra-Remonstrantium sententia de Prædestinatione ad oculum exhibetur, pag. 11. & 12. ubi pronunciata varia recensent eorum, qui Deum non obscure vocant autorem peccati, imo, quod paulo ante negavit Censor, *peccata pendere à Dei reprobatione, tanquam effectum à caussa*, quæ Censori huic ignota esse non potuerunt. Ex quo efficitur, Censorem hunc, quando non obstantibus his affirmare audet, Theologos suos docere Deum nec directe nec indirecte quemquam incitare ad peccatum, aut conscientiæ suæ vim fecisse, aut, quod credere malim, verbum *incitandi* juxta priorem distinctionem accipi velle, id est, concedere quidem Deum incitare homines ad peccandum, sed non incitare, ut eos proprie peccare jubeat, aut imperet. Actus enim omnipotentiæ divinæ distinguendos esse ab actibus legislatoriis; hisce prohibet semper peccata, istis secreto homines ad peccatum incitat, vel movendo voluntatem, linguas, & membra eorum ad peccatum, vel non movendo ad contrariam virtutem, unde fiat ut non possint non peccare. Quæ ex Clariss. viri D. Arminii disputatione citat, ea non modo non sunt durius dicta, quam quæ à plerisq; Theologis Calvinistis dicuntur (plerisq; dicit, nō enim ignorat esse non paucos, qui multò durius loquuntur, prout jam ante demonstravimus, inter quos etiam Censorum horum unus censendus est, qui sub Bellarmini nomine sententiam suā vaferrime aperuit in Synopsi purioris Theologiæ Disp. 11. Thes. 27.) sed etiam per se verissima, & divina bonitate, clementia, ac sapientia neutiquam indigna, prout unus horum Censorum fatetur disertis verbis in eadem Synopsi purioris Theol. quam vocat, Disp. 11. Thes. 25. Quid enim obstat, quominus Deo liceat objicere homini occasiones, quæ per se bonæ sunt, & per accidens tamen aptæ natæ ad irritandum hominem ad peccatum, eodem modo quo opes dicuntur irritamenta malorum, si id nullo alio fine faciat, quam ut creaturam suam exploret, an bono constanter adhærere, & à peccando abstinere velit, etiam irritamentis incitata; & creatura ita comparata sit, ut occasionibus istis possit non cedere, & irritamentis istis aurem non præbere? Nihil hic durum, nihil asperum, nihil crudum est: At incitare hominem, etiam insontem ad peccatum,

Doctor Arminius p. m. defenditur à calumnia.

peccatum, vel permittendo, id est, remittendo habenas, quæ ad inclinationem hominis naturalem à malo cohibendã sunt necessariæ (qua phrasi Censor utitur in hoc ipso capite) vel arcano instinctu, aut secreta motione voluntatem hominis moderando, seu determinando ad malum; hoc vero cruditate ipsa crudius, & cum divinæ majestatis summo opprobrio conjunctum est.

Censura sectionis quartæ arena sine calce est. *Cum Remonstrantes ajunt*, inquit, *Deum actiones moraliter per se bonas magis diligere, quam nudas personas, oblique nostros Theologos, & duplici quidem nomine videntur reprehendere. I. Quod doceant Deum quasdam nudas personas ab æterno elegisse ad salutem, absque ullo earum fidei, aut bonorum operum, &c. intuitu. II. Quod statuant Deum personas nudas, id est, vera justitia & sanctitate destitutas gratis justificare:* Vtrumque sane fatentur Remonstrantes scopum suum fuisse. I. Calvinianam Electionem taxare; Calvinianam dico, ne quis forte per Electionem ad salutem intelligat electionem ad gratiam, quæ ad salutem etiam spectat & tendit, sed tamen electio ad salutem proprie non dicitur. II. Taxare eos, qui asserunt Deum justificare impium, quatenus impius adhuc est, id est, antequam adhuc credit, aut fide præditus est, quæ sanctitatis & justitiæ mater est; sive quatenus homo nudus, fide, & sic justitia & sanctitate destitutus est. *Atqui*, inquit Censor, *utraque assertio S. Scripturæ testimoniis nititur*. Contarrium verum esse suis locis demonstrabitur, & ratio manifesta arguit. Nam Electionem quod attinet, Si Electio, de qua testimonia loquuntur, Electionem significat, qualẽ Calvini schola statuit, tum Christi satisfactio supervacanea statuatur necesse est: Electi enim isti reconciliari Deo necesse non habent: Deinde, falsũ esse statuitur istud Apostoli, *sine fide impossibile est Deo placere*, aut Enochum *placuisse Deo:* Quod ad justificationem attinet, si justificat Deus impium, qua talem, tum aut fides justificationem sequatur necesse est, quod tamen negare se professus est Censor præcedens, aut fidelis, qua talis, impius est, aut cum fide impietas potest consistere. Cæterum, quæ hic citantur loca à Censore, ea jam non expendemus, quia Censor ipse fatetur ea alius loci esse, & ea profecto talia sunt, ut contrarium ex iis solide adstruere haud sit difficile: duo tantum notanda breviter hoc in loco veniunt: Primum quod cum Remonstrantes de *Actionibus bonis* loquuntur, Censor ab iis opera bona tantum velit intelligi, quatenus ea à fide distinguuntur: At hoc plane præter mentem Remonstrantium est, qui Fidem in negotio justificationis, & quidem

Electio Calvini tollit Christi meritum.

Deus non justificat impium qua talem.

quatenus

quatenus fides viva eſt, etiam atque imprimis ſub vocabulo *Actionum* comprehenſam volunt. Fides enim, ut recte Confeſſio Auguſtana loquitur, in capite de bonis operibus, eſt *inter bona opera præcipuum*, & *ſummus Dei cultus*, & *virtus quæ alias multas virtutes de ſe parit*: Fidem autem gratiæ opponere, tantundem eſt, atque Apoſtolo in os contradicere, cum diſerte pronunciet. Rom. 4. 16. *Idcirco eſſe per fidem, ut ſit per gratiam.* Notandum deinde eſt, quod cum Remonſtrantes dicant, actiones moraliter per ſe bonas magis Deo placere, quam nudas perſonas, Cenſor, placere iſtud exponat, per placere ad conſequendum vitam æternam, ſic enim concludit, *quapropter falſum eſt, tales perſonas utcunque Deo placere ad conſequendum vitam æternam.* Hoc enim additamentum eſt Cenſoris, & quod plane à mente Remonſtrantium alienum eſt: Nam Remonſtrantes in genere loquuntur de beneplacito divino, quo perſona aliqua Deo vere placet, id eſt, à Deo diligitur amore, ut loquuntur, amicitię, quo illis ut amicis ſuis, ut ſibi ſimilibus benefacere vult, quocunque tandem beneficii genere. Non enim uno modo perſona Deo placet: Tū placere Deo, aliquo modo dici poteſt perſona nuda fide & juſtitia, imo peccatrix & cum Deo ipſo inimicitiam gerens, quatenus Deus à parte ſua ei benefacere vult, & eam beneficiis ſuis in amorem ſui, quantum in ſe eſt, ſtudet inducere; quo ſenſu Deus *mundum diligere* dicitur, & *ex dilectione Filium ſuum unigenitum mundo dediſſe*, ut in eum crederet, & per fidem & obedientiam ſalvaretur, Ioa. 3. 16. imo *dilexiſſe homines, cum adhuc peccatores eſſent*. Rom. 5. 8. & *inimicitias cum Deo gererent*, verſ. 10. quo eodem ſenſu nos jubet *diligere inimicos noſtros*, Matth. 5. 44. At de hoc modo placendi non loquuntur Remonſtrantes, qui enim ſic placet, is diligitur amore, qui dicitur benevolentiæ, non autem amore amicitiæ, ſive complacentiæ proprie dictæ. Et hoc ſignificatum voluerunt Remonſtrantes per vocem diſerte expreſſam in Confeſſione, *utcunque*. Fieri enim poſſe concedunt, ut perſona utcunque Deo placeat, quæ tamen Deo proprie non placeat, imo Deo proprie diſpliceat. Tantum dicunt, quando perſona aliqua proprie Deo placet, rationem dilectionis iſtius non eſſe, quaſi Deus perſonam iſtam abſolute, quatenus hæc aut illa perſona eſt, nominatim gratam ſibi habere velit, & quia eam gratam ſibi habere vult, idcirco actiones etiam perſonæ iſtius gratas ſibi velit habere, prout Calvini Schola aſſerit, ſed rationem dilectionis perſonæ eſſe, quod probitas, fides, vel pietas, qua ex præſcripto Dei & officio ſuo perſona iſta prædita eſt, Deo grata ſit: propter quod autem unum

Placere Deo multis modis dici quis poteſt.

quodque tale eſt, illud magis eſt tale: In contrario res clara eſt. Quando Deus perſonam aliquam odio proprie dicto odit, ratio odii non eſt perſona, qua talis, ſed perſona qua peccatrix aut rebellis eſt. *Atqui*, inquit Cenſor, *hæ perſonæ aut ſunt, ex Remonſtrantium hypotheſi, infideles atque irregenitæ, aut fideles ac regenitæ*: At hæc non eſt ſufficiens collectio, nec immediata diſtributio ex Cenſoris propria ſententia. Quæro enim, Electi qua tales antequam credunt, ſunt ne regeniti aut irregeniti? Si regeniti, ergo ſine fide regeniti, & ſine Fide Electorum actiones placent Deo ad conſequendum vitam æternam: Si irregeniti, ergo irregeniti & irregenitorũ actiones placent Deo, & regeneratione opus non eſt, ut Deo placeas. Sed eſto; diſtributio ſit immediata & ſufficiens, prout revera ſufficiens eſt, ſi per irregenitos & infideles intelligantur contradictorie non regeniti, non credentes Euangelio (quotquot enim ſunt homines, ii aut credunt, aut non credunt Euangelio; Inter contradictoria medium non datur) non autem contrarie, homines Euangelio credere nolentes, ſive rebellantes adverſus divinam vocationem, quæ per Euangelium fit: Etenim inter hujuſmodi fideles & infideles medii dantur, qui nec credere volunt, nec credere nolunt, ſed credere non poſſunt, quia de Euangelio nihil audiverunt. *Quomodo enim credent, de quo non audiverunt?* Rom. 10. 14. Eſto, inquam, hoc ſenſu diſtributio admittatur; quid tum? *At*, inquit Cenſor, *ſi de irregenitis atque infidelibus loquuntur Remonſtrantes, illorum actiones, tametſi quandoque ſint moraliter per ſe bonæ, quoad operis materiam, non tamen bonæ ſunt, ſed malæ quoad formam & finem, ad quem collimant perſonæ: Non enim fiunt ex fide, nec ſecundum normam legis Dei ad ipſius gloriam diriguntur, unde & hujuſmodi perſonæ & actiones earum omnino diſplicent Deo:* At hæc ratio nullius eſt momenti. Nam primo, unde conſtat hanc definitionem eſſe definitionem eſſentialem, ex qua univerſaliter & ſimpliciter omnis omnium actionum bonitas æſtimanda ſit? Solæ actiones præſcriptæ lege vel Euangelio juxta illam definitionem recte cenſentur, & cenſendæ etiam ſunt: At quid cogit actiones omnes moraliter bonas ad eam cenſere? ut actio moraliter bona ſit, ſufficit, ſi rectæ rationi conveniat, id eſt, ſi fiat ex animo, qui virtutis, honeſtatis & probitatis ſtudio revera ducitur, etiamſi legis & Euangelii notitia careat, & à quo excluſum eſt, tum propoſitum faciendi quicquam contra divinæ voluntatis regulam, tum privatæ gloriæ ſtudium: ut enim formaliter includatur, tum propoſitum faciendi tantum id, quod lex divina vel Euangelium jubet, tum ſtudium divinæ gloriæ, tum fides in Chri-

ſtum

ftum, actionis moraliter bonæ natura non poſtulat, uti ex rei natura ſatis liquet: multi enim fuerunt omni ævo, hodieque ſunt, qui de lege & Euangelio ne fando quidem audiverunt, quos tamen moraliter bonos ac virtuoſos eſſe aut fuiſſe nemo facile negaverit. Nec obſtant loca quæ allegat Cenſor; *Quod ſit impoſſibile placere Deo ſine fide*, Heb. 11. 6. Nam iſto in loco Scriptor ad Hebræos non agit de quolibet modo placendi Deo, ſed de iſto tantum modo, quo placuit Enoch, quem Deo in tantum placuiſſe teſtatur, ut Deus eum ad ſe tranſtulerit. Vnde & verba iſta legunt quidam hunc in modum; *Impoſſibile eſt ſine fide Deo placuiſſe*, Enochum ſc. in græco enim eſt aoriſtus primus εὐαρεϛῆσαι, ita ut non ſint verba generalia oſtendentia, qua ratione Deo quiſquam placere ullo modo poſſit: Sed ſpecialia, declarantia qua ratione Enoch placuerit Deo, & quid neceſſario requiratur ad hoc, ut quis Deo placeat, ſicut Enoch aliquando Deo placuit, id eſt, ad hoc, ut quis cum Enocho in cœlum transferatur, & æternum cum Deo vivat: Deinde, nec obſtat locus ex Epiſtola ad Rom. 14. 23. *Quicquid ſit abſque fide peccatum eſt*. Fides enim iſto in loco non ſignificat fidem, quam appellant juſtificantem, ſed tantum certam animi perſuaſionem ſive πληροφορίαν, qua quis non dubitat apud ſe, an id, quod facit vel omittit, facere vel omittere licitum ſit, ſed de alterutro apud animum ſuum eſt perſuaſiſſimus; opponitur itaque non infidelitati, ſed conſcientiæ dubitanti vel hæſitanti de eo, quod agit; non an à Deo mandatum aut vetitum aliquid ſit, ſed an licitum aut permiſſum aliquid ſit. Quæ conſcientia dubia in Fidelibus, vere ſic dictis, aliquando locum habere poteſt: Evincerem argumentis compluribus hujus explicationis veritatem, ſed quia plerique Calviniſtæ eam ipſi agnoſcunt, & antecedentia omnia ad oculum eam demonſtrant, ſuperſedebo: & Coronidis loco id tantum dicam, mirum eſſe, quomodo hoc argumento Cenſor uti auſus fuerit, cum ſciat ſe ſuoſque fateri, perſonas Electorum omnium, quando adhuc infideles atque irregeniti ſunt, Deo placere in ſummo beneplaciti gradu. At ſi loca iſta, quibus probare conatur ſine fide, nec perſonas, nec actiones ullo modo Deo placere poſſe, ſerio allegavit, quomodo non plus quam evertere ſe videt iſtam Theſin ſuam? Sed nos jam alterum membrum videamus, *Sin vero*, inquit, *de fidelibus ac regenitis ipſis ſermo eſt, illos tanquam nudas perſonas conſiderari debere, inficias imus.* Quaſi vero, cum nudas perſonas dicunt Remonſtrantes, intelligant perſonas, quæ nudę revera ſunt, & non perſonas qua nudæ ſunt, ſive quæ nude conſiderantur. Craſſa eſt hæc ignorantia.

rantia. Quæritur enim, cum de Fidelibus agitur, an fides in fidelibus personis, ratio sit, cur personæ istæ, de quibus prædicatur quod sint fideles, Deo placeant ad vitam æternam, an vero nuda personarum istarum Electio ad vitam ratio sit, cur fides personarum istarum Deo placeat? hoc negant Remonstrantes, istud vero affirmant, contrarium tenent Calvini Sectatores. Deinde Censor *inficias se ire dicit, quod Fideles tanquam nudæ personæ considerari debeant, quia per fidem justitia Christi sunt induti.* Quasi vero Remonstrantes adeo fatui sint, ut personas fide præditas, pro nudis personis habendas esse putent, aut fidem inter bonas actiones Euangelio præscriptas, & hominem quasi vestientes non censeant, aut denique bona fidelium opera gratiora esse asserant Deo quam personas, quatenus fide in Christum præditæ, & per fidem justitia Christi indutæ sunt. Nihil alienius à scopo & mente Remonstrantium esse, inde clarissime apparet, quod sic Remonstrantes comparationem non facerent inter personas nudas & actiones bonas personarum, sed inter personas fide præditas, & personas ex fide bona opera facientes, cum diserte comparationem faciant inter personas nudas & earum actiones. At fortasse Censor fideles justitia Christi indutos, sive remissione peccatorum donatos esse vult, antequam credunt, prout Theologos non paucos Calvinistas in terminis asserere demonstrabimus in capite de justificatione, & Censorem hũc, si consequenter loqui velit, asserere debere ex natura rei manifestum est: hoc si ita est, tum vero fatentur Remonstr. speciem quidem habiturum id quod dicit Censor: At tum probationem ejus requirunt. Nihil enim falsius, aut doctrinæ Christianæ magis contrariũ esse credunt, quam istam assertionem; quia scriptura diserte adserit, Christũ à Deo factum esse Fidelibus justitiam, sanctificationem & redemptionem, nos Christi participes non esse, nisi credamus & in fide perseveremus: Christi justitiam nobis non imputari, nisi credentibus & impietati renunciantibus, ac proinde Christi justitiam nostram non esse, nisi quatenus operamur opus Dei, id est, in Christum ex mandato Dei credimus. Quare, quæ hac sectione disputat Censor, ea aut sunt à scopo & re, de qua agitur, aliena, aut, si recte proponantur, falsa & Scripturarum tenori aperte repugnantia: Numquam enim Scriptura quemquam Deo placuisse ad æternam vitam adserit, nisi per fidem, &, quæ fidei conjuncta semper sunt, opera. Hinc per hujusmodi fidem operantem Abrahamum *Dei amicum* appellatum esse dicit Iacobus, cap. 2. Hinc Christus Apostolis suis dicit, Ioa. 15.34. *Vos amici mei eritis, si feceritis*

Iustitiæ Christi imputatio non est prior, sed posterior Fide.

ritis quæcunque mando vobis : & cap. 16. 27. *Ipse pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis me à Deo prodiisse* : Imo, hinc de ipso Christo dicitur, Heb. 1. 9. *Dilexisti justitiam & odio habuisti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo lætitiæ supra consortes tuos* : & Christus de se ipso Ioan. 8. 29. *Non relinquit me solum pater, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Idem etiam evincunt loca Confessionis ad marginem sectionis hujus citata, quæ frustra Censor conatur convellere : In loco Gen. 4. 7. Cum Deus Caino dicit, *Nonne, si bene feceris, erit acceptatio?* non tantum indicat Deus, externam Caini obedientiam, secundum quam æque atque Abel sacrificium obtulerat, Deo gratam fore, si imposterum ex fide & integritate cordis munus suum obtulerit, sed etiam personam ipsam Caini non ante gratam & acceptam fore Deo, sive ut de Enocho dicitur, placituram Deo, quam bene ageret, & tum, si bene ageret, certo placituram esse. Quid enim ad rem fecisset, si Caino persuasum fuisset à Deo, obedientiam ejus externam gratam fore, quando ex fide & integritate munus suum offerret, si interim certum & persuasum etiam Caino voluisset, personam prius Deo placere debere, quam fide & integritate prædita esse possit, imo idcirco fide & integritate aliquem à Deo donari, quia personam ejus ab æterno prius gratam habere vult, uti diserte Calvinistæ affirmant rem se habere, & Abelis exemplo id confirmare solent : Et hæc ratio in cæteris etiam locis militat, ac per se plana est; sed quia de hoc argumento pluribus actum iri dicit Censor in censura capitis undecimi, pluribus etiam hîc de eo agere non est necesse, uti neque de iis, quæ de Davidis & Petri defectione, deque reproborum excæcatione & induratione hic censentur : De istis enim ex professo agitur in cap. 11. & 20. Confessionis Remonstrantium. Hîc tantummodo respondebimus verbulo ad id, quod quærit Censor, ex occasione ejus, quod Remonstrantium declaratio asserit, Deum vere pios ex infirmitate labentes majore patientia & tolerantia ferre solere, quam reliquos; quid respondere possint Remonstrantes *sciscitantibus, cur Deus Spiritum suum S. à Davide viro Dei, & Petro Christi Discipulo ex infirmitate lapsis quam primum abstulerit, adeo ut unico lapsu ex fide ac Dei gratia exciderint ?* Quod Remonstrantes falsum esse affirment, Davidem ex infirmitate adulterium, atque imprimis homicidium istud commisisse, & de Petro, an ex infirmitate lapsus sit, jure meritoque dubitari posse statuant. Videantur rationes quas in contrarium adduxit Richardus Thomsonus diatriba sua de Amissione & intercisione gratiæ & justifica-

Locum Gen. 4. 7. recte citatum esse ostenditur.

ſtificationis. Deinde, quod falſum ſit, eos aſſerere Deum Davidi & Petro Spiritum S. quamprimum abſtuliſſe, niſi per Spiritum S. intelligant Spiritum S. teſtificantem, perſuadentem, adeoque obſignantem cordibus illorum, quod Filii Dei eſſent, & gratia ac favore Dei æterno neutiquam propter peccata illa ſua excidiſſent: hunc enim Spiritum ab illis abſtuliſſe Deum fatentur, quem in iis manſiſſe Contra-Remonſtrantes dicunt, aut ſaltem ut dicant neceſſe eſt, quia fidem, cujus forma eſſentialis eſt fiducia ſpecialis miſericordiæ, in iis manſiſſe volunt: At Deum propterea Spiritum S. ſuum, id eſt, gratiam Spiritus illam omnem, qua denuo excitari & erigi poterant, ac debebant ad reſipiſcentiam, ab iis abſtuliſſe, nuſpiam dicunt, nec ratio ulla, ut id dicant, cogit, etiamſi nihil dubitent aſſerere, Spiritum Dei S. hiſce peccatis eorum vehementer contriſtatum fuiſſe, ac proinde non ea promptitudine ac liberalitate circa eos fuiſſe verſatum, quo antea ſolebat ad eos ab ulterioribus lapſibus retinendos, aut porro in officio continendos, niſi ſpecialem, extraordinariam & nulli uſpiam promiſſam gratiam Deus iis facere voluiſſet, prout in ſequentibus plenius demonſtrabitur: Quare, quod hîc ſciſcitatur Cenſor, id plane alienum eſt ab hoc loco, ubi non niſi de Providentia Dei circa pios ex infirmitate labentes agitur, eaque ordinaria, & in verbo Dei aperte expreſſa.

An & quomodo Deus Davidi & Petro peccantibus Spir. S. abſtulerit.

Sectione VI. Cenſor dicit, *Remonſtrantes πελαγιανίζειν, cum docent Dei Providentiam non tollere arbitrii humani libertatem olim in creatione ſemel datam.* At hoc cum Remonſtrantibus dicunt omnes pene Theologi: omnes igitur πελαγιανίζουσι, exceptis his quatuor illuminatis noviitiis Cenſoribus: Sed & Cenſorem ipſum id dicere, aut dicere neceſſario debere, ſi conſequenter loqui velit, in ſequentibus clarum faciemus. Quod ad cæteros Theologos attinet, Teſtimonia multa non adducam. Vide tantum verba Zachariæ Vrſini, quæ Cenſor ipſe non multo poſt citat pag. 95. *Providentia Dei non tollit, ſed conſervat potius ordinem & modum agendi* (loquitur autem de contingentia & libertate voluntatis) *in cauſſis ſecundis à Deo inſtitutum.* Sed, quod inſtar multorum eſſe poteſt, vide imprimis Diſput. 11. quam in Synopſi purioris, quam vocant, Theologię ſuæ Cenſores hi ipſi exſtare voluerunt, Theſi 11. ubi hæc verba leguntur; *Tantum igitur abeſt, ut operatio divinæ Providentiæ deſtruat libertatem voluntatis creatæ, ut hæc abſque illa prorſus conſiſtere nequeat, &c. Divina enim Providentia non corrumpit naturam, ſed perficit; non tollit, ſed tuetur. Et omnia, quæ creavit, ſic adminiſtrat, ut ipſa*

An Providentia Dei tollat arbitrii humani libertatem.

Zacharias Vrſinus.

Cenſores ipſi in Synopſi ſua negant per Providentiam Dei tolli arbitrii libertatem.

ut ipsa suos etiam exercere & agere proprios motus sinat, August. de Civit. Dei lib. 7. cap. 30. Et Thesi 12. *Ad hanc Dei gubernationem pertinet ἡ διαμονὴ, permansio, quæ etiam opus est divinæ συνεκτικῆς δυνάμεως, quæ omnes res creatas conservat ut supersint & persistant, &* (NB) *in sua naturæ & proprietatum naturalium statu permaneant*: & Thes. 13. *Quas creaturas Deus conservat in natura & proprietatibus suis, easdem etiam pro ratione naturæ uniuscujusque ad agendum movet & applicat, &c.* Quid? an aliud quid habet hæc Remonstrantium periodus? Lac lacti non adeo simile est, quam hæc periodus Remonstrantium istis Vrsini & Censorum horum propriis & *puris*, uti ajunt, *declarationibus* similis est: Quare, id quod ex hac hypothesi necessario colligi affirmat, istis Theologis suis puris non minus imputet, quam Remonstrantibus. Sed nos consequentiam etiam, si placet, expendamus breviter. *Ex hac hypothesi sequitur*, inquit, *necessario, hominis voluntatem in statu corruptionis quoque, pariter liberam esse & indifferentem ad contraria opposita, bonum sc. & malum.* Sequelam hanc ne Censor quidem ipse potest admittere, si consentanee sibi ipsi colligere velit, tantum abest ut necessaria sit. Ratio manifesta est: quia hominem libertatem voluntatis suæ ad bonum, non meritorie tantum, sed & actu ipso veluti vestem à se abjecisse, atque ea seipsum denudasse statuit: Quis autem supposito quod id verum sit, recte colligi dicat, Deus Providentia sua non tollit nec destruit libertatem creatam, ergo homo ipse libertatem istam sua sponte à se non abjecit, seque ipsum ea non privavit? Sed quia fundamentum hujus responsionis, quod Censor ponit, falsum est, non hærebo in ea; dico itaq; *secundo*, Consequentiam hanc laborare ambiguitate: Si enim per libertatem & indifferentiam ad contraria opposita intelligatur innata sive naturalis & essentialis voluntatis proprietas, qua voluntas, positis omnibus ad agendum requisitis, potest velle aut non velle, vel hoc aut illud velle, haud inviti concedent Remonstrantes, eam etiam in statu corruptionis superstitem mansisse. Est enim hæc libertas voluntatis proprietas, quæ sine voluntatis destructione destrui non potest. Si vero per libertatem & indifferentiam intelligatur libertas ad volendum bonum, tam supernaturale, quam naturale, & ad contrarium malum nolendum, sive non volendum, tum falsa est consequentia, quia innata sive naturalis arbitrii libertas, juxta Theologos fere omnes, saltem plerosque Scholasticos, non sufficit ad actus supernaturales eliciendos, sed alia superaddita forma, habitu, & principio supernaturali opus habet, quo elevetur & potens reddatur ad actus supernaturales

Consequentia Censoris expenditur.

rales eliciendos. Hanc itaque libertatem innatam, sive essentialem illam voluntatis libertatem esse negant, & hanc dicunt in statu corruptionis idcirco non mansisse reliquam, quia Deus supernaturali ista gratia, sive libertate hominem propter peccatum suum privavit. Hinc illa communis sententia: *Naturalia corrupta quidem esse sed supernaturalia perdita.* Et hæc res una sufficit ad diluendum notam Pelagianismi, imo sine hac re impossibile est ut diluatur, prout prolixe & solide probat *Ægidius de Coninck* in Tractatibus suis Theologicis. Et ratio manifesta est. Quia, nisi hoc adseratur, alterutrum statuatur necesse est, aut voluntatem hominis per peccatum prorsus exstinctam esse, quia sublatis rerum proprietatibus res ipsas tolli necesse est, aut si voluntas ipsa exstincta non est, tum voluntatem hominis sine essentiali sua & propria quarto modo proprietate vel proprietatis parte, id est, essentiali sua libertate, superstitem post peccatum mansisse, quod utrumque absurditate ipsa absurdius est: Istud, quia quid absurdius, quam per actionem potentiæ liberæ, potentiam ipsam liberam destrui? Hoc, quia quid absurdius, quam essentiam sine essentiali sua proprietate existere? Pergamus.

Naturalia corrupta quidem, sed supernaturalia perdita adserunt Theologi unanimiter.

Præterea dixerant Remonstrantes, *Dei Providentiam cum hominis voluntate sic concurrere, ut tamen bene, nedum male agendi necessitatem ipsi non imponat. Hæc assertio Remonstrantium,* inquit Censor, *nititur duabus falsis hypothesibus. Prima est, Necessitatem bene aut male agendi tollere naturalem sive essentialem voluntatis libertatem. Altera est, si quis necessario, quoad specificationem contrarietatis, aut bene, aut male agat, hujusmodi necessitatem à Providentia Dei ipsi imponi.* Hæc postrema hypothesis non est Remonstrantium, & simpliciter ita prolata, inepta simul atque absurda est. Sed esto. Procedat sensu sano. *Vtriusque,* inquit, *falsitas bonorum ac malorum Angelorum exemplis demonstrari potest. In bonis enim Angelis bene agendi necessitas, quod ad specificationem, concurrit cum naturali atque innata ipsis voluntatis libertate, ex peculiari Dei gratia eos in primo integritatis statu sic conservantis, ut in eo nunc constanter atque immutabiliter permaneant, &c.* Hæc argumentatio multis vitiis laborat, Primum, quia id, quod non usque quaque certum est, pro certo supponit. Nam Angelos bonos nunc necessario bene agere, sive per gratiam sic esse confirmatos, ut non possint non bene agere, nullo solido argumento aut testimonio probari potest. Et variant hac de re Theologorum judicia: Non diffitentur id quiden Remonstrantes: Absit: Quin imo haud inviti subscribunt illorum sententiæ, qui credunt Angelos bonos jam frui

Exemplũ Angelorum bonorum, & quę ei superstruitur cõsequentia examinatur.

beata

beata illa Dei visione, qua fit, ut non possint non amare Deum, & velle quod ipsi gratum est, non ex vi absolutæ electionis, ut Censor cum suis credit, sed in præmium obedientiæ ipsorum, quam cæteri Angeli mali præstare Deo suo recusarunt, qui idcirco à Deo reprobati, & catenis caliginis æternæ adstricti fuerunt. Sed huic suæ sententiæ vel opinioni, tanquam certo & indubitato axiomati, fidere se, & probationes superstrui posse negant. Deinde contradictionem in adjecto habet; Nam necessitatem bene agendi in Angelis naturalem seu essentialem voluntatis libertatem non tollere probat, & tamen indifferentiam voluntatis Angelorum ad utrumque oppositum, quæ naturalis & essentialis Angelorum voluntatis libertas fuit, per necessitatem gratiæ supervenientis sublatam esse concedit. Deniq; laborat ignoratione elenchi. Nam probat necessitatem, quæ opponitur libertati contradictionis, non tollere libertatem quoad specificationem sive libertatem contrarietatis: At hoc non erat probandum: Quis enim de ea re vel dubitet? Tantum quæritur, an necessitas bene & male agendi possit consistere cum libertate bene aut male agendi, id est, ut thesin ad hypothesin deducam, quæritur, an, quando Deus concurrit cum voluntate hominis, cui prescribit & mandat bonum velle & malum vitare, tali actu providentiæ suæ cum ea concurrat, quo fiat ut homo non possit non velle bonum, & malum vitare ac nolle, id est, an sic cum voluntate concurrat actione sua, ut in ea operetur, vel ei imponat necessitatem, quæ opponitur libertati contradictionis. Hoc negant Remonstrantes: Hæc enim sunt per se ἀσύστατα, & cum sapientia divina conciliari neutiquam possunt. Nec refert quod dicit Censor, indifferentiæ ablationem non esse libertatis voluntatis destructionem, sed perfectionem: Nam nec hoc quæritur; sed tantum quæritur, an illa ipsa voluntatis, ut ita dicam, perfectio ratio non sit destructio libertatis istius, quæ necessaria est in eo, cui Deus legem dat sub promisso præmii & comminatione supplicii? Hoc affirmant Remonstr. Multo minus refert, quod dicit Censor, *manere nihilominus libertatem quoad specificationem.* Nam cum Deus homini legem dat, tum sane ei non modo jubet, ut ita dicam, recte uti libertate, quę contrarietatis dicitur, sed & jubet recte uti libertate, quæ contradictionis dicitur, id est, non tantum ei jubet hoc aut illud bonum velle, sed & simpliciter mandat bonum velle, malum fugere, si præmium consequi & pœnā vult effugere. Quare, ubi talis agendi ratio locum habet, ibi supponitur libertas contradictionis in eo, circa quem adhibetur ista agendi ratio: Eam

Contradictio Censoris.

autem libertatem tollit, quisquis homini isti bene aut male agendi necessitatem imponit, etiamsi eidem relinquat libertatem contrarietatis, id est, libertatem agendi hoc aut illud bonum, vel hoc aut illud malum, prout ratio manifesta arguit.

Censura sectionis VII. nil nisi molestus coccysmus est, unde jam aures tinniunt *Et cytharædus*

Ridetur chorda, qui semper oberrat eadem.

Theologi nostri, inquit, *longe alio sensu vocant decretum efficax & absolutum, quam Remonstrantes. His enim attributis nostri Theologi docent, Dei voluntatem esse omni caussa superiorem, nec ab ulla caussa antecedente pendere, eamque ita esse efficacem, ut quicquid Deus ab æterno aut efficere aut permittere decrevit, illud quoque in tempore revera efficiat, aut ab aliis fieri permittat.* At hoc ipsum est obscurum per æque obscurum exponere, imo in re clara obscuritatem affectare, ut non intelligaris: Quid enim est voluntatem Dei esse omni caussa superiorem, nec ab ulla caussa antecedente pendere? An est, voluntatem Dei esse superiorem caussam omni alia caussa ita ut prima & suprema caussa sit eorũ omnium, quæ à caussis inferioribus fiunt? An est voluntatem Dei superiorem esse, id est, excellentiorem & digniorem, quæ ab alia caussa antecedente non dependet, uti cæteræ omnes caussæ ab ea in efficiendo dependent? Si hoc, quid id ad rem facit, de qua hic agitur? Si istud, quid apertius tum, quam voluntatem Dei non modo esse caussam, sed etiam primam caussam esse, à qua actiones omnium hominum malæ simul ac bonæ dependent, veluti à caussa independente ab omni alia caussa antecedente? hoc posterius velle Censorem, colligi haud difficulter potest ex eo quod sequitur, cum ait, *Eamque Dei voluntatem ita esse efficacem, ut quicquid Deus ab æterno aut efficere aut permittere decrevit, illud quoque in tempore revera efficiat, aut ab aliis fieri permittat.* Nam, ut jam de eo, quod dicit, *Deum decrevisse ab æterno efficere*, nil dicamus, (qua ratione enim sic Dei voluntas efficax dicatur à Theologis istis facile capi potest, quamquam, cum id explicant, ita sæpe etiam loquuntur, ut, quid sibi velint, intelligi non possit) Istud quod dicit, Deum decrevisse permittere peccata ab aliis fieri, alterutrum significet necesse est: Aut Deum decrevisse permittere ea ab aliis fieri, supposita primum voluntate faciendi in iis, quibus ea permittere decrevit, aut nondum supposita ista voluntate, quippe quæ in se est & manet libera & indifferens. Decretum hoc permittendi factum non dicet Censor, supposita primum voluntate faciendi in iis, quibus permitti à Deo pecca-

Quid sit, voluntatem Dei esse omni caussa superiorem.

Quo sensu intelligendum sit quod Censor dicit, Deũ permittere decrevisse, ut peccata ab aliis fiant.

peccatum dicitur, quia sic decretum hoc divinum non esset absolutum decretum, id est, non esset prius, nec superius, nec independens ab omni alia caussa, quia dependeret saltem ab ista voluntate ut præscita & prævisa. Secundum itaque dicat necesse est. At quomodo tum est efficax voluntas? Nam si decretum permittendi non supponit voluntatem, sed eam prorsus liberam & indifferentem relinquit, nulla ratio efficaciæ in decreto isto permittendi apparet. Quare, ut permissio sit & dicatur efficax, necesse est ut sit vel virtutis & efficaciæ proprie dictæ influxio sive impressio in voluntatem eorum, quibus peccare permittitur, vel virtutis istius, sine qua fieri non potest contrarium ejus, quod permittitur, sive remissio, sive subtractio: Vtrum horum dixerit Censor, perinde est. Semper enim eo redibit res, ut decretum Dei sit & dicatur efficax per modum caussæ vel efficientis vel deficientis. Atque hoc sensu Remonstrantes dicunt, à Theologis istis decretum Dei vocari absolutum & efficax. Quocirca, cum Censor eos Theologorum suorum dogma de absoluto & efficace Dei decreto, in sensum à mente eorum prorsus alienum data opera detorquere dicit, injuriam eis facit atrocissimam: Nimis nota, nimis clara est Theologorum istorum sententia, quam ut eam calumniari, vel detorquere aut possint aut velint, quicquid eam nuperi hi Doctores locutionibus affectatis veluti tenebris involvere, & tanquam sanam doctrinam Imperitioribus obtrudere conentur. Dicta eorum id probant, *Peccata hominum pendere à Dei voluntate antecedente absoluta, & irresistibiliter efficace; Deum ad peccata, quæ palam prohibet, occulta ratione homines impellere; Decreti divini vi effici, quicquid sit à Creaturis; omnia peccata necessario fieri vi divini decreti; voluntatem Dei efficaciter in omnibus operari, disponere atque efficere omnia. Adamum non potuisse nolle peccare, ex vi decreti divini: Quicunque peccant vel bene agunt, eos, respectu decreti divini, non posse non peccare aut bene agere: omnia quæcunque fiunt, ac proinde atrocissima quoque scelera, fieri ex decreto Dei: Peccata à Dei prædestinatione pendere, tanquam effecta à caussa: Deum procurare quoque sacrilegã nominis sui blasphemiam, aliaq; horrenda.* Quę ex Vrsino citat, ea, etiamsi nude sic prolata admitti possint, tamen, si ad hypothesin sententiæ ejus propius paulum accommodentur, eodem prorsus recidere comperientur; quamquam, cum dicit, ea, quæ providentia divina fiunt, necessario quidem fieri, sed necessitate tantum ea, quæ ex hypothesi est, sive consequentiæ, non autem simplici sive absoluta, dicit id, quod non modo directe repugnat locutionibus Theologorum cæterorum, qui omnia à Providentia Dei,

Vide Syllabū Testimoniorum subjunctum declarationi sententiæ Remonst. circa I. de Prædestinatione Articulum.

ſive à voluntate Dei antecedente abſoluta, & irreſiſtibiliter efficace (verba eorum propria ſunt) pendere, *Reprobos neceſſitate peccandi eoque & pereundi ex Dei ordinatione conſtringi, atque ita conſtringi, ut nequeāt non peccare & perire, &c.* & ſic neceſſitate, non conſequentiæ tantum, ſed conſequentis, etiam neceſſario omnia peccata fieri pronunciant, ſed etiam, quod aperte falſum eſſe crediderit neceſſe eſt, ſi conſequenter principiis eorum loqui voluiſſet, quibuſcum ſe ſentire profitebatur. Nec ſatis eſt, quod de ſuo adjungit Cenſor, *homines ad res efficiendas ſecundum facultatem ſibi à Deo inſitam moveri, Deumque eorum voluntatem non cogere, neque contra ejus naturam per eam aut cum ea quicquam operari*: Quid enim hoc ad rem facit, quod Deus hominem ad peccatum non cogat, ſi ſic interim in illo, aut circa illum agat & operetur, ut homo non poſſit non peccare, etiamſi operatio illa non fiat niſi ſecundum facultatem hominis à Deo ipſi inditam? Nam hoc ipſum, videlicet, non poſſe non peccare, quod ex vel ad operationem iſtam divinam neceſſario ſequitur, Deum authorem & cauſſam operis ſive peccati iſtius facit, & hominem à culpa & reatu peccati abſolvit. Sic, ſi Deus voluntatem hominis neceſſitat aut determinat mediante intellectus judicio practico, uti quidam (& nuper *Johannes Camero*) voluntatem noſtram à Deo determinari volunt, ſane ſecundum facultatem à Deo homini inſitam, Deus voluntatem hominis moveret, & tamen volitionis iſtius cauſſa eſſet ſolus Deus, quia judicium iſtud practicum voluntatem neceſſario poſt ſe trahens ſive determinans non habere in poteſtate hominis non fuiſſet, imo non habuiſſet iſtud homo niſi à ſolo Deo ſuggerente: Quare, cum dicit Cenſor, *Actum providentiæ divinæ cum voluntate hominum concurrentis eſſe internum & occultum*, nihil dicit. Sive enim ſit internus, ſive externus, ſive occultus, ſive manifeſtus actus, quid hoc ad rem facit? Neceſſitas ſola peccandi, ex actu illo divino, vel ad actum illum divinum ſequens in voluntate hominis ſufficit ad concluſionem hanc faciendam; Eos, qui neceſſitatem ejuſmodi ſtatuunt, aſſerere, Omnia quæ ab hominibus fiunt in tempore, ſeu bona, ſeu mala, fataliter ſeu incontingenter evenire, Deumque providentia ſua præciſam atque abſolutam neceſſitatem peccandi hominibus imponere: Neceſſitas enim eſt neceſſitas, ſive cauſſa ejus ſit externa, ſive interna, ſive occulta, ſive manifeſta. Et quid refert an quis externa vi, an interna operatione, vel ceſſatione ab operando peccet ac pereat, ſi peccare eum ac perire neceſſe eſt? Adde, quod neceſſitatio hæc, quanto eſt occultior & ſecretior, tanto

Diluitur Cenſoris frivola exceptio, quod Deus nō cogat voluntatem, neque contra naturam ejus in ea aut per eam operetur.

Diluitur altera exceptio, Actum Providentiæ divinæ eſſe internum & occultum.

tanto ſit pejor, turpior, & Deo opt. max. indignior.

Sectionis VIII. & ultimæ cenſura futilis eſt; *Falſo*, inquit, *Remonſtrantes Stoicis, Manichæis, ac Prædeſtinatis unam eandemque ſententiam de fatali neceſſitate attribuunt.* At falſo Cenſor Remonſtrantibus tribuit, quod iſtis omnibus unam eandemque ſententiam tribuant de fatali neceſſitate. Fatalem ac ferream neceſſitatem per ſententias eorum pariter ſtatui atque adſtrui dicunt, at ſententias eorum de neceſſitate, neceſſitatiſque illius cauſſis prorſus convenire idcirco non dicunt: Nimis craſſa iſta foret ignorantia. Interim de Stoicis quæ dixerunt, ea non niſi ex communi & paſſiva ſententia dicta volunt: Sunt enim qui *Stoicis* longe aliam ſententiam tribuunt non ſine magna probabilitatis ſpecie: Certe ſi ſcripta *Senecæ* & *Epicteti*, quos Stoicos fuiſſe conſtat, videantur, longe aliter de Stoicis ſtatuendum eſſe videtur, quam recepta hactenus ſententia fert. Sed Remonſtrantes communem opinionem ſecuti ſunt. De *Manichæis* certum eſt, eos ſtatuiſſe fato omnia, id eſt, neceſſario evenire: Sed neceſſitatis illius cauſſas à duobus diverſis principiis derivaſſe. *Prædeſtinatos* quod attinet, an ii in rerum natura unquam fuerint non contendere volunt cum quoquam mortalium. Res tanti non eſt: quamquam cauſſa nulla ſatis gravis eſt, cur de eo dubitetur. Nam, præter Sigebertum, non tantum Proſper, Tyro Aquitanus inter Patres eorum meminerunt in Chronico à Pythæo edito, quod pro ſuſpecto habet Cenſor; Sed & Arnobius, vel quiſquis alius Author fuit eorum commentariorum in Pſalmos, qui Arnobio tribuuntur, Pſal. 146. & Fauſtus lib. 2. de lib. Arbit. cap. 14. & 16. & Remigius Lugd. in libro contra tres Epiſtolas trium Epiſcoporum Galliæ, & Hincmarus Rhemenſis in libro manuſcripto adverſus Prædeſtinatianos. Hos omnes voluiſſe ſub conficto nomine *Prædeſtinatorum* ſugillare ſententiam Auguſtini de Prædeſtinatione, dicit quidem ſe credere Cenſor, ſed ſine ulla probatione. Tam facile id rejici poteſt, quam dicitur. Sane, ſi nomen iſtud confinxerunt, tum valde veriſimile eſt, eos, id faciendo non ſugillare voluiſſe ſententiam Auguſtini, ſed eam genuinis ſuis coloribus exprimere ac depingere. Nec enim ignotum eſſe poteſt, iſtis ipſis conſequentiis Auguſtini ſententiam olim pæne ob omnibus ejus adverſariis gravatam fuiſſe, uti ſatis clare id videre eſt in Epiſtola Proſperi ad Auguſtinum, cum ait, *Hæc ſententia & lapſis curam reſurgendi adimit, & ſanctis occaſionem torporis adfert, eo quod in utramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare, neque electus ulla negligentia poſſit excidere*

An ſententia Stoicorum, Manichæorum & Prædeſtinatorum una eademque fuiſſe dicatur à Remõſtrantibus.

De Prædeſtinatis aut Prædeſtinatianis, qui vocantur

Vide Epiſtolam Proſperi ad Auguſtinũ.

excidere: Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quam Deus definivit accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc Prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem, aut diversarum naturarum dici Dominum Conditorem, si nemo possit aliud esse quam factus est. Ovum ovo non est tam simile, quam hæc sententia Augustini sententiæ Prædestinatorum, sive eos in rerum natura fuisse, sive nomen eorum confictum tantum fuisse credatur. Nec movere quemquam debet quod Censor hic declarat, *se, suosque doctrinam istam, quæ Prædestinatis adscribitur, toto pectore execrari, eosque habere pro impudentissimis calumniatoribus ac Sycophantis, qui vel hæreseos istius blasphemias, vel Stoicorum & Manichæorum portentosa deliria iis pari impudentia affingere non verecundantur.* Nam certum est eos, quando ita loquuntur, non execrari doctrinam istam Prædestinatorum, sed verba tantum, quibus doctrinam istam expressit Sigebertus, quibus sensum, quem hæreticum esse dicent, adfingere etiam salva principali sententia Prædestinatorum, iis haud est difficile. Possunt enim verba ista hunc sensum habere, ac si ii, qui ad mortem sunt prædestinati vel reprobati absoluta voluntate Dei, nihilominus pie possint vivere, &, qui ad vitam sunt prædestinati eadem absoluta voluntate, possint improbe vivere. Istum autem sensum rejicere & execrari videri volunt, quamquam Calvinus aliique fatentur, & experientia non raro testatum facit, eos, quos vocant, Reprobos, eousque aliquando à Deo illustrari & excitari ad bene agendum, ut inter eos & electos, quod ad vitam eorum attinet, discrimen nullum appareat, ipsique adeo sibi persuadeant se electos esse. At nemo tam iniquus rerum æstimator reperietur, qui, si verba ista *Sigeberti de Prædestinatis* videat, non crediturus sit ea hunc sensum habere posse, adeoque revera habere: Fieri nullo modo posse, ut, qui ad mortem prædestinati sunt, evadant mortem & damnationem, etiamsi contingeret eos pie vivere, & bonis operibus operam dare; Et contra, fieri non posse, ut, qui ad vitam sunt prædestinati, in damnationem incidant, etiamsi contingeret eos impie vivere: Ita ut sensus sit hypotheticus, licet verba categorice prolata sint. Quod si sensum hunc nihilominus execrari se dicit Censor, tum sane necesse est ut execretur *Augustini Marlorati* expositionem Ecclesiasticam, quæ vocatur in Ioh. 15. cap. v. 11. Vbi hic ipse sensus, ut sensus Ecclesiasticus & firmiter tenendus,

Hypocrisis Censoris detegitur, cum sententiam Prædestinatorum se toto pectore execrari dicit.

Augustinus Marloratus in expositione Ecclesiastica sua sententiā

tenēdus, totidem pene verbis legitur hunc in modum; *Stat igitur firma sententia. Quęcunque Deus ante conditum orbem elegerit, eum non posse perire, quem vero rejecerit, eum non posse salvari, etiamsi omnia Sanctorum opera fecerit; usque adeo irretractibilis est sententia.* Prædestinatorum sententiam Ecclesiæ esse & firmiter tenendam asserit.

EXAMEN CENSVRÆ CAPITIS VII.

De peccato & miseria hominis.

SEctione I. hujus capitis censentur Remonstrantes quod dicant, *Opus Providentiæ, de quo superiori capite egerant, sequutum est opus gratiæ & misericordiæ, cui occasionem dedit peccatum; cum tamen Sect.* 4. *capitis superioris jam distinxerint in opere Providentiæ curam Dei circa pios & impios, longanimitatem & tolerantiam Dei erga eos, in quibus profundius est radicatus habitus peccati, item gratiæ auxilia, Spiritus S. dona, &c. Quomodo,* inquit, *opus Providentiæ secutum est opus gratiæ, cum providentiæ ista descriptio supponat peccatum, & cum opus gratiæ sit præcipuum salutis medium. salutis autem media sint opera Providentiæ? Potius debuißent* (inquit) *dicere, illud opus divinæ bonitatis, scilicet, Providentiam includere omnia opera gratiæ & misericordiæ, illud præcipue, quod nobis exhibuit in Christo.* Atqui hoc dicunt, mi Censor, totidem verbis. Vbi es? Pudet profecto tam ingentis oscitantię, quam in limine hujus capitis statim prodis: Videatur tantum initium capitis præcedentis, & res patebit. *Creationem,* inquit Declaratio, *excipit immediate actualis Dei providentia, quæ* (NB) *interim se extendit etiam ad opus Redemtionis, ad omniaque tum sæcula, tum opera, & res quæ in mundo sunt aut fiunt.* Qui hoc dicunt, an non aperte dicunt Providentiam includere omnia opera gratiæ & misericordiæ, illud præcipue, quod nobis Deus exhibuit in Christo? Vox, *Redemtionis* id arguit, & voces, *omnia sæcula, omnia opera, & res, quæ in mundo fiunt:* Opus tamen gratiæ secutum cum dicunt opus Providentiæ, nihil aliud voluerunt, quam Providentiam immediate adhæsisse Creationi rerum & circa res creatas versatam esse variis actibus, antequam opus gratiæ, id est, opus redemtionis, quæ nova quædam creatio in Scripturis dicitur, & ad Providentiam proprie non spectat, perageretur, etiamsi deinde, opere isto peracto, ad illud etiam extensa fuerit. Vix credo Censorem hunc præ censendi aviditate Magna Censoris oscitantia ostenditur.

aviditate recordatum fuisse ejus, quod præcedente capite declaraverant Remonstrantes. Tantum potest inconsideratus Zelus, & malevoli animi impetus.

Quæ sectione II. continetur Censura, ea adeo frigida est, ut tussim Lectori cieat: *Dicunt*, inquit, *Remonstrantes, Deum dedisse primo homini legem de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali: at non explicant, an præter illam legem, non alia eorum mentibus insculpta fuerit lex naturalis, cujus adhuc rudera in corruptis posteris remaneant.* Immane crimen profecto! At nec Scriptura id explicat eo in loco, ubi ejus rei sedes est, & unde hanc declarationem suam mutuati sunt Remonstrantes. Quid? an hoc explicari necesse erat? Cur itaque non explicatum id fuit eo in loco, ubi de creatione hominis & legislatione diserte historia descripta est? Deinde, An uspiam legem talem mentibus primorum Parentum insculptam fuisse negant Remonstrantes? an diffitentur uspiam ejus rudera remansisse in posteris eorum? Qui possunt? Nimis omnibus nota est hæc veritas, quam ut eam negent. Sed &, quomodo id ab iis in dubium trahi, suspicari potuit Censor? Nam Remonstrantes pro Pelagianis habet, quos statuere passim affirmat, omnia, quæ in primo statu homini à Deo fuerunt concessa, reliqua in eo mansisse: Reliqua autem mansisse dicunt pene omnia, quæ per gratiam restitui docent Theologi. *At Socinus utrumque negat*, inquit. Esto, Ergo idem negant Remonstrantes. Quæ ratio? Sed & falsissimum est, id negare Socinum, & qui cum eo sentiunt. Vbi frons tua, o Censor? Vin id probem? Socinum inter Pelagianos etiam censes: Socinus rectam rationem natura homini inesse affirmat, eidemque recti pravique notitiam passim innatam, & non corruptam per peccatum originis contendit: Smalcius etiam contra Francium leges morales, naturæ, & civiles, ad legem Christi temperandas aperte docet, pag. 393. Naturæ legem itaque agnoscit.

Quæ Lex primo homini à Deo fuerit data.

Alterum quod censet, est: *Remonstrantes præpostere locutos esse, cum dixerunt, legem primo homini datam fuisse sub pœna mortis æternæ & variarum miseriarum: Nam variæ istæ miseriæ, vel sunt æternæ, vel temporales. Si æternæ, mortis æternæ nomine continentur.* Esto, *Si temporales, debuerunt eas morti æternæ præponere.* Quis non tussiat ad tam frigidam censuram? Catarrhum sentio mihi fluere, & piget respondere. Eodem jure censebitur quis, si dicat Peccatum mereri mortem æternam & temporalem: Nam temporalis mors præcedit mortem æternam. Vah! quam pueriliter. Sed abeamus hinc, ne frigida

Ridicula Censura.

gida hæc cenſura nos ſuffocet. Quæ ſequitur majoris momenti eſt.

Ajunt, inquit, *legem de non comedendo fructu vetito Adamum eſſe tranſgreſſum, non ſpontanea tantum, ſed prorſus libera voluntate: Id negari non debet, ſed de libertate voluntatis in quo conſiſtat, quæſtio eſt.* Ita eſt. Hic rei cardo vertitur, operæ pretium eſt expendere, quę ad hanc rem pertinent. *Si voluntatem liberam,* inquit, *intelligant eam, quæ agit ἐκ προαιρέσεως, ex deliberatione, & poſt judicium rationis practicæ, nos etiam dicimus, non tantum ſpontanea ſed & libera voluntate peccaſſe Adamum & Evam, & habuiſſe utrumque indifferentiam judicii, &c. quæ ad liberum arbitrium ſufficit.* Libertas itaque voluntatis, juxta Cenſorem hunc, in eo formaliter conſiſtit, quod voluntas poſſit eligere aut ſequi id omne, quod ratio conſultatione conducibilius judicatura eſt, id eſt, voluntas idcirco libera eſt, quia eam judicii indifferentia præcedit, & tum libere agit, quando ſequitur judicium rationis practicæ, quomodocumque tandem agat. Quid hic dicemus? De definitione libertatis quæritur. Si cuique pro arbitrio ſuo rem definire licet, nunquam finis erit. Cenſor hic definit libertatē voluntatis ſine ulla probatione aut ratione, quod id ita fieri neceſſe ſit. Quæ res idcirco videri debet indignior, quod definitionem hanc faciat contra communem & paſſivam pæne omnium tum Philoſophorum, tum vetuſtiſſimorum & recentium Theologorum definitionem, ſecutus cum Iohanne Camerone nuperos quoſdam eoſque paucos admodum Theologos, inter quos Bellarminus principem locum tenet, qui voluntatem à judicio rationis practico determinari affirmant. Quod tamen non ita volumus accipi, quaſi vitio ipſi verti debeat, quod non ſequatur communem & receptam ſententiam. Nihil minus: Sed quod, cum Cenſorem agere velit, cenſuræ ſuæ rationem non addat ea in re, in qua controverſiæ totius cardo vertitur, & in qua ſe diſſentire ſcit à pleriſque tum Philoſophis tum Theologis. Cenſor dictator non eſt; rationes allegandæ fuerant, unde cenſuræ ipſius juſtitia & æquitas patere poterat. Sed quicquid hac de re ſit, nos definitionem hanc Cenſoris ſine præjudicio paulo propius expendamus. Si indifferentia judicii ad liberum arbitrium ſufficit, tum libertas voluntatis non eſt niſi extrinſeca quædam denominatio, quæ voluntati ab indifferentia iſta judicii tribuitur, quatenus ſcilicet voluntas indifferenter ſe habet ad hoc aut illud judicium rationis ſequendum, eundem plane ad modum, quo appetitus indifferens eſt & indifferenter ſe habet, ad ſequendum hoc vel illud objectum, quod à ſenſibus offertur: quo oculus indifferens eſt ad hunc vel illum

Status Quæſtionis de libertate volūtatis accuratius expenditur.

colorem recipiendum, quo locomotiva indifferens eſt ad movendum ſe prorſum,retrorſum,ſurſum,deorſum,dextrorſum, ſiniſtrorſum, ad præſcriptum & imperium voluntatis. Conſequentia per ſe manifeſta eſt, Intellectus enim,in quo judicium eſt,eſt voluntati extrinſecus: Indifferentia itaque judicii etiam extrinſeca eſt voluntati: voluntas itaque,ſi ab iſta indifferentia judicii indifferens ſive libera eſt, non niſi per denominationem ab extrinſecæ facultatis proprietate deſumtam, indifferens eſt. At hoc abſurdum eſſe Britanni Theologi optime adnotarunt in explicatione articuli quarti de operatione gratiæ, quam actis ſuis Synodalibus inſeruerunt Contra-Remonſtr. & rationes multæ evincunt. Nam I. Sic libertas ſeu indifferentia non erit proprietas voluntati à Deo impreſſa; Nam denominatio extrinſeca proprietas dici non poteſt. At libertatem proprietatem voluntati peculiarem eſſe concedit Cenſor. II. Etiamſi omnino libertatem proprietatem eſſe concederetur, tamen libertas & indifferentia iſta voluntatis non eſſet niſi indifferentia paſſiva, qualis eſt intellectus ipſius in ordine ad hæc vel illa objecta. Nam, ſicut intellectus pati aut recipere poteſt indifferenter hujus aut illius objecti propoſitionem, ad propoſitionem a. illam, & de propoſito objecto judicium non niſi pure pute paſſive ſe habet (nam alioquin libertas affectio intellectus foret)ita voluntas etiam iſto ſenſu libera dicta, indifferenter poſſe affici dicetur & moveri ab hoc aut illo judicio rationis: at vero in ordine ad judicium rationis practicum, non niſi pure pute paſſive ab eo afficietur & movebitur: Vnde conſequitur III. ratio: Sic libera volitio in ordine ad judicium rationis plane neceſſaria erit, ſaltem non minus neceſſaria quam appetitus ſenſitivus neceſſarius eſt in ordine ad ſenſuum dictamen, quod non poteſt non ſequi. Hoc a. quam ſit non modo falſum, ſed & periculoſum, ex his rationibus liquet. I. Sic voluntati non magis poteſt ferri Lex pœnæ comminatione ſancita, quã appetitui ſenſitivo. Nec enim ratio veriſimilis dari poteſt, cur par utrobique ratio non militet: ubi par neceſſitas,ibi par ratio eſt. II. Sic,ſi quod eſſe poterit peccatum,illud prius, imo tantum erit in intellectu, ſeu in judicio,non a. in voluntate. III. Sic nullum peccatum contra conſcientiam dari poterit. IV. Sic nulla in voluntatem hominis operatio immediata neceſſaria erit, quando Deus converſionem hominis operatur: Iudicii reformatio ſufficiet, quia iſtam neceſſario ſequetur voluntas. V. Sic nulla corruptio immediate in voluntate facta dici poterit, ſaltem ut facta dicatur neceſſe non erit. VI. Sic voluntatem in omni

Abſurda complura & palpabilia, quæ ex iſta opinione fluunt.

omni ſtatu, eodem modo & pari libertatis gradu, liberam eſſe & manere dicatur oportet, quod tamen Cenſorem non admiſſurum certum eſt. Rationis hujus tertiæ conſequentiam & momentum videtur ſenſiſſe hic Cenſor, atq; idcirco præoccupatione aliqua vim ejus enervare ſtuduiſſe. *Excludit*, a. inquit, *talis libertas abſolutã neceſſitatem & naturalem, non a. omnem omnino neceſſitatem, ſaltem ex hypotheſi.* At fruſtra fuit, quin imo vim ejus hac præoccupatione ſua adſtruxit. Fatetur enim electionem voluntatis, quam liberam eſſe dicit, neceſſariam etiam eſſe, idque neceſſitate antecedente, quam ex hypotheſi vocat. Hoc ſatis eſt, neceſſitas enim antecedens non habet gradus, in indiviſibili conſiſtit. Quicquid antecedenter neceſſarium eſt, id uno tantum modo neceſſarium eſt, hoc eſt, id nec eſſe aliter poteſt; Quod vero neceſſitatem illam negat eſſe neceſſitatem abſolutam & naturalem, id non niſi σοφὸν φάρμακον eſt. Senſus enim eſt, voluntatem abſolute, & in natura ſua conſideratam, indifferenter ſe habere ad ſequendum hoc vel illud judicium rationis; Imo voluntatem neceſſario & ex natura ſua manere indifferentem, quamdiu manet iſta indifferentia judicii. At ex hypotheſi judicii rationis ſive conſultationis eam neceſſario neceſſitate conſequentis judicium iſtud ſequi, id eſt, ita affici à judicio iſto, ut non magis poſſit non velle quod illud dictat, quam appetitus ſenſitivus poteſt non velle, quod ſenſus dictant. At hoc eſt illud ipſũ, quod tertia noſtra ratio ex hac ſententia Cenſores ſequi docet, & quod magnas & multiplices iſtas, aliaſque plures multo abſurditates poſt ſe trahit. Quarto ſi indifferentia judicii ſufficit ad liberum arbitriũ, tum voluntas non poterit. I. Ex duobus æqualibus bonis unũ eligere: quia judicium de æquali eſt indifferens. II. Quando judicium rationis unũ alteri prætulerit, non poterit minus bonum eligere: Non enim eſt indifferens, niſi poſita judicii indifferentia; At ea tũ ceſſat, quando unũ bonũ alteri prælatũ, aut altero melius judicatũ eſt. Hæc omnia ac ſingula profecto talia ſunt, quæ merito hominẽ non omnino refractariũ nec pertinacẽ movere debent, ut credat, longe aliud quid requiri ad perfectã definitionem libertatis iſtius, quæ ad religionem exercendam & obedientiam Deo præſtandam requiritur, quam judicii indifferentiam. Vbicunque neceſſitas dominatur, ibi Religioni locus non eſt. Nã ſumma Religionis continetur obedientiæ præceptis, præmiorum promiſſis, & pœnarum minis. At præceptioni locus non eſt, ubi judicii indifferentia tantum in mente, & in voluntate neceſsitas regnat. Nec obedientiæ laudem nec inobedientiæ labem habet, quicquid aliter fieri non

Diſtinctioni Cenſoris inter neceſſitatẽ abſolutam & ex hypotheſi occurritur.

Concluditur ad libertatem arbitrii non ſufficere indifferentiam judicii.

non poteſt; ubi obedientiæ & inobedientiæ locus non eſt, ibi præmia & pœnæ fruſtra ſunt. Qui non poteſt non obedire, indignus eſt præmio. Qui non poteſt obedire, indignus eſt ſupplicio.

Haud eſt nocens quicunque non eſt ſponte nocens,
Fati iſta culpa eſt.

Aut religio non datur, aut libertas voluntatis aliter eſt definienda.

Breviter. Aut Religio non datur, aut libertas aliter definienda eſt. Quæ porro in hac ſectione cenſentur, ea reſponſione ſunt indigna. Duo tantum notanda veniunt. I. Cenſorem manifeſte prævaricari, cum ex periodo illa Remonſtrantium, qua dicunt *Adamum ad peccandum non fuiſſe adactum per ſecretam & occultam aliquam determinationem, aut neceſſitationem (ſive à Deo ſive à diabolo profectam)* concludit, Remonſtr. ſtatuere diabolum poſſe determinare hominis voluntatem, eamque immediate movere: Verba enim iſta *ſive à Deo ſive à diabolo profectam*, præciſe non poſtulant iſtum ſenſum, ſed alium etiam admittunt, qui ab eo abeſt quam longiſſime, hunc vid. Sive quis velit à Deo ſive à diabolo eam determinationem proficiſci; quaſi dicatur, id Remonſtrantibus perinde eſt; non quod Remonſtr. velint idcirco fieri poſſe, ut diabolus determinet voluntatem hominis, nedum ut eã immediate moveat, ſed ut ſignificent, ſe ejus rei, à qua dici poſſet determinationem iſtam occulte proficiſci, ſive cauſſæ determinantis, quæcunque tandem à quoquam, ſeu vere ſeu falſo adſignari poſſit (potuiſſent enim addere ſive à cælo, ſive à temperamento, ſive ab intellectu) rationem non habere, ſed tantum ipſius neceſſitationis ſive determinationis, quippe quæ cum vera libertate conſiſtere nullo modo poſſit. Interim quantum & quouſque diabolus in voluntatem impiorum, Deo ita permittente, agere poſſit, quis facile dixerit? Nemo novit quæ ſit actio Spiritus in Spiritum. Diabolus etiam dicitur ἐνεργεῖν in filiis contumaciæ, Eph. 2. 2. Antichriſti adventus dicitur futurus κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει. 2. Theſſ. 2. 9. & Deus per Satanam immiſſurus ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει: Magna hæc ſine dubio efficacia eſt, eam tamen eſſe efficaciã determinantem, nedum immediate moventem voluntatem hominis, nunquam affirmarunt Remonſtr. quin imo contrariũ ſe credere non raro ſunt proteſtati; imprimis, ſi Deum impios ob ea ipſa, quæ, diabolo ita operante, faciunt, gravioribus pœnis ac ſuppliciis afficere velle credatur.

Alterum quod notandum venit, eſt, Quod cum Cenſor videri vult aſſerere cum Remonſtrantibus Adamum in peccatum non incidiſſe per ullius divinæ virtutis aut actionis ad evitandum peccatum ne-

cessariæ seu subtractionem, seu negationem; ejusmodi phrasibus & loquendi modis utatur, quibus non obscure significat, se contrarium ejus, quod asserit, credere, aut saltem id, quod credit, tegere voluisse. *Nam nos asserimus*, inquit, *Deum Adamo, dum in peccatum lapsus est, nihil subtraxisse donorum, quæ ipsi in statu innocentiæ concessa fuerant, quibus peccatum, si voluisset, vitare potuisset*: Item, *Nihil etiam negasse ad vitandum peccatum necessarium, si voluisset*: At I. Cur donorum tantum mentionem facit, & non virtutis vel actionis divinæ, de qua proprie quæritur? II. Quid hoc est, *si voluisset Adam*? In verbis istis dolus est. Aut omittenda ea fuerant, aut dicendum, ut posset velle vitare peccatum, vel ut posset volitionem non peccandi habere: Volitio enim ipsa peccandi in Adamo, juxta Censorem & ei ὁμοψήφοις, est peccatum; At hac locutione, si Adam voluisset, peccatum, id est, peccandi actus externus, puta esus ex arbore vetita, à volitione ipsa, & potentia actum istum externum vitandi, à potentia volendi vitare actum istum, distingui callide potest: ita ut sensus & mens Censoris hæc sit: Deus non subtraxit Adamo dona illa, quæ necessaria erant ut posset non edere ex fructu vetito. An posset velle non edere id dissimulat: imo, cum dicit, *si voluisset*, adeo speciose tegit, ut etiam id dissimulare videatur. Quod si tandem etiam dicat, Adamum potuisse velle vitare peccatum, novo fuco fraudem teget: Nimirum potuisse Adamum intelliget physice, quia voluntas est potentia natura sua indifferens: Non autem potuisse moraliter, aut, ut ita loquar, potentia proprie dicta, sive in sensu composito, id est, Adamũ potuisse dicet, uti posse videre dicitur qui in tenebris sedet, & posse incedere qui catenis constrictus est. Vafritiem & imposturam hanc nuper detexit Ioannes Camero in responsione sua ad Epistolam Docti viri: & quis eam non palpat pene utraque manu, qui filum & connexionem sententię Censorum horum vel leviter tantum introspicit? Permissio ipsis est virtutis vel actionis istius negatio, sine qua homo nunquam non peccat, ita ut dici jure & Ethice possit, sine qua hominem non peccare impossibile est, etiamsi in voluntate potentia naturalis non peccandi semper maneat, quia est potentia natura sua indifferens ad non peccandum necessario, si Deus efficaciter eam velit movere, & ad peccandum necessario, si Deus eam non velit efficaciter movere, id est, si eam velit sibi permittere. Deinde voluntatem dicit Censor determinari ad volendum necessario à judicio rationis practico: Hoc si ita est, utique eo posito, non est in potestate voluntatis

Dolus Censoris detegitur in phrasibus quibus usus est.

Ioannes Camero.

vitare iſtud, quod ratio judicat, & cum non ſit in poteſtate voluntatis non habere iſtud judicium rationis practicum, quomodo conſequenter concipi poteſt Adamum proprie potuiſſe velle vitare peccatum, & ſub pœna mortis utriuſque tum temporalis tum æternæ debuiſſe velle vitare peccatum? Hæc ſunt ἀκατάληπτα.

Sectio tertia nullam habet novam Cenſuram. *Remonſtr.* inquit Cenſor, *ſemper cavent ſibi ab exprimenda morte temporali*, Quid tum? Nec Scriptura uſpiam mortem temporalem vocat. Tum ratio cur inde ſibi caveant Remonſtr. manifeſta eſt; Mors enim ambigue dicitur temporalis, vel quia in tempore homini accidit & ad tempus tantum durat: Vel quia in tempore quidem accidit homini, ſed tamen ita durat, ut nunquam ſit finienda: iſta, non autem hæc mors, proprie ſolet vocari temporalis. Eam autem Deum comminatum fuiſſe Adamo & poſteris ejus, ſi legem tranſgrederetur, nuſquam legitur. Et, ſi Deus eam comminatus fuiſſet Adamo, ejuſque poſteris, neceſſe fuiſſet Adamum ejuſque poſteros ex morte iſta iterũ reſurgere, & poſtea in æternos cruciatus præcipitari, de quo ſane ſcriptura ne γρῦ quidem meminit. De iis qui Euangelium & apertam vitæ æternæ promiſſionem reſpuunt ac rejiciunt, ita loquitur Scriptura; at de Adamo ejuſque poſteris nec volam habet, nec veſtigium: Quin contra, poſt recitatas miſerias Adamo ejuſque poſteris eventuras, tandem comminatio deſinit in hæc verba, *Pulvis es & in pulverem reverteris*, Geneſ. 3. 14. Non quaſi mors iſta ſignificet extinctionem aut annihilationem corporis & animæ, hoc enim mortis ratio non poſtulat, quæ nihil aliud quam diſſolutionem animæ aut corporis, ſive compoſiti totius deſtructionem vi ſua importat; partium autem imprimis animæ ſive Spiritus annihilationem nunquam ſignificat, aut ſignificare in Scripturis dicitur: Sed quod ea in perpetuum duratura, animæ autem hominis æternam mortem, id eſt pœnam damni, ſive æternam ſeparationem à beata & glorioſa Dei viſione ſecum tractura eſſet: Per mortem itaque æternam, quam Deus Adamo ejuſque poſteris comminatus eſt, Remonſtr. non modo non excluſam volunt eam, quæ temporalis ſecundo modo, quo diximus, appellatur, ſed comprehenſam etiam volunt, eamque æternam appellant quia nunquam finienda erat, & conjunctam ſibi habitura erat æternam pœnam damni. Quocirca, mors hæc non terminus miſeriarum, ſed pœna etiam à Remonſtrantibus habetur. Neque tamen inde ſequitur mortem homini primo naturalem non fuiſſe, ſed tantum mortem quæ naturalis homini futura fuiſſet, non eventuram

Mors temporalis qua ratione pœna ſit peccati primi Adami.

homini

homini fuisse divino beneficio, nisi peccaret & Legem Dei transgrederetur; quod verissimum esse ex natura rei per se liquet. Quare cum Censor Sect. 4. dicit *se supponere Remonstr. per æternam mortem Adamo ejusque posteris denunciatam æternos cruciatus & inextinguibilem ignem intellexisse*, vehementer falsus fuit. Mirum a. merito videri debet, cum sub morte æterna etiam inextinguibilem ignem proprie dictum intelligi voluisse, cum ne quidem collega ipsius in disp. ult. *de vita ac morte æterna* id pro certo affirmare ausus fuerit, etiam respectu eorum, qui Euangelio rebelles sunt, & vitæ æternæ Euangelio clare expressæ promissionem contumaciter rejiciunt: Non obscure enim ęternum ignem ad cruciatus, quos iræ divinæ sensus ingenerabit, refert Thes. 50 & 51. Sed Censores hi supra & extra omnem censuram sunt, & purior Theologia est, quicquid ab illis creditur, dummodo cum Remonstrantibus non sentiant.

Sectione IV. conqueritur Censor, *quod Remonstrantes sententiam suam de peccato Originali ambigue explicent: Nam cum dicunt, per unicum peccatum Adami, posteros ejus omnes privatos fuisse primæva illa felicitate & vera justicia, &c. non intelligunt. 1. posteris Adami imputatum fuisse peccatum ipsius ita ut in Adamo in culpa fuerint, &c.* Audacter. Nuspiam dicunt Remonstrantes se id non intelligere. Nec quæ ex Arminio & Corvino citantur ad id probandum aut Remonstrantibus omnibus adscribendum sufficiunt. Sed, nec Scriptura, nec ratio ulla, ut id dicant, cogit. Fatentur peccatum Adami à Deo imputatum dici posse posteris ejus, quatenus Deus posteros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium se reddidit, obnoxios nasci voluit, sive quatenus Deus malum, quod in pœnam Adamo inflictum fuerat, in posteros ejus dimanare & transire permisit. At nihil cogit eos dicere peccatum Adami posteris ejus sic fuisse à Deo imputatum, quasi Deus posteros Adami revera censuisset, ejusdem cum Adamo peccati & culpæ, quam Adamus commiserat, reos. Imo nec Scriptura, nec veracitas, nec sapientia, nec bonitas divina, nec peccati natura, nec ratio justitiæ atque æquitatis permittunt, ut sic Adami posteris peccatum Adami imputatum fuisse dicant. Scriptura testatur, Deum Adamo soli pœnam comminatum fuisse, & eam Adamo soli inflixisse: Divina bonitas, veracitas & sapientia non sinunt ut alienum peccatum alteri proprie imputet: Contra naturam peccati est, ut censeatur peccatum, aut ut proprie in peccatum imputetur, quod propria voluntate commissum non est: Contra justitiam

Qua ratione peccatum Adami posteris ejus imputatum dici possit.

tiam & æquitatem est, ut quis reus agatur propter peccatum non suum, ut vere nocens judicetur, qui quoad propriam suam voluntatem innocens est, sive potius non nocens. Et hæc injustitia tanto major est, quanto pœna, quæ ex imputatione ista sequitur, gravior est. Summa itaque injustitia est, si pœna, quæ imputatur, sit æterni sensus pœna.

Simile est Secundum quod dicit Censor, *Neque*, inquit, *per privationem veræ justitiæ intelligunt relictum esse in unoquoque Adami filio ante proprium suum actum aliquod veri nominis peccatum.* Ita est. Quis enim sani cerebri capiat per privationem justitiæ originalis ob peccatum, relictum esse peccatum aliud distinctum tum ab illa privatione, quæ ipsa peccatum esse creditur, tum ab illo peccato, propter quod privatio illa facta est? Insaniendum est ei, qui hanc privationem capere vult. *At id nihil aliud est*, inquit, *quam peccatum originale prorsus negare, & solum peccati pœnam agnoscere, qua in posteris suis etiam quod perpetraverat, luit Adam, non quod in illis sit aliquid odio dignum.* Neutrum agnosci necesse est, nec agnoscitur à Remonstrantibus. Nec quod aliquid odio Dei (proprie dicto sc.) dignum ex peccato Adami in posteris ejus sit, nec quod illud, quod in posteros Adami ex Adamo peccatore dimanavit, in ipsis peccati pœna proprie dicta sit. Peccatum itaque originale nec habent pro peccato proprie dicto, quod posteros Adami odio Dei dignos faciat: nec pro malo, quod per modum proprie dictæ pœnæ ab Adamo in posteros dimanet, sed pro malo, infirmitate, vitio, aut quocun que tandem alio nomine vocetur, quod ab Adamo justitia originali privato in posteros ejus propagatur: unde fit, ut posteri omnes Adami eadem justitia destituti, prorsus inepti & inidonei sint ad vitam æternam consequendum, aut in gratiam cum Deo redeundum, aut ad viam inveniendum, qua ad vitam, aut in gratiam cum Deo redeant, nisi Deus nova gratia sua eos præveniat, & vires novas iis restituat ac sufficiat, quibus ad eam possint pervenire. Atque hoc significatum à Deo credunt ejectione Adami ex paradiso, typo cæli, & obsidione viæ, qua ad illum patebat aditus: Hæc enim calamitas non tantum evenit Adamo, sed posteris omnibus Adami fuit cum eo communis. Peccatum autem Originis non esse malum aliud, id est, aut malum culpæ aut malum pœnæ proprie dictæ, quod vocant, ratio manifesta arguit: Malum culpæ non est, quia nasci plane involuntarium est, ergo & nasci cum hac aut illa labe, infirmitate, vitio, vel malo. Si malum culpæ non est, nec potest esse malum pœnæ

Quid Remonstrantibus sit Peccatum Originis,

quia culpa & pœna sunt relata : Culpa autem in posteris Adami alia esse non poterat, quam hæc; alia enim prior concipi non potest, quia alioquin non esset culpa seu peccatum Originis. Multo minus itaque fieri potest ut sit culpa simul & pœna. Præterquam enim quod nihil indignius Deo tribui possit, quam quod peccatorem peccato, quo de novo reus fit pœnæ, puniat; adeo diversa sunt culpa & pœna, ut prorsus sint incompatibilia. Pœna enim est actus Dei & actus justitiæ; Culpa, actus hominis & ἀδικία. Pœna est involuntaria : Culpa nisi sit voluntaria, culpa esse non potest. Et, cum Deus puniendo, hominem in ordinem cogere intendat, ista punitione novam inordinationem voluntati hominis injiceret, & sua punitione sibi ipsi novæ pœnæ occasionem daret, atque ita rationem justitiæ & ordinem omnem pœnæ turbaret in infinitum usque. Malum itaque cum sit, necesse est, ut sit illud malum, quod Remonstrantes statuunt, & quod καταχρηστικῶς vocatur peccatum Originis. Atq; hæc fuit ipsissima Zuinglii sententia saltem quam primo asseruit ac defendit: An eam retractaverit non usque adeo certum est. Quicquid sit istam primam sententiã Zuinglii sequuntur Remonstr. ut optimam & rationi maxime consentaneam. Qui plura volet hac de re, is videat quæ prolixe & docte de ea disseruit Corvinus noster, quem imperitissime hic taxat Censor, quod dixerit, *hominem justitiam non amisisse abjiciendo, & sese actu ea distituendo, sed meritorie. Quin actu & meritorie*, inquit Censor. Insulse sane: Si enim actu, quomodo aut quorsum meritorie? Quis enim dicat eum qui sibi actu oculos effodit, meritorie oculos amisisse? Eum qui vestem suam abjicit, actu simul & meritorie vestem perdidisse? Potest quis recte dici mereri mala & incommoda, quæ effossionem oculorum voluntariam aut vestimentorum petulantem abjectionẽ consequuntur: at, ut quis meritorie dicatur oculos perdere, qui eos sibi ipsi spõte sua effodit, ineptissimum est. Vidisse hoc videtur Censor, atque idcirco dixisse, *eum, qui seipsum denudat, actu vestes amittere, & mereri ne ipsi restituantur ab eo cujus munus contemsit*. Amittere enim & non restitui, duo sunt valde diversa. Qui actu vestes abjicit, mereri recte dicitur ne vestes restituantur, at inepte dicitur mereri ut vestes amittat, vel ut eas abjiciat. Ne quidem nisi per κατάχρησιν quis dici potest meritorie veneno extingui, qui veneno dedita opera seipsum extinguit. Quod si nihilominus ita censet Censor, tum statuat necesse est hominem peccando seipsum punivisse, & à Deo non tantum privatum non fuisse donis istis, quæ ipsi concessa erant, sed, ne quidem iis privari

An homo actu simul & meritorie justitiam originalem ut vestem abjecerit.

potuiſſe, aut ut iis privaretur, opus non fuiſſe. Quid enim denudari ab alio opus eſt eum, qui ſeipſum denudat? Si peccatum eſſet veneni inſtar, ita ut, ſicut venenum qualitate contraria ſua nativum hominis calorem extinguit: Sic peccatum etiam qualitate ſua contraria juſtitiam extingueret, ſpeciem aliquam haberet quod dicit Cenſor: At tantum abeſt, ut peccatum, inſtar veneni, qualitate aliqua contraria juſtitiam extinguat, ut actio ſit, quæ à voluntate non minus libere producitur, quam actio juſta: & ut contraria tantum dicatur juſtitiæ ſive juſtæ actioni, quia quando ea fit, alteram fieri impoſſibile eſt, imo alteram ceſſare neceſſe eſt, non quia extincta eſt, ſed quia cum altera ſimul exerceri non poteſt. Non poteſt enim homo ſimul in eodem inſtanti velle & nolle. Quare, cum Cenſor ait; *Ratio iſta, quod homo actu & meritorie ſimul juſtitiam amiſerit, fortius militat in eo facto, de quo quæſtio eſt, quia per actum injuſtitiæ, ipſa juſtitia deſinit eſſe, non a. veſtis per denudationem. Cum enim juſtitia ſit accidens, cum abjicitur & in ſubjecto amplius non eſt, prorſus ceſſat.* Cum, inquam, hoc ait Cenſor, imperitiam ſuam oſtendit. Nam I. etiamſi per juſtitiam hoc loco non intelligeretur niſi actio juſta, quæ injuſtitiæ ſive actui injuſto contraria eſt, tamen inepte diceretur is, qui injuſtam actionem facit, juſtitiam, id eſt, juſtam actionẽ abjiciendo amittere, & multo ineptius adhuc mereri amiſſionem juſtæ actionis. Ceſſat enim ac deſinit juſta actio, quando fit injuſta, quia utramque ſimul fieri impoſſibile eſt, non quia ea, quæ ante facta eſt, extinguitur, abjicitur, aut amittitur. Quid enim vanius? Sed II. de juſtitia iſta, quæ actionem juſtam ſignificat, & actioni injuſtæ opponitur, hîc jam non agi Cenſor fateatur neceſſe eſt. Nam juſtitiam originalem vult eſſe, non actionem, ſed qualitatem, donum vel habitum infuſum à Deo, & de illo quæritur, an uno peccandi actu meritorie ſimul & actu amiſſa ſit. Certe, ne quidem de habitibus acquiſitis dici poteſt quod uno peccandi actu excutiantur, quanto minus de infuſis iſtis? quin imo, ratio recta non ſinit ut id dicatur. Nam alterutrum Cenſor dicat neceſſe eſt, ſi id certe ac vere dici poſſe credit. Aut factum id fuiſſe vel eveniſſe ex vi peccati, quatenus peccatum erat; Aut ex ſpeciali aliqua Dei ordinatione. Si ex ſpeciali Dei ordinatione id factum vult, tum ſane iſtam ordinationem Dei allegare debuiſſet, & non rationem iſtam quod juſtitia, quia eſt accidens, prorſus eſſe deſinit, cum injuſtitiæ actus patratur. Imo, quid ſpeciali Dei ordinatione opus eſt tum, cum natura rei talis eſt, ut aliter ſe habere non poſſit, ſive ordinatio Dei adſit,

Iuſtitia ſive conſideretur ut actia juſta, ſive ut habitus, inepte dicitur actu & meritorie abjici.

Rationibus manifeſtis id evincitur.

ſive

five absit? Si ex natura peccati id factum vult, quia per actum injustitiæ, justitia desinit esse, tum necesse est ut dicat, I. à contrario, ex natura justæ actionis peccatum omne abjici, & injustitiam etiam perire ac desinere esse, si non meritorie, saltem actu. Eadem enim ex utraque parte est ratio, si natura tantum & vis actionis utriusque consideretur. II. Omnem eum, qui peccat, non meritorie tantum, sed actu etiam, sive eo ipso quod peccat, justitiam omnem, sive acquisita sit, sive infusa, amittere atque abjicere, veluti vestem: Proinde regenitos, quando peccant, imo, quando unum tantum actum peccati committunt, actu ipso exuere omnem justitiam, & quando vicissim unum justitiæ actum exercent, abjicere totam vestem peccati & injustitiæ, quæ sane totidem sunt absurda. His jam adde; Quod si dicatur Adam justitiam Originalem, non meritorie tantum, sed actu ipso perdidisse, aut vestis instar abjecisse cum peccaret, non solum quæ comminationis divinæ, sed etiam atque imprimis, quæ sententiæ divinæ vis sit, post admissum peccatum, non apparet. Nam, quid comminatus dicetur Deus homini, si peccaret, & quid homini postquam peccasset per sententiam istam, quæ extat, Genes. 3. denunciavit atque inflixit, si homo non meritorie tantum, sed actu ipso jam abjecerat omnem istam justitiam originalem, & dona omnia, quæ ipsi à Deo concessa erant? Sed & libet quærere ex Censore, cum statuat voluntatem esse potentiam natura sua indifferentem quidem ad sequendum hoc vel illud judicium rationis, & necessario tamen sequentem ultimum judicium rationis, quod vocat, quomodo concipere possit, voluntatem hominis primi peccando perdidisse aut abjecisse justitiam aliter, quam quia cessante judicio rationis ultimo, quo ante movebatur (cessare a. non poterat per culpam hominis, quia sic judicium rationis à voluntate dependisset, quod contra esse fatetur Censor) homo justitiam facere non poterat? Imo quomodo concipere possit aliter primum hominem perdidisse justitiam quā nunc quilibet justitiam perdit, cum peccat? Voluntas enim, juxta Censorem, nunquam abjicit proprie justitiam, nedum vult abjicere, sed cessante rationis judicio tantum cessat recte velle, non quia directe vult cessare, sed quia non potest non cessare ab actu isto volendi, ad quem à judicio non movetur.

Atqui inquit Censor: *Deum tanquam justum judicem destituere (nempe actu) hominem justitia ob peccatum ab eo commissum, non video quomodo dici possit, nisi ab eo, qui statuat, ex sensu Remonstrantium, simul Deum autorem esse omnium peccatorum, quæ destitutionem illam necessario sequuntur.*

Actus, quos homo gratia divina privatus & destitutus non potest non facere, nō sunt formaliter peccata, per quæ ad novam pœnā obligatur.

Mirum sane quod Censor non videat rem per se clarissimam. Nam Remonstrantes negant actus illos, qui sequuntur destitutionem sive privationem illam divinam, esse formaliter peccata, id est, illos valide obligare ad pœnam eos, qui actus istos patrant. Non negant quidem actus illos materialiter peccata dici posse, quatenus actus sunt difformes voluntati divinæ; at negant eos formaliter esse peccata, quæ sc. ad pœnam obligent eos, à quibus fiunt. Nemo enim obligari jure potest ad impossibilia, quæ quidem ex actione ejus, cui obligatus est, prorsus sunt impossibilia, nedum ut obligetur ad pœnam, eamque majorem, imo omnium gravissimam, nisi impossibilia ista faciat. Crudelitatis & tyrannidis apex foret ejusmodi obligatio: Aut necessaria ad præstandum quod jubetur, relinquenda sunt, aut, si semel ablata fuerint per modum justæ punitionis, restituenda sunt, ut obligatio sit justa ac valida. Quare, quæcunque ab homine, postquam justitia originali à Deo privatus est, committuntur peccata, per quæ reus pœnæ fit, ad ea evitanda dicunt homini relictas esse necessarias vires, aut de novo ei à Deo restitutas. Nisi ita esset, Deus revera autor foret omnium istorum peccatorum, quæ sine ablata gratia evitare non possunt; quin & metere vellet, ubi non modo non sevit, sed ubi sementem, & sementis spem omnem radicitus sustulit, atque exstirpavit.

Posthæc taxat Censor id, quod Remonstrantes declarant, scilicet *Deum benignissimum generali isti malo, quod ad nos ab Adamo derivatum est, gratuitum in filio suo dilecto remedium omnibus præparasse. Si*, inquit, *id ita intelligatur, ut Deus voluerit remedii istius actu omnes fieri participes, eventus manifeste hunc sensum redarguit.* Imo vero eventus sensum istum non redarguit. Eventus docet omnes remedii istius non fieri actu participes, at non docet Deum à parte sua serio non voluisse aut eo fine & intentione remedium non præparasse, ut omnes ejus actu fierent participes. Ex eventu de voluntate Dei semper non est judicandum. Scriptura diserte dicit *Deum usque adeo dilexisse mundum, ut dederit filium suum*, Ioan. 3. 16. *Deum in Christo mundum sibi reconciliasse* 2. Cor. 5. 19. *Deum velle omnes homines servari, nolle ut quisquam pereat.* 1. Timoth. 2. 4. 2. Petr. 3. 9. &c. Et tamen paucos admodum servatum iri, eadem Scriptura testatur. Sed hac de re alibi. *Si vero*, inquit Censor, *id saltem de omnibus, qui sine actuali suo peccato moriuntur, intelligant, non videmus quomodo Pelagii societatem ejurare possint.* Mirum! Pelagius enim contendebat, uti Augustinus refert Epist. CVI. *Adamum sive peccaret, sive non peccaret, moriturum*

rum fuisse, & quod peccatum ejus ipsum solum læserit, non genus humanum, & quod neque per mortem, neque per prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur; Id est, uti exponunt Remonstrantes ex peccato Adami malum nullum, id est, neque mortem neque vitium, infirmitatem aut debilitatem ullam ad posteros dimanasse, quod ipsum in Pelagio etiam damnare videtur *Concilium Arausicanum*, can. 2. & 28. At quicquid sit de Pelagio, id perinde est Remonstrantibus. Nam pro certo statuunt, quicquid in contrarium Augustinus, aliique judicaverint, Deum nullos infantes, sine actualibus & propriis peccatis morientes, æternis cruciatibus destinare velle, aut jure destinare posse, ob peccatum, quod vocatur Originis, quod nulla propria culpa contrahi ab infantibus dicitur, idque ex peccato alieno, & quod ipsorum esse creditur, non aliam ob causam, quam quia Deus id ipsis imputare vult. Aliena hæc est à divina bonitate & ratione recta opinio, imo incertum, utrum in ea major absurditas, an crudelitas præponderet. Innocentium & tenellarum animarum sanguinem nimis vilem & cruciatuum æternorum supplicia nimis levia censeant necesse est, qui tam horridæ sententiæ subscribunt, aut in gratiam ullorum hominum, sive Patrum, sive conciliorum, ei fidem adjungunt. At, inquit Censor, *remedium ut actu morbum tollat, actu etiam contrarium habitum operatur.* Inepte. Remedium enim quod per mortem Christi præparatum est, ne quidem Censori ipsi remedium est, quod actu habitum aliquem operatur: Satisfactio enim I. Christi non operatur quicquam in hominibus, sed pro hominibus apud Deum tantum operatur gratiam sive reconciliationem, quæ in remissione peccatorum & justitiæ imputatione consistere, & non tantum habitum omnem sanctitatis, sed fidem etiam ipsam præcedere creditur. Spiritus sanctificans operatur habitum justitiæ sive sanctitatis, non mors Christi: Mors Christi meretur, non autem renovat. At vero, quod Deus in omnibus iis, ad quos remedium istud pertinet, justitiam originalem in Adamo amissam per Sp. S. operari iterum velit, id de infantibus falsum esse credunt Remonstr. Vellet enim Deus operari habitum in subjecto habitus incapace, quod sapientiam Dei nullo modo decet. Sufficit itaque si infantes sine peccato actuali moriantur, ne à parte sua exclusi credantur à remedio per Christum præparato. Nec refert, an infantes isti sint fidelium, an Ethnicorum liberi. Infantium enim, qua infantium, innocentia est prorsus eadem: Nec Fœderis gratuiti natura destruitur, quando hac in re fidelium & infideliũ infantes æquantur uti

Discrimen inter Pelagii & Remonstrantium sententiã ostenditur.

Deus nullos infantes æternis cruciatibus destinare jure potest ob alienum peccatum.

Satisfactio Christi remedium est pro hominibus apud Deum, nõ remediũ Dei per quod in hominibus operatur.

uti Censor in fine hujus paragraphi argumentatur. Nam promissio quæ Israelitis, *patribus & liberis eorum omnibusque, qui longe erant, quoscunque advocaturus erat Dominus*, facta legitur in Scripturis, Actor. 2. 39. ad liberos Iudæorum, quatenus infantes adhuc erant, diserte non refertur, nec referri credit ipse Censor: quia remedium à Christo præparatum ad fœderatos fidelium liberos non certo, aut ex fide, sed ex charitatis judicio pertinere paulo ante affirmavit. Si enim ex promissione fœdere comprehensa, pertinere credit, quomodo non certo & ex fide pertinet? Fidei enim, de qua hic agitur, objectum vel ratio formalis est divina promissio. Per eos vero, *qui longe sunt*, intelligi posteros, quatenus infantes sunt quo verisimili argumento confirmabitur? Imo fœderis ratio & verbum *advocandi*, quo ex ratione fœderis advocatio cum effectu vel eventu potius conjuncta intelligi necessario debet, contrarium prorsus evincunt. Promissio enim fœdere comprehensa, non pertinebat ad fœderatos, quatenus simpliciter fœderati nascebantur, alioquin ad Iudæos rebelles etiam, qua rebelles Christo erant, promissio pertinuisset; sed quatenus ad fœderis formulam se componebant: Vnde per eos, quos Deus advocaturus dicitur, intelligendi non sunt alii quam Iudæi, nati quidem, sed qui Deo vocanti erant parituri; nisi quis gentiles isto commate designari velit, qua expositione responsio hæc nostra magis adhuc confirmabitur. Interim notandum hoc loco venit, verissimum esse id quod hactenus, & nominatim quidem in *Antidoto* suo monuerunt Remonstr. adversarios ipsorum credere absolutam Reprobationem ad infantes non tantum gentilium, sed etiam fœderatorum & fidelium extendendam esse, & quicquid aliter videri velint sentire, tamen id non nisi de judicio charitatis, non a. fidei, accipiendum esse. Nam hoc diserte hic fatetur Censor, & totidem verbis, ut dubitare amplius nefas sit. Crudelis animus sit necesse est, qui tam crudelem benignissimo & φιλανθρώπῳ Deo affingit voluntatem. Sic enim Infantium longe pejor & deterior foret conditio, quam diabolorum, quos non nisi propria & vincibili, ut vocant, culpa sua, & singulos quidem damnatos esse & adjudicatos æterno ignis supplicio ex Scriptura constat.

Locum Actor. 11. 39. perperam à Censore allegatum esse ostenditur.

Ex Censura hac patet, Cẽsores credere Reprobationẽ absolutam ad infantes fidelium etiam extendendam esse.

Posthæc censentur Remonstr. quod dicant *Canones Synodi Dordracenæ fundare decretum absolutæ Reprobationis in peccato originali, hoc enim est tribuere iis, quod oppositum in apposito statuant, &c.* Lusus hic est in voce *Absolutæ*, qui detegendus est, quia mirum quomodo vocabulis his, veluti fascinis, imperitiorum aut incautiorum oculos præstringant,

Ambiguitas Vocabuli *Absolute*,

ſtringant, ne arcanum ſententiæ eorum videant. Vox *Abſoluta* aliquando comparationem excludit, aliquando omnem ſimpliciter reſpectum. Hic excludit comparationem tantum: Nam Contra-Remonſtr. dicunt, Reprobationem conſiderari vel comparate vel non comparate. Comparata Reprobatio eſt, inquiunt, quæ conſideratur cum relatione hujus perſonæ ad illam. Hanc negant fundari in peccato Originali. Ratio enim cur Deus hunc, non a. illum reprobat, non eſt peccatum Originale, quia hic non minus quam ille peccato Originali tenetur. Non comparata reprobatio eſt, quæ ſimpliciter hunc in individuo, ut hunc reprobat. Hæc non fit, inquiunt, ſine reſpectu omni ad peccatum Originis: Vide *Ameſium*, alioſque. Hoc ſenſu vocarunt Remonſtr. decretum abſolutæ Reprobationis. Atque hæc quidē, etſi revera ſunt futilia, &, pæne dixerim puerilia, tamen indicanda ſunt: Quid enim facias? Iſtis Scholaribus ineptiis & conceptionibus famelicis pugnant Magiſtri noſtri veluti juſtis armis, & ſubtiles ſibi videntur ac tantum non Seraphici, cum tamen non niſi in re ſeria difficiles nugas & ex fæno ac ſtipulis caſam fabricent.

qua Cenſores ſe tegere ſolent, detegitur.

Sectione V. *fallere ac falli dicit Remonſtr. ſi loca illa Geneſ.* 6. 5. *&* 8. 21. *Omne figmentum & cogitationem cordis tantum malam eſſe omni tempore*, Vel *a pueritia ipſius, de actualibus peccatis ita intelligant, ut corruptionem naturalem non includant, &c.* At dicere ſine probatione, quod fallunt & falluntur, Pontificiorum Cenſorum eſt, non Reformatorum, Contra: Si loca illa ſic ſunt intelligenda ut corruptionem naturalem, id eſt, peccatum Originis includant, tum ſane includere dicenda ſunt aut ex vi & proprietate ipſarum vocum & phraſium, quas continent, aut ex alia certa hypotheſi & fundamento: Si hoc dicatur, tum peccatum Originis non ex hoc loco eſt deſumendum, ſed locus hic ex articulo de peccato Originis interpretandus eſt. Si dicatur iſtud, tum ſane non erat dicendum loca hæc includere peccatum Originale, ſed diſerte exprimere, quod contra eſſe ex phraſium iſtarum uſu in Scripturis, & in vita communi manifeſtum eſt; Vide Ezech. 16. 22. & verſ. 43. & 60. Ezech. 23. 8. Eſai. 47. 12. 15. Ierem. 3. 25. Ierem. 32. 30. Pſalm. 58. 4. Pſalm. 71. 5, 6. Eſa. 48. 8. Iob 31. 18. &c. Sed idem ſatis manifeſte evincunt voces, *Figmentum omne, & cogitationes cordis*, item, *corrumpere viam ſuam.* Eas enim referre velle ad peccatum Originis nimis inſulſum eſt. Sic enim de Noacho etiam dictum hoc verum fuiſſet, quod figmentum ejus omne & cogitationes cordis ejus pravæ erant, quia

Examinantur duo famoſa loca Gen. 6. 5. & 8. 21. & oſtenditur in illis de actualibus peccatis non a. Originali peccato agi.

quia peccato Originali non minus quam cæteri laborabat, cum tamen expresse de eo dicatur, Genes. 8. quod Deus *eum invenerit justum coram se, in generatione ista:* Deinde, hoc ipsum, quod figmentum omne cordis hominis malum esset, pro causa immissi diluvii à Deo recensetur. Peccato a. Originali ut causæ diluvium adscribere stultum est. Contrarium potius quis collegerit, cum dicitur, *Omnis caro corruperat viam suam*; corruptio n. integritatem supponit. Nec refert quod additum legatur à *Pueritia*, Ista n. phrasi, aliisque similibus, *ab utero, à Vulva matris, ab incunabulis, à natura, lacte matris*, non denotari semper ætatem primam hominis, sed longam & quasi radicatam corruptionem, fidem facit præter ista, quæ adduximus aliaque multa Scripturæ loca, & communem loquendi usum, hic ipse locus, qui mentionem non facit nisi figmentorum & cogitationum malarum actualium, quarum prima ætas hominis capax non est. Mirum vero merito videri debet, quod duo hæc loca conjungat Censor, & in utroque loco ad idem peccatum Originale respici velit: Nam, quam quæso veri speciem habet, quod in uno loco peccatum Originale causa Deum ad immittendum diluvium impellens statuatur, in altero vero idem peccatum statuatur causa vel ratio, quæ Deum impulerit, quo minus imposterum diluvium vellet immittere? hæc non cohærent.

De Pravitate sive corruptione, quæ in voluntate esse potest.

Addit Censor, *Remonstrantes dicere quidem voluntatem peccandi adsuetudine magis magisque depravari. Sed id non convenire cum doctrina eorum, quia negant voluntatem unquam corruptam esse in se, sed tantum impeditam per tenebras mentis, & affectuum inordinationem.* Censuram hanc in seipsum dixit Censor: Falsum enim est, Remonstrantes simpliciter negare voluntatem in se corruptam unquam esse. Negant quidem habitus infusos aliosve per quos ad unum determinetur, in ea locum habere, quippe quæ natura sua libera & indifferens est ac semper manet, sed non negant habitus in ea ullos esse posse, quibus præsentibus nihilominus maneat indeterminata & indifferens: Saltem hæc mens eorum est quando contra habitus infusos in voluntatem disputant. Deinde tantum abest ut ex eorum sententia sequatur corruptionem nullam in voluntate hominis locum habere posse, ut contrarium ex ea sequi manifestum sit, quia voluntatem à se ipsa determinari affirmant, ac proinde eam frequenter seipsam determinando in unam partem habitum acquirere posse, qui difficulter mobilis est & in voluntate etiam nihil agente hæret. At à Censore ipso, si consequenter loqui velit, id negari luce clarius est. Tota enim pravitas

& cor-

& corruptio, quæ in voluntate ſtatui poteſt à Cenſore, ea non eſt intrinſeca quædam vitioſitas ſeu habitualis forma aut qualitas prava, quæ in voluntate etiam nihil agente inhæret, & à qua voluntas denominatur prava, ſed revera nil niſi naturalis voluntatis motio, cui accidit corruptam eſſe, id eſt, inordinatam ob lucis bene dirigentis defectum, ſtatim atque è veſtigio deſitura, ſi accedat tantum illuminatio mentis. Et ratio eſt manifeſta; Voluntas enim, juxta Cenſorem, ſequitur neceſſario judicium rationis practicum. Hoc itaque poſito tantum vel ſublato, volitio in voluntate neceſſario bona eſt aut mala, per conſequens voluntas hominis non magis prava fit, ſi judicium rationis falſum ſequatur per annorum aliquot centurias, quam ſi ſequatur illud pene ad unicum, ita dixerim, momentum. Breviter, voluntas hominis mali prava eſt juxta Cenſorem, ſicut hominis cæci locomotiva alioquin ſana, prava ſive inordinata eſt; non quia ei pravitas habitualis inhæret, ſed quia luce dirigente deſtituta actu tantum in movendo ſe aberrat, aut in incertum vagatur, ordinate ſtatim ſe motura, ſi modo lux oculis reſtituatur. Cenſura de diſtinctione peccatorum *in peccata carnis & Spiritus*, quam ex Scripturis fecerunt Remonſtrantes, vix digna eſt examine. Nam Cenſor ipſe certum ſenſum adſignat, quo admitti illam poſſe fatetur: Et ſenſus iſte Scripturæ & Remonſtrantium ſenſus eſt, nec alius eſſe poſſe videtur; Peccata carnis ſunt iſta peccata, quæ in carne & per carnem potius, quam in Spiritu & per Spiritum peraguntur, ſive quæ craſſam & ſenſibilem delectationem aut commotionem in ſe habent, ut ebrietas, ſcortatio, ira. Peccata Spiritus quæ in Spiritu & per Spiritum potius peraguntur quam in aut per carnem, ut odium, invidia, ſuperbia, ambitio &c. Nota tamen rationem, qua Cenſor utitur, ut probet hanc diſtinctionem peccatorum admittendam non eſſe extra hunc ſenſum, *quia quicquid natum eſt ex carne, caro eſt*, frivolam eſſe. Iſto enim in loco non agitur de peccato, neque homo quia, aut qua peccator eſt, iſthic appellatur *caro*. Nihil minus, uti ex ſcopo loci manifeſtum eſt; ſed ibi tantum agitur de generatione hominis ex homine, quatenus generatio eſt actio naturalis, humana, ſenſibilis, & palpabilis, citra ullam peccati, cum quo illa generatio ſit conjuncta, rationem. Senſus enim eſt: Non loquor de carnali generatione, qua homo carneus hominem carneum generat, qualem Nicodemus ſibi imaginabatur, ſed de ſpirituali, qua ſpiritus Dei hominem regenerat. Iſta craſſa, carnea, & palpabils eſt generatio, & vilis proinde ac nullius momenti. Hæc ſpiritualis eſt & excel-

De Peccatorũ diſtinctione in peccata carnis & Spiritus.

Senſus loci Ioan. 3. 6. præter ſcopum à Cenſore allegati.

excellentior atque alterius plane generis. Caro itaque non opponitur Spiritui hoc in loco ut impurum puro, aut ut peccatum ſanctitati: ſed ut diverſum diverſo; Niſi id dicatur, tum neceſſe eſt ut in oppoſito membro eadem ſit ratio quæ in priore: *Quicquid ex ſpiritu eſt, ſpiritus eſt*, ut ſenſus ſit, ſpiritualis renovatio hominis ſic reformat totum hominem, ut nihil carnis reliquum maneat, quem ſenſum non facile admittet Cenſor.

De lapſibus levioribus ſententia Remonſtrantiū.

Quæ porro de levioribus lapſibus declarata ſunt à Remonſtrantibus, ea per ſe plana ſunt, at Cenſoris unguem non potuerunt effugere. Leviores lapſus, qui ex vera infirmitate, ignorantia, inadvertentia, ſubita aliqua & levi paſſione aut occaſione fiunt, & eveſtigio deſinunt, dicunt Remonſtrantes à Deo non cenſeri inter ea peccata, propter quæ homines excludere vult ex regno cælorum; aut à quibus omnino liberos atque exſolutos eſſe neceſſe eſt eos, qui ſalvari volunt, aut ſpem ſalutis æternæ certam concipere: Dicunt itaque contingere poſſe, ut I. quis ab iſtis infirmitatibus & lapſibus non omnino ſe exolvat, etiamſi quantum poteſt operam det, ut iis in hac vita ſe exolvat. II. ut pænitentiam de iis ex profeſſo non agat, non quia eam agere non vult, ſed quia contingit aut accidit quod eam non agat, & tamen juxta fæderis gratioſi formulam æternum ſalvetur. Iuxta fæderis gratioſi formulam, inquam: Neque enim credunt Remonſtr. lapſus illos ejuſmodi eſſe, ut natura ſua ſint veniales, quaſi Deus propter eos non poſſet hominem excludere ex regno cælorū, ſi ex rigore cum eo vellet agere: Abſit: Sed credunt Deum ex pura gratia & miſericordia propter eos neminem excludere velle, quam diu lapſus ſunt, qui ex vera infirmitate proveniunt; cujus rei ſignum certiſſimum eſt, quando ab hominis voluntate abeſt propoſitum & ſtudium ab iis ſe non exſolvendi, aut de iis pœnitentiam non agendi, etiamſi actualis exſolutio & pænitentia non adſint. Peccatorum cęterorum alia eſt ratio: Propoſitum exſolvendi ab iis & pænitentiam agendi de iis non ſufficit ut ſalutis ſpes certa concipiatur, ſed actualis exſolutio, aut expreſſa de iis pænitentia plane neceſſaria ſunt. Cui adde, quod de lapſibus iſtis pænitentia ſemper & facile fieri poſſit: De his ſæpe difficulter admodum poſſit fieri pænitentia, & an ſemper poſſit fieri à multis Theologis dubitetur, quanquam Remonſtr. eam ſemper fieri poſſe haud inviti concedunt.

De habitu peccandi plenior declaratio.

Quod a. Remonſtr. actum peccati ab habitu peccandi accurate diſtinguendum eſſe declarant, eo non ſignificant, fieri non poſſe ut actus

unus,

unus, etiam juxta fæderis gratiosi formulam, hominem excludat à regno cælorum, aut habitum sive peccandi consuetudinem solam esse id, quod hominem damnationi reddit obnoxium. Nihil minus. Fieri enim posse credunt ut actus unus tam sit enormis, id est, tam enormiter male patretur, ut non modo consuetudini æquetur, sed & longe præponderet, quatenus consuetudo sive permanentia in peccatis aut peccato dari potest, quæ sine directa aut deliberata voluntate in peccato permanendi sit: actus vero unus enormiter malus dedita opera & deliberata voluntate contra dictamen naturalis rationis, aut supernaturalis revelationis expressum & præsens fieri potest; qui vid. cum aperta divini mandati læsione & proximi injuria est cojunctus. Hujusmodi a. actum consuetudini isti præponderare recta ratio docet. Hujusmodi etiam actum non unum tantum & alterum, ut Censor ait, sed unum tantum sufficere credunt ut homo damnationi obnoxius censeatur. Nec gratiosi Fæderis formulam huic sententiæ suæ credunt repugnare; quin imo, haud obscure eam stabiliri posse credunt ex Matth. cap. 12. 36. ubi de Blasphemia in Sp. S. & de quolibet otioso verbo (non uti Censor ait de otiosis verbis) agitur. Per otiosum enim verbum sive ῥῆμα ἀργὸν isto in loco blasphemiam tantum in Spiritum intelligendam esse, rationibus variis evinci potest.

Sectione VII. quamquam Remonst. non dixerant pro quantitate & qualitate peccatorum adsignatam esse pænam vel damni vel sensus, prout verba eorum perperam refert Censor, tamen diffiteri nolunt, istam esse sententiam suam, Deum non omnibus peccatis, id est peccatoribus (Peccatum enim non punitur) adsignasse æternam pœnam sensus & damni, qualem Censor peccatis deberi vult. Nec locus iste quem ex Epist. ad Rom. 6. 23. citat ad contrarium probandum facit; imo non obscure de isto peccandi genere ac modo agit, qualem paulo ante tribuerat Apostolus Romanis nondum conversis, cujus finem etiam dixerat esse mortem, ℣. 21. Et oppositio doni vitæ æternę istum sensum non leviter confirmat. Donum enim istud non significat actum unum obedientiæ fidei, quæ ex gratiosa Dei donatione, vitæ æternæ promissionem habet, sed Christianam obedientiam totam, eamque continuam, cui peccatum sive ἁμαρτία ista opponitur. Quod interim Censor peccati pœnam in se esse dicit æternam mortem, quæ cum damno privationis bonorum, etiam habet sensum gravissimorū malorum, corporalem & spiritualem mortem simul, id ad rem hic nō facit. Non enim dicunt Remonst. quod pœna peccati variet quantitate

An peccatis omnibus, etiam levissimis, à Deo adsignata sit æterna pœna sensus & damni.

 & quali-

& qualitate, quatenus peccatum in se consideratur: Istam litem Scholaribus Magistris & qui seria fastidiunt, relictam volunt; Sed tantum dicunt à Deo adsignatam esse peccatis pœnam variam pro quantitate & qualitate peccatorum, sive ista adsignatio facta sit ex consideratione peccatorum in se, sive ex ἐπιεικείᾳ, id est juris stricti & summi moderatione. Quid enim hoc ad rem facit? Mirum vero merito alicui videatur, quod Censor, cum quæ sit pœna peccati in se declaret, & pœnam illam dicat esse mortem æternam: Mortem a. æternam nullam se posse agnoscere dicat, quæ cum damno privationis bonorum non habeat etiam sensum gravissimorum malorum, nihilominus tamen distinctionem graduum in pœna ista locum habere, imo cum distinctione ista pœnam peccati in se semper intelligi velit. Nam I. unde id habet? quæ ratio peccati, quatenus peccatum in se consideratur, cogit, ut gradus isti distinguantur in pœna, vel ut peccatum quodlibet non nisi certum punitionis æternæ gradum mereri dicatur? II. Cum mortem æternam simpliciter velit esse stipendium peccati in se considerati, quid cogit eum, ut sub morte ista æterna sensum gravissimorũ malorum semper comprehensum esse velit, & tamen simul gradus malorũ distinguat? Gravissima enim ista mala sensus quomodo intendet & remittet? Tum an ratio dictat æternam sensus mali durationem esse formalem peccati pœnam, & non malum ipsum sensus simul ac damni intensissimum? Per quam regulam? Si dicat in Scripturis distinctionem illam graduum fieri, tum in sophisticationẽ illam incidet, quam tribuit Remonstrantibus. Sic enim peccatum in subjecto confundet cum peccato in se, nec ex eo concludere poterit quod sit meritum peccati in se; sed quomodo Deus cum peccatoribus agere velit pro sua libera voluntate. Nec effugiet, si dicat se per peccata in subjecto non intelligere nisi peccata quæ committunt electi, qui vocantur: Nam sic alteram Sophisticationem prodet, & simul arcanum profanæ sententiæ suæ, quod peccata non qualitatibus sed subjectis distinguat, id est, quod credat Deum quæcunque ab electis istis & albæ gallinę filiis committuntur, etiamsi sint atrocissima scelera & flagitia, pro peccatis non censere, aut pœna ulla afficere velle, cæteros vero omnes, nulla sua propria culpa reprobatos, mortibus omnibus, id est damni, sensus, spirituali, corporali, temporali, æterna excarnificare velle, etiamsi levissimum tantum peccatum unum committant, imo etiamsi in utero materno sine actuali ullo peccato aut peccandi potẽtia moriantur, aut simulatq; nati sunt iterum obeant. Vah Crudeles homines & vere barbaros, quin & irrationabiliter misericordes.

Quæ-

Quæcunque sectione VIII. & IX. *à Remonstrantibus declarata sunt, ea non possunt improbari*, inquit Censor. *Id tantum animadvertimus*, ait, *quod Remonstr. diligenter sibi cavent ne fidei in Christum expressam mentionē faciant sub V.T. sed tantum fidei in Deum & generale solum gratiæ ac favoris Dei promissum agnoscant.* Hæc animadversio admodum est inconcinna, ambigua, & prorsus inutilis. *Inconcinna*; quia à Remonstrantibus expressam mentionem fieri vult fidei in I. Christum, quæ sub V.T. locum habuerit, cum fidei istius sub V.T. nec in toto Veteri, nec in toto N. Testamento aperta mentio uspiam facta legatur, nec ratio ulla necessaria assignetur, propter quam credendum sit ejus rei apertam mentionem à Remonstrantibus fieri debuisse. *Ambigua est*; Quia per Fidem in Christum intelligi potest aut fides historica illa, qua creditur Messiam aliquando venturum; aut fides justificans, qua in Messiā moriturum, & morte sua redemptionem populo suo impetraturum, imo ex morte in vitam suscitandum creditur. Istius Fidei mentionem expressam sub V.T. ut facerent Remonstr non erat necesse. Nec enim ista fides est fides illa, qua salus & remissio peccatorum obtinetur. Et nemo est, qui dubitare audeat Fidem illam sub V.T. inter Iudæos locum habuisse, cum ex historia V.T. id nimis manifeste liqueat, ubi expresse legitur fuisse illam communem Iudæorum fidem, & imprimis sanctorum multorum, *qui redemtionem Israelis expectasse* dicuntur Luc. 1. &c. Samaritana etiam mulier id diserte satis testatur, Ioan. 6. 52. *Scio Messiam venturum qui dicitur Christus, cum venerit, ille nobis annuntiaturus est omnia.* Hujus a. Fidei, qua in Christum moriturum creditur, mentionem expressam sub V.T. ut facerent Remonstrantes, sine ulla justa ratione ab ipsis petitur, cum certum sit locum nullum esse, unde appareat Fidem istam sub V.T. præceptam fuisse, aut viguisse: imo cum ex N T. certum sit, communem Iudæorum, ipsorumque adeo Apostolorum jam in Christum credentium, etiam post apertam de morte Messiæ mentionem, opinionem fuisse hanc, fore, ut Messias non moreretur, aut morte sua redemtionem fidelibus impetraret. Hæc tamen cum dicunt Remonstr. non idcirco negant verum esse, Fidem in Iesum Christum sub V.T. locum habuisse Etsi enim credunt Fidem in Iesum Christum moriturum directe atque aperte sub V.T. præscriptam atque exercitam non fuisse, nihilominus tamen statuunt, Fidem illam, quæ sub V.T. fuit, indirecte Fidem in Iesum Christum dici posse, quatenus sub V.T. gratia & salus per Christum parta sub generalis gratiæ & favoris divini promisso abscondita & sub

Quæstionem de Fide in Iesum Christum, an & quomodo ea sub V. Testamēto locum habuerit, inconcinnam, ambiguam & inutilem esse ostenditur.

typis & umbris, quarum corpus erat Christus, velata, & rudi veluti Minerva adumbrata fuit, *Lex enim umbram habuit rerum futurarum, non ipsam expressam imaginem.* Heb. 10. 1. Col. 2. 17. & *Lex fuit pædagogus in Christum*, Gal. 3. 14. unde & *Fides venisse* dicitur sub N.T. ibidem vers. 2. aliaque in eandem sententiam. Quod si quis hoc sufficere non credat, is videat quomodo ex V. aut N.T. probare possit apertam atq; expressam rerum istarum, quæ Fidei expressæ in Christum objecta sunt, mentionem factam esse sub V.T. Remonstr. fatentur se id deprehendere hactenus non potuisse. Fidem interim illam, quæ in promissionem Dei generalem, quæque in typos atque umbras ferebatur, credunt à Deo censitam fuisse, ac censeri recte posse pro Fide in Christum, eadem plane ratione, qua Isaac, qui erat semen illud Abrahamo promissum, Christus appellatur, & promissio de semine isto, promissio de Christo Gall. 3. 16. & 19.: imprimis si umbras & typos istos intelligerent esse umbras & typos venturi Christi, quamquam id paucos admodum intellexisse verisimile est. Atque hoc quidem sensu interpretantur dicta veterum Patrum non pauca, quibus sine Christi notitia & fide salvari potuisse & salvatos esse asseritur complures ante natum & revelatum Christum. Sic *Chrysostomus* in Math. hom. 38. *Aliquis dicet. Quid ergo? Illisne facta est injuria, qui ante Christi adventum vixerunt? Nequaquam. Tunc enim sine Confeßione Christi poterat aliquis servari, quippe hoc ab illis non exigebatur.* Mox. *Solum Deum nosse ad salutem tunc temporis satis: Nunc id non sufficit: quin hoc amplius, notitia Christi est necessaria:* Non multo post: *Fruentur*, inquit, *omnibus vitæ æternæ bonis etiam illi, qui Christum ante ipsius incarnationem non norunt, sed ab Idololatria abstinuerunt, Deum unum adorarunt, & vitam quam fieri poterat optimam vixerunt*; Gemina his habent *Clemens Alexandrinus*, *Iustinus*, aliique, quæ prolixe satis recensuit *Isa. Casaub: Exercit.* I. ad *Apparatum Annalium Baronii*, & hac eadem ratione interpretenda esse fideliter monuit. Vide quæ in fine libri sui supplementi loco citat ex tomo sexto Saviliano, οὐδὲ γὰρ ἀπητεῖτο τὴν εἰς τὸν χριστὸν πίστιν περὶ τῆς τοῦ χριστοῦ παρουσίας: Id est, *Ante Christi adventum non exigebatur à Iudæis fides in Christum.* Verum enimvero dato, sed non concesso, quod nec hoc quidem dicant Remonstr. nihilominus tamen prorsus *Inutilis* foret hæc animadversio. Nam sive hoc verum sive falsum crederent Remonstr. nec saluti eorum, qui sub V.T. mortui sunt, nec Christianorum qui sub N.T. vivunt, officio id vel hilum officeret: Sufficit Christianis iisque qui sub N.T. vivunt, ut fidem in I. Christum necessariam esse ad salutē intel-

Veterum Patrum non pauci statuerunt, sine notitia & fide in Iesum Christum salvatos fuisse complures ante natum Christum.

intelligant, & an iis qui sub V.T. vixerunt & mortui sunt necessaria fuerit, Deo relinquant. Neque enim iis ut hoc pro certo credant in N.T. uspiam præcipitur, seu directe, seu indirecte. Loca quæ ex 2. Cor. 1.20. & Act. 10.43. citat, ad rem non faciunt, de qua agitur. Per promissiones enim Dei de quibus agitur. 2. Cor. 1.20. non intelliguntur proprie promissiones olim Patribus factæ de Messia venturo (quamquam etiam certum de iis est quod in Christo sint etiam, atque Amen) nihil minus: Sed tantum promissiones Dei in genere, quascunq; Deus facit. Eas enim omnes per Christũ nunquã immutatũ iri dicit Apostolus, sed constãter permansuras & invariabiliter exequendas esse docet. Inde enim concludit promissa ista omnia, quæ in Euangelio nomine Dei docuerunt Apostoli, rata futura suo tempore, uti ex versu præcedente manifestius est, quam ut probari oporteat. Locus vero, Actor. 10.43. non agit de Prophetarum testimonio, quo testati fuerunt eos, qui sub V.T. vivebant, remissionem peccatorum non accepturos, nisi in Christum crederent: Sed tantum de testimonio, quo testati fuerunt Messiam aliquando venturum, & quicunque in illum, cum venisset, essent credituri, remissionem peccatorum accepturos per nomen ejus, uti ex verbis ipsis liquet, & diserte à Petro ipso exponitur, 1. Epist. cap. 1.11.12. cum ait, *Prophetis revelatum fuisse, eos non sibi, sed nobis administrare ea, quæ prænuncius, qui in ipsis erat Spiritus Christi, ipsis declaraverat, de iis, quæ Christo eventura erant, passionibus, & gloria passiones consecutura.*

Ostenditur loca 2. ad Corinth. 1.20. & Act. 10. 43. perperam esse à Censore adducta.

1. Pet. 1.11.12.

Quod in recitatione testimonii Genes. 8.21. cum *figmenti hominis* tantummodo mentionem fecerunt Remonstr. *cordis* vocem emphaticam de industria ab iis omissam suspicatur Censor, id nimis anile est & putidum. Sive enim Cordis sive hominis voce utantur, quid hoc ad rem facit? Cor enim & homo unum idemque significant; nisi forte cum hominis voce usi sunt Remonstr. excordes homines eos intellexisse velit: *Ex corde n. oriuntur cogitationes malæ*, ut diserte dicitur Math. 15.18. & *illæ sunt quæ polluunt hominem.* Cor vero isto in loco Genes. accipiendum esse de naturali corruptione qua vel specie dicitur? Voluntariam tantum corruptionem eo designari vox *Figmenti* satis arguit: Figmentum enim perperam tribuitur cordi, quatenus naturalem corruptionem significat: Voluntati soli liberæ vox illa recte tribuitur, ut ex natura rei constat, & non obscure Salomon indicat, Proverb. 4.23. *præ omni custodia serva Cor tuum, quia ex ipso sunt egressus vitæ.*

Cordis vox de industria omissa non fuit à Remonstr. in citatione loci Genes. 8.21.

EXA-

EXAMEN CENSVRÆ CAPITIS VIII.

De opere Redemtionis, deque persona & officiis Iesu Christi.

IN hoc Capite duo fatetur Censor, quæ in limine hoc notari operæ pretium est. I. Quæ Remonstrantes de persona Christi tradiderunt sect. III. & IV. ea sic esse concepta ut nihil habeant contra Fidei analogiam. II. Quæ de triplici officio Christi agunt, ea pleraq; omnia talia esse ut in justam reprehensionem non incurrant. Quare quæ hoc Capite de persona & officio Christi Censores censuerunt, ea non nisi inanes suspiciones & conjecturas contra apertam Remonstrãtium confessionem esse, concludendum est.

Sectio prima nihil habet singulare animadversione dignum, aut ad rem, de qua hoc capite agitur, pertinens. In primo membro cum Censor generaliter colligit ex allegatorum in Declaratione locorum 1. Pet. 1. 20. Eph. 1. 9. 10. & 3. 9. in quibus non nisi de speciali præscientia mediatoris Christi agitur, collatione patere, *præscientiam Dei non esse nudam, sed cum æterno proposito conjunctam* non obscure innuit prępscientiam peccatorum aut peccati etiam primi Adami nudam Deo tribui non posse, sed eam quæ cum proposito sive præordinatione Dei æterna conjuncta est; quod quorsum spectet nemo non videt. Sollicitæ istæ & importunæ animadversiones arguunt, quæ sententia in animo lateat, quam omni vi propugnatam volunt & non suo loco, sed per occasionem tantum, quia fæda & turpis est, inculcatam. Certum enim est, per eam Deo prępscientiam veram adimi; imo Deo, proh pudor! peccata & scelera omnia tanquam authori & causæ transcribi, uti jam ante manifestum fecimus pluribus in locis.

Præscientiam divinam ita considerari vult Censor, ut necessario concludi debeat, eam esse peccatorum omnium causam.

Quæ secundo & tertio hujus ejusdem Sectionis membro censentur, ea non sunt nisi meræ λογομαχίαι, & huc non pertinent.

Sectione III. & IV. quamquam omnia ita concepta esse fatetur Censor, ut nihil habeant contra fidei analogiam, tamen hoc ei satis non est. Suspicio ubique rimas quærit & invenit: Ad quamlibet periodum hæret, hæsitatque ut

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Videntur, inquit, sedulo cavisse autores ne ita se exprimerent, ut subter-

ſubterfugium omne tolleretur Vorſtio, qui unionem duarum in Chriſto naturarum conſtituebat in influxu quodam divinæ virtutis in naturam Chriſti humanam, vel in aliqua divinitatis operatione, &c. Apolog. Exeg. pag. 89. Quæ Hæreſis in Neſtorio à veteri Eccleſia olim damnata fuit. Videntur, inquit, ex quo indicio? Nempe, quia in terminis non refutarunt Neſtorium. At ſic tandem videbuntur eodem jure caviſſe ſedulo ne ſubterfugium adimerent Eutycheti, Sabellio, Macedonio, & ſi qui alij olim fuerunt hæreſium patroni, quia nihil ex profeſſo contra eos dixerunt. Ex orco itaque revocandæ & nominatim damnandæ fuerunt ſepultæ jamdudum atque exoletæ omnes hæreſes, ut Confeſſio Cenſoribus his placeret. Sed quid mirum ſuſpicacibus his mortalibus aliter ſatisfieri non poſſe? Lutherus & Calvinus hujus ejuſdem ſuſpicionis aculeum effugere non potuerunt, quod videlicet Neſtorio faverent, quamquam contra eum diſertè multa ſcripſerunt; Vide Bellar. Cap. 4. lib. 3. de incarnat. Sed his miſſis, quomodo tandem videri potuerunt Remonſtr. ſedulo caviſſe ne ita ſe exprimerent, ut Doctori Vorſtio ſubterfugium omne tolleretur, cum certum ſit, D. Vorſtium non conſtituiſſe cum Neſtorio unionem duarum naturarum in Chriſto in divinę virtutis influxu, nedum in ſolo divinæ virtutis influxu. Locus qui ex Apologetica ejus exegeſi à Cenſore citatus eſt, id adeò clare probat, ut verbum addere opus non ſit. Iſthic enim id tantum agit, ut probet, non ſtatim laboraturam perſonalem duarum naturarum in Chriſto unionem, ſi divinæ Chriſti naturæ non tribuatur omnimoda iſta de qua ibi diſputat, immenſitas; Ratio eſt, inquit. Quia forma ſpecifica perſonalis unionis non conſiſtit, nec ſtatui poteſt, in ſola ſubſtantiali naturæ divinæ & humanæ indiſtantia ſive conjunctione. Alioquin enim non modo tota Trinitas (quippe eſſentialiter ubique præſens) verè incarnata eſſet, ſed etiam quilibet homo, immò quælibet beſtia, aut planta, denique quælibet creatura, licet abjectiſſima, unionis hypoſtaticæ revera particeps eſſet: Aliud itaque quid neceſſarium eſſe dicit, præter iſtam indiſtantiam in quo forma ſpecifica unionis iſtius ſita eſt: Quid autem illud ſit, non definit: Sive enim certo nomine exprimatur & vocetur vel influxus, vel illapſus arcanus perſonalitatis τȣ λόγȣ vel alia aliqua ſingularis Deitatis operatio, per quam humana Chriſti natura ad hypoſtaſin τȣ λόγȣ quaſi intimè attracta ſit, vel extraordinaria quædam Dei diſpenſatio, ut Tertullianus loquitur, ſive dicatur certo nomine exprimi non poſſe, ut Scholaſtici plerique volunt, id ei perinde eſt. Unde, quam longè à

Neſtorio abſit, haud obſcure videre eſt. *Sed nec ſatis explicitè excludunt*, *inquit*, *Socinianorum commenta contra Deitatem Chriſti*: Imò verò nulla Confeſſio magis explicitè commenta eorum excludit: Sed non ſatis explicitè fit, quod non fit ex formula, quam hic dictator præſcribit. Nempe, aut hæc formula ſequenda, aut Confeſſionis Belgicæ verba retinenda fuerant, ut Cenſori huic Academico ſatisfieret. At tanti non erat Remonſtrantibus Confeſſio Belgica, ut ad formulam ejus ſcriberent, idque in gratiam perſecutorum ſuorum, à quibus diriſſima quæque patiebantur, inter cæteras eam etiam ob cauſam, quod Formulæ iſti, & ſimilibus autoritatem iſtam deferre gravabantur, ut ad eam loquendum & ſcribendum ſit ne ἑτερόδοξος videaris. Tyrannidem iſtam abominabantur Remonſtrantes ſuſque habentes an perſecutoribus ſuis iſta ratione ſatisfieret, nec ne. Sufficiebat ipſis, ſi Deo, ſi animo ſuo, ſi bonis & æquis arbitris aut Lectoribus probarent Cõfeſſionem ſuam. Cæteris enim nunquam ſatisfit. Æger animus ſemper querulus eſt. Hinc eſt illud quod ſequitur, *Omitti non debuerat in orthodoxa hac Confeſſione, duas naturas in Chriſto ita eſſe unitas, ut utraq; ſuas proprietates retinuerit: Deinde Anabaptiſtarum errori anſa fuerat præſcindenda, qui, et ſi fateantur Chriſtum ex Maria Virgine natum, non tamen fatẽtur ex Virginis ſubſtantia conceptum*. Primum quod attinet, hæreſin illud Eutychetis ſpectat. Eam autẽ revocare in memoriam nec conſultum putarunt, nec operæ pretium. Non conſultum; quia jamdudum exolevit, adeò ut vix quemquam eſſe credant Remonſtrantiũ cui ea ſapiat. Nec operæ pretiũ, quia nihil improbabilius, quam naturas uniri proprietatibus exſtinctis. Secundum quod attinet: Error iſte Anabaptiſtarũ, ne ſpeciem quidem habet probabilitatis, nec credunt quemquam Remonſtrantiũ eſſe, qui de eo amplectendo vel ſomniavit. Neque tamen errorem iſtum tanti faciendũ eſſe putant, ut propter eum quis in fundamento errare cenſeri poſſit aut debeat, dummodo fateatur Chriſtum hominem natum eſſe. Modus naſcendi humanitatem non conſtituit; Id docet exemplũ Adami, qui ex terra formatus fuit, & verus tamẽ homo fuit eademq; qua cæteri homines, humanitate præditus. Aliud eſt negare Chriſtum hominem eſſe, aliud negare Chriſtum ex ſubſtantia matris ſuæ natum eſſe. Iſtud ſine periculo ſalutis fieri non poteſt; Hoc poteſt, & tum maximè, cum creditur nullos homines, quicunque tandem ſint, ex ſubſtantia matris ſuæ naſci, prout Anabaptiſtæ non pauci credunt. Sic enim quæſtio tota, phyſica fit diſputatio; quam quis decide ſine erroris periculo? Et erubeſcit caſta mens, quæ in diſputationes

Hæreſin Eutychetis cur ex profeſſo non damnaverit Declaratio Remonſtrantium.

Anabaptiſtarũ error de origine carnis Chriſti cur ibidem non ſit damnatus.

Men

Mennonis aliorumque impudicas sane & impudentes incidit.

Sectione IX. Cum nihil habeat quod censeat, imò cum fateatur Remonstrantes verbis saltem fateri, quod verum est, reperit tamen suspicax Doctor, quod sugillet & admordeat, sed subtilitatis tam acutæ dente, vt morsus non appareat, *Partiuntur*, inquit, *salutem nostram inter meritum & efficaciam, &, inter præconium & exemplum, &c. si nempe rationem formalem, cur Christus sit servator noster, spectemus.* Atqui Remonstrantes non partiũtur inter modos istos, sed eos conjungũt, & simul Christo tribuendos esse contra Socinum affirmant. In quo autem modorũ istorum, ratio formalis cur Christus sit Servator noster, consistat, non definiunt. An hoc necesse erat? Quis non fastidat λεπτολογίας istas Academicas? Deinde dic Censor, cur ratio formalis, sive vis formalis, sive vis constitutiva officij Salvatoris, ut Academicè loqueris, non consistit in omnibus istis simul sumtis, sed in uno isto, quem tu adsignas, actu? Quæ vel regula, vel ratio cogit, ut in uno indivisibili illo actu constituatur specifica forma salvationis, sive officij potius Salvatoris? Cur salvandi officium, aut salvationis actus latitudinem non habet? An indignum quippiam Christo aut Christi Salvatoris officio tribuitur, si dicatur pluribus modis, & non uno tantum, id est, si dicatur præconio, exemplo & martyrio suo etiam salutem nostram procurasse? Atqui, inquit, sic servatores nostri essent omnes, saltem ex parte, qui præconio, miraculis, & exemplo salutis viam confirmant. Esto. Quid tum? Eo ipso quia ex parte Servatores essent, ab eo, qui perfectissimè Servator est, multum differrent. Certum est eos, qui id faciunt, idcircò Servatores tum sui, tum aliorum disertè appellari in Sacris. De Timotheo expresse dicitur, sic te ipsum servabis, & eos qui te audierint, 1. Tim. 15. 16. & de eo, qui avertit peccatorem ab errore viæ suæ, dicitur, quòd servet animam à morte, Iacob 5. 20. ut alia similia loca plura jam non allegem. Contrarium itaque potius colligendum erat, idcircò etiam Christum merito, imò majori jure vocari Servatorem, quia omnia ista primus excellentissima ratione præstitit. *Atqui*, inquit, *hac acceptione semel probatâ, facile erit Socinianis eludere, quæ ad propriam salutis rationem pertinent.* Nempe ergo, negandum etiam est id, quod verissimum est, ut Socino contradicas, & affirmandum id, quod falsissimum est, ut à Socino longissimè recedas. Putidi Theologi! Hoc est prostituere veritatem, & adversariis justam causam in errore permanendi dare, dum negatur id, quod verissimum est, ut asseratur & adstruatur id, de quo controvertitur,

Christus Servator noster est, non uno tantum modo sed pluribus & quidem in gradu excellentissimo.

titur, & quod adversarij falsum esse sibi persuadent. Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. *Deinde*, inquit, *verbis quidem fatentur Christum esse Servatorem merito & efficacia, sed intellectis eo sensu, qui meritum & efficaciam redemtionis destruit.* Ratio est, *quia Remonstrantes statuunt Christum nihil nobis morte sua meritum fuisse, sed tantum Patri suo jus acquisivisse, quo posset misereri eorum quibus proponeret conditionem salutis.* Detorsio hæc est, quæ retorqueri facile potest, si tollatur æquivocatio, sub qua luditur. Cum dicit Censor Remonstrantes asserere: Christum nihil meritum esse nobis sua morte, pronomen illud *nobis*, æquivocum est. Si enim significet paucos quosdam nominatim, irrevocabili decreto, ad vitam æternam designatos & electos, tùm certum est Remonstrantes affirmare Christum istis nihil meritum esse morte sua. Ratio est, quia electos tales dari nõ agnoscunt, aut si omnino darentur, ut Christus istis aliquid mereretur, nec necesse erat, nec possibile, ut postea demonstrabitur. Gratiam enim Dei quomodò istis mereri Christus potuisset, qui jam in flagrante gratia Dei erant per electionis prægressæ beneficium? Si pronomen *Nobis*, genus humanum significet, sub morte & condemnatione positum, tum falsum est Christum isti generi humano nihil meritum esse à Remonstrantibus asseri. Eo ipso enim quod Christus, innocentissimus cum esset, mortem tamen violentam subivit, & pretiosum suum sanguinem fudit, ex mandato Patris sui, id effecit & obtinuit à Patre suo, ut Pater isto sanguine, veluti sacrificio propitiatorio ex manu Christi accepto, cũ genere humano actu redire voluerit, id est, redierit in gratiam, sic ut justitiæ ejus, sive amori, quo justitiam amat, & odio habet peccatum, abunde satisfactum fuerit, & imposterum cum genere humano propitius, per eundem Filium suum, agere decreverit. Hoc itaque faciendo, magnum profectò beneficium, magnam gratiam generi humano meritus est Christus. *Atqui cum hoc dicunt Remonstrantes nihil dicunt*, inquit Censor, *Nam Christi merito non potest attribui id, quod necessariò meritum illud & decretum de mittendo Christo, & morti tradendo debuit præcedere. At intentio prævia reconciliandi sibi peccatores, & cum iis in gratiam redeundi, debuit præcedere decretum de mittendo Christo, & præcessit decretum illud. Ergo.* Quasi verò, cum Remonstrantes dicunt Christum meruisse, ut Deus in gratiam cum peccatoribus redire voluerit, per *τὸ voluerit* intellexerint meram intentionem, sive nudum affectum, & voluntatem Dei incompletam, quæ voluntas sive affectus benevolentiæ tantum est. Nugæ. Intentio hæc, quæ misericordiæ soboles est,

Ostenditur falso tribui Remonstrantibus, Christum nihil nobis morte sua meritum esse.

Quid Remonstrantibus sit, Christum meruisse ut Deus in gratiam cum peccatoribus redire voluerit.

præce-

præcessit completam voluntatem reconciliandi, sive actualem & efficacem reconciliationem, & præcedere eam necessario debuit: At cum voluisse Deum redire in gratiam dicunt Remonstrantes voluntatem completam intelligunt, quæ actualis reconciliatio est ex parte Dei, quatenus scilicet sacrificio isto interveniente, Deus, à parte sua, per justitiam suam, quâ odit peccatum, non amplius impeditur, quo minus misericorditer deinceps cum peccatoribus agere velit. Hæc Censorem non distinxisse mirum est. Volitio, quæ nil nisi intentio est reconciliandi sibi genus humanum, aut cum genere humano in gratiam redeundi, non supponit animum sive voluntatem jam efficaciter reconciliatam, sed tantum animum à reconciliando non alienum, si modo interveniat id, quod intervenire æquum est: Ut hujusmodi intentionem Pater haberet, Christus sanè meritus non est; ut vero haberet voluntatem cum peccatoribus in gratiam redeundi completam, sive efficacem, quam vocant, mereri eum necesse erat, quia, ut aliud quid mereretur, impossibile erat. Cæterum voluntatem Dei in gratiam redeundi cum peccatoribus distinguendam putant Remonstrantes ab actuali ejusmodi reconciliatione, qua fit, ut peccatores omnes actu jam Deo placeant, qualem Contra-Remonstrantes per electionem suam intelligi volunt. Et hinc est, quod dixerint Christum meritum esse sua obedientia ut Deus voluerit in gratiam redire cum peccatoribus, sublato scilicet impedimento isto, quod obstabat, quo minus ut Deus in gratiam cum iis vellet redire æquum erat, justitiæ scilicet illius, qua odio habet peccatum, & ex qua peccatori comminatus erat mortem. Nisi enim hoc statuatur, impossibile est ut intelligatur, quomodo Deus, satisfactione Christi posita, conditionem pœnitentiæ & fidei à peccatoribus exigere potuerit, ut per eam in gratiam cum ipso redirent, & remissionem peccatorum ab ipso consequerentur. *At*, inquit Censor, *si hoc tantum meritus est Christus, tum Christus nobis non est meritus fidem nec regenerationem.* Sanè ita est. Nihil ineptius, nihil vanius est quam hoc Christi merito tribuere. Si enim Christus nobis meritus dicatur fidem & regenerationem, tum fides conditio esse non poterat, quam à peccatoribus Deus sub comminatione mortis æternæ exigeret; imò tum Pater, ex vi meriti istius, obligatus fuisse dicatur necesse est, ad conferendum nobis fidem, & efficiendum in nobis omnia, quæ nobis, sub comminatione mortis, præscribit: quo nihil absurdius cogitari potest. *Atqui*, inquit Censor, *quomodo itaque benedixit nobis Deus omni benedictione spirituali in Cælestibus in Christo* Ephes.j.2.? ℞. Si pronomen

Ineptè dicitur à Censore: Christum meritum nobis esse fidem & regenerationem.

Ostenditur locum ad Ephes. 1.2. perperam à Censore allegatum esse.

Nobis, isto in loco credentes significat, tum ineptè id quæritur. Si verò significet peccatores, qua tales, tum sanè benedixit iis Deus in Christo, quando per & propter Christum iis gratiam ad credendum, & per fidem æternam peccatorum remissionem, & perpetuam cum Deo reconciliationem consequendum necessariam & sufficientem contulit. Quid? An hanc benedictionem negabit Censor esse benedictionem spiritualem? Non opinor. Nam cujus ergo benedictionis contemtæ aut neglectæ rei possunt agi, qui benedictionem istam divinam aspernantur? At, inquiet fortasse: Apostolus loquitur de omni benedictione. Ita est, At particulam universalem *omnis*, qua hic utitur Apostolus, istam fidei dationem, sive meritum potius fidei includere, unde evincet? Contrarium non obscurè id unum arguit, quod alioquin dicendum necessario sit, Apostolum cum ad Ephesios scribebat hæc verba, censuisse, Deum Ephesiis omnibus etiam ista benedictione benedixisse, seu benedicere voluisse, quod tamen Apostolum scivisse, imò scire potuisse incertum est; aut, si velit Censor Apostolum ex judicio charitatis tantum ita censuisse, fundamentum præcipuum adeoque unicum, quo omnes Epistolæ istius hortationes nituntur, incertum esse; quod tantundem est, atque Epistolam totam illusoriam facere, & plane enervare. Adde, quod benedictio intelligi non possit, quæ vim præceptionis divinæ funditus evertit. At benedictio, quæ significat collationem fidei, ex ipsa meriti Christi vi fluentem, evertit funditus præceptionem divinam, qua fidem præscribit peccatoribus, sub promisso vitæ & comminatione mortis; uti ex natura rei liquet. Quare, cum Censor subjicit, Remonstrantes revera dicere non posse Christum esse Servatorem nostrum efficacia, nisi simul dicant Christum ex vi meriti sui efficaciter in nobis fidem operari, vanissimum est. Ejusmodi efficaciam merito Christi tribuere est Euangelicæ totius Doctrinæ, quæ præceptis & promissis constat, naturam, & fidei atque obedientiæ universæ proprietatem planè negare. Si Christus tali efficacia Servator noster est, non potest noster esse Legislator, & fides atque obedientia nostra non est actus officij nostri, sed effectus meriti Christi, sive applicationis efficacis virtutis ejus in nobis. Tum Christus mortuus pro aliis non fuisset, quàm pro istis, quos Deus fide ista donaturus esset, & sic alii nulli in Christum credere tenerentur, aut contemtæ mortis Iesu Christi rei possent jure ullo agi; quod contra Scripturæ apertissima testimonia, & rationem rectam esse, manifestum est. At sic, inquit Censor, efficacia meriti Christi

tota

tota penes nos ſtabit, qui vocationem alioquin inefficacem, efficacem reddimus. Sanè, ſi efficacia meriti Chriſti eventum notet, id eſt, obediendi actum, qui nobis à Deo præſcribitur, &c, quo præſtito, beneficia morte Chriſti parta, actu conſequimur. Ubi præceptio locum habet, ibi efficacia hujuſmodi ſola locum habeat neceſſe eſt. Fieri aliter non poteſt: Nam alioquin à contrario nos ipſi non poſſemus meritoria cauſa eſſe noſtræ damnationis, & per noſtram culpam ſtare non poſſet, quo minus meriti Chriſti efficacia inefficax in nobis redderetur. Dices, Sic tandem nos ipſi Salvatores noſtri erimus. At hoc Scripturæ objiciatur, quæ ſic de nobis loquitur non uno in loco. An cum Scriptura loqui crimen eſt? Benignè tamen interpretanda eſt hæc locutio, fateor. Effectus enim uniuſcujuſque denominatio, primæ & principali cauſæ tribuenda eſt: In negotio autem ſalutis æternę, id ante omnia fieri æquum eſt. Conditio enim, cujus præſtatio medium ſive cauſa ſalutis aliquo modo dici poteſt, non modo eſt gratioſa per ſe; ſed & gratia ad eam præſtandam perpetim neceſſaria eſt, & præmium præſtanti promiſſum extra & ſupra omnem comparationem eſt. Ad eum itaque, unde omnia iſta proficiſcuntur, tota & ſola efficientia ſalutis jure omni referenda eſt, etiamſi efficacia, id eſt eventus gratioſarum omnium operationum ejus, ſive obedientia ipſa penes nos ſtet, eundem planè ad modum quo liberalitati alicujus veluti primæ & principali cauſæ adſcribendum eſt, ſi pauperem, mendicum, nudum, famelicum, ægrum & bonis omnibus vitæ hujus deſtitutum, veſte, cibo, medico, & neceſſariis omnibus donet, etiamſi penes pauperem iſtum ſtet, dona iſta omnia accipere, aut reſpuere. Quis adeò à ratione averſus reperietur, qui pauperi, mendico, nudo, egeno & ægro iſti præcipuè tribuendum putet, quod cibum, potum, veſtes, opes, ipſamque adeo ſanitatem habeat, idcircò tantum quia per ipſum ſolum ſtare potuit, ut ea non haberet? Loca, quæ pro ſe & ſua ſententia hic allegat Cenſor, ne ſpeciem quidem ullam habent, ad concludendum id, quod concludendum ipſi eſt. Quis enim ex eo quod Petrus dicit, *Deum nos regenuiſſe in ſpem vivam per reſurrectionem Ieſu Christi ex mortuis: Nos virtute Dei custodiri per fidem ad ſalutem*, & quod Paulus ſcribit; *Deum nos vocaſſe vocatione ſancta, ex ſuo propoſito & gratia quæ data nobis eſt in Jeſu Chriſto ante tempora ſæcularia*; quis, inquam, ex iſtis inferat hanc concluſionem? Ergo meriti Chriſti efficacia conſiſtit in eo, quod fides nobis efficaciter communicetur, ex vi meriti iſtius. Ne per decimam quidem conſequentiam quis elicuerit ex iſtis locis con-

Tota ſalutis noſtræ ratio tribuenda eſt divinæ gratiæ ut primæ & principali ejus cauſſæ.

conclusionem illam, uti fusius ostensuri sumus, cum loca ista examinabimus, ubi eorum tractandorum sedes erit.

In Censura Sectionis X. membrum primum de voce *Absoluta*, qua Calvinus, aliique utuntur in articulo de electione & reprobatione, ejusque sensu vero & genuino, jam ante excussum est. Nos actum non agimus, neque operæ pretium est. Res notior est, quam ut dissimulari debeat, aut distinctione frivola possit tegi. In secundo membro sectionis examinatur argumentum Remonstrantium, quo in Declaratione usi sunt, contra absolutam istam Calvini, Bezæ, & Synodi Dordracenæ tum electionem tum reprobationem. Argumentum hoc fuit: Si pro nostro considerandi modo Deus suos elegit ad vitam, prius quam Iesus à Patre ipsis destinatus sit Mediator, non necesse fuit, imò nec possibile quidem fuit pro illis veram peccatorum reconciliationem per Christi λύτρον fieri, quia eo ipso quod præcisè ad salutem electi sunt, in flagranti Dei gratia sunt, jamque à Deo amore summo & immutabili, qualis filiorum Dei & hæredum proprius est, necessario diliguntur. *Palmarium*, inquit, *est hoc Argumentum, Ideò diligentius incumbendum ut ambiguitates tollantur, &c.* Nempe ambiguitas in re plana quæritur, & nodus in scirpo. Distinctio Academica universale pharmacum est, & panacæa, qua se curant subtiles Doctores, cum in solvendo argumento laborant. *Verbum* elegit, *ambiguum est*, inquit, *Si enim intelligunt per verbum elegit decretum de eligendo, vel intentionem illam finis in mente divina, affectum etiam illum aut voluntatem miserendi, & salvandi generalem, eamque efficacem; concedimus non requiri destinationem præviam Mediatoris ad talem intentionem, quia Deus aliquibus intendit efficaciter talem finem, &c. Si v. per phrasin hanc, elegit ad vitam, intelligant rationem & modum voluntatis executivæ à Deo ab æterno institutum, negamus Deum elegisse suos ad vitam & gloriam illis donandam ordine prius quam ipsis Christus destinatus sit Mediator.* Distinctio hæc merus fucus est, quem hac ratione diluo. Intentio illa, quæ verbo *eligendi* primo loco significari dicitur, non est nudus affectus, sive mera tantum propensio in salutem creaturæ peccatricis, quæ ex misericordia divina oritur, sed voluntas sive decretum miserendi & salvandi efficax, uti Censor ipse loquitur, quo Deus efficaciter, & nominatim quidem aliquibus, puta, Petro, Paulo, Ioanni peccatoribus, salutem vult, & destinat. *Hæc intentio, hæc voluntas miserendi & salvandi efficax præcedit*, inquit Censor, *destinationem Mediatoris*; Hoc est quod Remonst. volunt. Inde sic infero; Ergo Deus nō tantū potuit velle efficaciter

Vindicatur Argumentum Remonstrant. quod posita Absoluta Electione & Reprobatione, reconciliatio per Christum facta penitus evertatur, tam respectu Electorum quam reproborum.

Distinctionis, qua Censores Verbum Eligendi ut ambiguum distinguunt, vanitas ostenditur.

salutem

ſalutem peccatoris, ſine prævia, ſaltem intenta Mediatoris ſatisfactione (quod tamen Cenſores hi Remonſtrantibus tanquam infamem hæreſin tribuunt) ſed & actu & efficaciter eam voluit: Satisfactio itaque Mediatoris pro peccatoribus nec neceſſaria fuit, nec poſſibilis. Ratio: Quia jam efficaciter volentem ſalvare, movere ad volendum ſalvare nec neceſſe, nec poſſibile eſſe ex terminis patet: At ſatisfactio Chriſti nulli alii fini ſervit, quam ad movendum Deum ut peccatoribus bene velit, id eſt, ut peccatoribus reconciliari & cum iis in gratiam redire velit. *At*, inquit Cenſor, *hoc pertinet ad ſecundam ſignificationem verbi eligendi, prout eligere ſignificat rationem & modum voluntatis executivæ à Deo ab æterno inſtitutum.* Ineptè. Nam ratio & modus iſtius voluntatis executivæ in Deo, ſecundum quem Deus prius Mediatorem deſtinat, quam ſuos ad vitam eligit, directè evertit primam electionem, id eſt, efficacem illam intentionem & voluntatem miſerendi & ſervandi. Ratio: Quia ſecundum illum ſtatuitur, Deum velle Mediatorem deſtinare, cujus meriti vi & efficacia moveatur ad volendum efficaciter ſervare peccatorem. Atqui eo ipſo deſtruitur prior illa intentio & voluntas efficax. Quis enim moveatur ad volendum id, quod jam efficaciter vult antequam movetur? Intentio ſalvandi efficax, ſive irrevocabilis & peremtoria voluntas, qua Deus nominatim Petrum & Paulum ſalvare vult, cum voluntate executiva, qua iis deinde reconciliari, aut qua Mediatorem iis dare vult, per quem ipſis reconcilietur, conjungi non poteſt; Velle efficaciter ſalutem peccatorum ut finem, & velle deinde reconciliationem & meritum ut medium, quo movearis ad volendum ſalutem peccatorum, ſunt ἀσύστατα, imò contradictoria. Velles enim ſimul & nolles. Ut res pateat, quæro: Electio ad vitam, ſecundo ſenſu accepta, prout *eligere* ſignificat rationem & modum voluntatis executivæ, quid ſuperaddit electioni primo modo acceptæ, prout ſignificat intentionem & voluntatem miſerendi & ſalvandi efficacem? Chriſtus ſatisfaciendo Patri, ſive Iuſtitiæ divinæ, quid mereretur aliud, quam ut Pater velit efficaciter ſervare quos ante obſtante juſtitia efficaciter ſervare velle non poterat ex ipſorum Cenſorum Theologia? Aſſignet Cenſor formalem effectum meriti Ieſu Chriſti, ubi talis efficax voluntas ſervandi præſupponitur. Dicere effectum meriti Ieſu Chriſti eſſe actualem reſtitutionem peccatoris in gratiam Dei, eſt nugari. Reſtituere enim actu aliquem in gratiam alicujus, aliud nihil eſt, quam efficere ut actu & efficaciter quis alicui bene velit; At hæc efficax voluntas, hic amor, hæc gratia, hic

Nullus formalis effectus meriti Chriſti dari poteſt, poſita efficace aut peremtoria voluntate ſalvandi.

paternus animus in Deo jam præcessit ex Censoris sententia: Nulla itaque vis, nullus effectus formalis meriti Christi adsignari potest à Censoribus. Ex quo patet etiam distinctionem hanc rei totius naturam evertere, & quæsitam tantum esse ad tegendum manifestam absurditatem. Nam secundum primam verbi *eligendi* significationem & receptam Censorum sententiam, quam ex Calvino citat & laudat Censor, ubi sic loquitur: *Sic Deus sua dilectione prævertet & antevertit nostram in Christo reconciliationem, imo quia prius diligit, postea sibi reconciliat*; Deus idcirco Christum dat Electis, quia Electos amat, & ex amore paterno eos jam ante gratos sibi habere vult: Hoc enim ipsis est τὸ eligere. At secundum alteram significationem, ideo Deus amat electos, quia Christus merito suo efficit non tantū ut amentur actu, sed ut amari possint: Non poterant enim amari efficaciter sine interveniente satisfactione, uti Censores ubique asserunt: Et hinc est, quod Christum semper constituant non ut causam efficientem Dei gratiam sive voluntatem salvandi peccatores, sed tantum ut medium gratiam jam efficaciter decretam à Deo & irrevocabili sententia destinatam, vel potius salutem ex gratia ordinatam, dans sive conferens. Nec satisfacit Censor, cum dicit, *Deum salutem peccatorum & gloriam suam prius intendiße ut finem, perindi uti Medicus prius sanitatem ægri vult, quam pharmacum, & ut studiosus prius doctrinam vult, quam studium & diligentiam, etiamsi pharmacum deinde & studium prius velint ac velle debeant quam sanitatem & doctrinam consequi poßint*. Nam diversa longè hic est ratio, quia medicum sanitatem ægri ut finem velle, & pharmacum deinde velle porrigere ad procurandum intentam sanitatem, non repugnant sibi invicem. At Deum velle efficaciter salvare peccatorem & velle deinde Mediatorem destinare, cujus merito efficiatur ut velit servare peccatorem, ea sunt incompatibilia. Si medicus vellet sanitatam ægri & pharmacum deinde vellet quo moveretur ad volendum sanitatem ægri, tum par aut similis esset ratio. At pharmacum est medium tantummodo faciens ad sanitatem ægri procurandum, non autem ad efficiendum ut medicus sanitatem ægri velit: Meritum autem Christi, eo ipso quia meritum est, ut medium statuitur, quo procuratur non tantum salus peccatoris, sed ipsa divina gratia, id est, quo Deus movetur ut velit salutem peccatoris, quam alioquin velle non poterat, ex Censorum mente. Quare, cum Deus statuitur jam ante destinatum meritum Christi, voluntatem illam salvandi efficacem habere, fieri non potest ut meritum Christi tanquam medium

Calvinus à Censore citatus, Censoris distinctionem manifeste redarguit.

Similitudo à Censore pro distinctione ipsius allata refellitur.

Meritū Christi non est tantum medium salutem jam

dium ſubordinetur iſti voluntati. Et hoc eſt perpetuum Cenſoris σφάλμα, quod Chriſtum ejuſque meritum in voluntate executiva præcedere velit ſalutem noſtram, ſive dationem ſalutis, vel, uti aliquando loquitur, voluntatem dandi ſalutem, cum de eo non quæratur, ſed de ipſa volitione ſive voluntate Dei efficace, qua ſalutem peccatoribus vult efficaciter. Hanc enim Deo tribuere ſine intercedente Chriſti merito, eſt meriti Chriſti tum vim tum neceſſitatem plane tollere: Effectus enim meriti Chriſti eſt reconciliatio Dei cum peccatoribus. Reconciliatio autem activa aliud nihil eſt, quam efficientia voluntatis ſalvandi, loco voluntatis perdendi. Itaque aut voluntas ſalvandi efficax non præceſſit, aut, ſi præceſſit, Chriſtus peccatoribus reconciliationem cum Deo non promeruit. Ex his facile intelligitur omnia ea, quæcunque ad hanc rem diſtinctionis hujus ſuæ fuco operoſe incruſtandam adducit Cenſor, ſi propius videantur, nihil habere in receſſu, quod veri ſpeciē præ ſe fert.

ante efficaciter deſtinatam procurans, ſed & gratia divina peccatoribus impetrans.

Deinde, addiderant Remonſtrantes & ſolide demonſtraverant in Declaratione ſua, meriti Chriſti neceſſitatem ſimul ac vim omnem tolli in ordine ad Reprobos qui vocantur. *Horum*, inquit Cenſor, *alia eſt ratio: Etſi enim non negemus expiationem à Chriſto factam verè ſufficientum fuiſſe pro hominum omnium ſalute, fatemur tamen eos ſua culpa ita excludi ab expiatione per Chriſtum facta, vt eis non ſit revera cum electis communis.* At, non quærunt Remonſtrantes quid Cenſor dicat ſe negare aut fateri; Norunt elaboratas iſtas confeſſiones, quas tegendæ abſurditati comminiſcuntur Cenſores: Sed quid ex natura doctrinæ de reprobatione, qualem ſtatuit Calvinus cum ſuis, neceſſario ſequatur: An videlicet ex ea non ſequatùr, Chriſti meriti univerſam vim atque efficacitatem funditus tolli in ordine ad reprobos, ita ut ad eos eo ipſo, quia ante à Deo reprobati ſunt, non magis pertineat vis meriti Chriſti, quam ſi meritum Chriſti vim nullam in ſe haberet, aut meritum Chriſti prorſus nullum eſſet. Hoc affirmant, & natura rei id adeo evidenter docet, ut palpari poſſit conſequentia. *Sufficiens*, inquit, *eſt expiatio Chriſti pro hominum omnium ſalute.* At hoc ipſo confirmatur ratio Remonſtrantium, qua probant Calviniſtas vim omnem meriti Chriſti enervare, quia videlicet ſtatuunt, Deum expiationem Chriſti, quæ in ſe vim ſufficientem expiandi habet, communem eſſe nolle reprobis, nullam aliam ob cauſam, quam quia eos abſoluta voluntate reprobavit ad æternum exitium. Voluntas itaque divina ſola cauſa eſt, qua fit ut vis meriti Chriſti, per ſe & in ſe alioquin ſufficiens, non pertingat ad eos, nulla propria aut

Meriti Chriſti vim in ordine ad Reprobos, qui vocantur, per abſolutam electionem & reprobationē funditus everti, contra Cenſoris exceptionis adſtruitur.

Confirmatur ex eo ipſo, quod Cenſor meritum Chriſti ſufficiens fuiſſe aſſerat pro omnium hominum ſalute,

Exceptio de culpa Reproborum propria diluitur.

vincibili eorum culpa. Quod enim Censor addit, *Eos sua culpa excludi ab expiatione facta per Jesum Christũ,* id futile est. Quæ enim culpa eorum esse potest, qui impotentes nati sunt ad expiationem illam amplectendum, præsertim cum impotentia illa per modum pœnæ ipsis sit inflicta, idque propter peccatum primi parentis ipsorum, ante aliquot annorum millia commissum? Deinde quæ culpa eorum esse potest in eo, quod expiationem illam, non dico tantum non possint, sed non velint credere pro se factam esse, cum eam Deus pro ipsis fieri noluerit? Mirabilis culpa, quæ ex pœnali impotentia oritur, & tolli non potest nisi per mendacem apprehensionem sive fidem rei falsæ, imò quæ culpa est propterea tantum, quod reprobus non apprehendat aut non credat id, quod falsum est, & culpa non foret si apprehenderet, id est, persuaderet sibi verum esse quod falsum est. Hæc res, cum sit tam manifestæ & palpabilis falsitatis, non dubitavit tamen effrons Censor asserere, certum esse eos qui contrarium affirmant, *non solum cælum terræ, sed etiam cælum inferis miscere.* Quid facias tam protervis dictatoribus? Cælum augustum nimis sibi futurum metuunt, & inferos sibi nimis vicinos, nisi reprobi omnes in totum cælo exclusi, infernalibus tantum flammis destinati serventur: Deum justo clementiorem futurum sibi persuadent, si spem ullam cæli reprobis faceret. Nec satis est eos nulla propria aut vincibili culpa sua cælo excludi, & propter peccatum primi parentis sui in cruciatus tartari æternos præcipitari; etiam crudeliter illudendi adhuc sunt: Iubendi sunt credere, cælum sibi sanguine Christi reseratum patere, & se à cruciatibus inferni immunes factos, quod falsissimum est; & culpæ eorum deputatur, si id aut non credant aut credere nolint, cum id credere nec possint nec debeant: quin & damnationi eorum aggravandæ id facit. Quid est, non dico cælum terræ, sed cælum inferis, & divinas justissimas actiones tyrannicis ac diabolicis miscere, si hoc non est? Locum pro hac tam detestabili sua opinione citat Censor ex Ioan. 11. 52. *ubi mortuus* (vel moriturus potius) *dicitur Christus ut filios Dei dispersos colligeret in unum.* Sed citat tantum, & quidem truncatum, proque Censoria sua autoritate addit; *ubi per filios Dei soli Electi significantur, qui & Oviũ nomine intelliguntur, &c.* At hoc est τὸ κρινόμενον: An videlicet per filios Dei ibi intelligantur electi, qui ex mente Censorum vocantur electi, oppositè, ad absolutè reprobatos: Hoc probandum erat Censori. Id ne tentavit quidem, & si tentasset, sensisset sibi hærere aquam. Est enim manifestè falsum: quod observare potuisset, si

Locum ex cap. 11. 25. Ioannis à Censore perperam citatum esse ostenditur.

modo

modo textum non truncatum, ſed integrum citaſſet. Sic enim habet: *Hoc autem ex ſemetipſo non dixit* (Cajaphas) *ſed quũ eſſet Pontifex maximus anni illius, prophetavit fore, ut Ieſus pro gente moreretur: Nec pro gente ſolum, ſed ut etiam filios Dei diſperſos cogeret in unum.* Manifeſtum enim eſt verba iſta reſpicere ad verba Cajaphæ, quibus dixerat cõducere Iudæis, ut unus homo moriatur pro populo ὑπὲρ τοῦ λαοῦ; quem populum deinde Euangeliſta appellat τὸ ἔθνος, & tota gens non pereat, καὶ ὅλον τὸ ἔθνος, quam gentem deinde appellat τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα, ſive eo ſignificentur Iudęi in varias oras diſperſi, ad quos poſt mortem Chriſti, Euangelium regni promiſcuè propagatum eſt; Sive ſignificentur Gentiles, quos omnes antea ex numero filiorum regni, id eſt, populi Dei jure ac cognominatione ſegregatos, Deus per & poſt mortem Chriſti pro filiis ſuis, id eſt, pro populo ſuo, non minus quam Iudæos, cenſiturus erat: Sive intelligantur pii & probi, tam inter Iudæos diſperſos, quam gentes longè lateque diffuſas, quibus ſolis mors Chriſti annuntiata, profutura erat: Hujuſmodi enim, *Ovium* nomine, & eorum *qui ex Deo ſunt, qui bona faciunt, qui ad vitam æternam* τεταγμένοι *ſunt*, deſignari ſuo loco probabimus. Quicquid ſit, manifeſtum eſt, *filios Dei* diſperſos ibi contradiſtingui à gente iſta tota, id eſt, à toto populo Iudaico, & dici Chriſtum non minus pro tota iſta gente moriturum, quam eo fine, ut filios Dei diſperſos cogeret in unum. Pro gente autem ſignificare iſthic pro electis ex gente iſta, non autem pro cæteris, quos antea à Deo reprobatos volunt, qua vel ſpecie admitti poteſt?

EXAMEN CENSURÆ IN CAPUT IX.

De Cognitione voluntatis divinæ in Fœdere Novo patefactæ.

IN hac Cenſurâ, nihil ſingulare occurrit accuratâ animadverſione dignum. Pleraque omnia ſunt impertinentia, & ſuis ſingula propriis locis, videlicet Capp. xvij. & xviij. examinanda venient: Nos ſtrictim, & levi brachio, quæ hic cenſentur, percurremus.

Sectione I. carpit Cenſor, *Quod in Declaratione non ſufficienter declaretur primum illud caput divinæ Voluntatis, per ea quæ Deus à parte*

sua illud per Iesum Christum Filium suum in nobis aut circa nos facere decrevit, vt salutis æternæ per ipsum oblatæ participes efficiamur: Omittit enim, inquit, *talis declaratio, non solum decretum de Christo mittendo & capite omnium eligendorum constituendo, quod certè decretum in Euangelio etiam nobis declaratur, sed etiam decretum de salute æternâ, in intentione divinâ & suo tempore offerendæ:* Inepte. Verba declarationis videantur, & res patebit: Sic enim habet declaratio: *Porro, Voluntas Dei fœdere gratuito comprehensa, quam nobis in Euangelio suo summus propheta noster, unigenitus Dei Filius clare ac plene revelavit, duo præcipua capita complectitur.* Christus itaque non mittendus, sed jam missus hic præsupponitur: Decretum ergo de mittendo Christum, & de salute per Christum comparanda & comparata, præsupponi etiam, necesse est. Et quî posset aliter? De eo, capite præcedente octavo toto actum fuerat: Hoc itaque capite, ut idem ageretur, inepte petitur. Res ipsa loquitur. Ordinis ratio postulabat, ut hic non ageretur de salute per Christum parta, de qua jam actum fuerat, sed de modo quo Deus homines peccatores, partæ per Christum salutis participes facere voluit, juxta Fœderis Novi formulam. Primum enim decretum est, de redimendo & reconciliando mundo per Christum: Deinde sequitur decretum prædestinationis de quo hic agitur.

Inepta Censura & quam ipsa declarationis verba manifeste redarguunt.

Alterum quod hac sectione carpit, est, quod cum Remonstrantes dicunt, *Fœdus Novum comprehendere ea, quæ à nobis mediante sua gratia Deus omnino fieri vult, si salutem æternam reipsa consequi velimus; non videantur distinguere inter credere & facere.* De hoc jam ante aliquoties actum est, & agetur plenissime in cap. de fide & justificatione per fidem: Videtur itaque, hic tantum solvitur per non videtur.

Accedit, inquit, *quod non tantum Fœdere illo in Christo, proponuntur conditionaliter ea, quæ Deus à nobis mediante sua gratia fieri vult, si nempe velimus, &: Sed cum expressa conditionis exhibitione & præstatione, à Deo ipso in nobis & per nos efficaciter perficiendæ, non à nostro ipsorum arbitrio suspendendæ:* Hoc falsum est, uti suo loco demonstrabitur, si per verba exhibere, præstare, & efficaciter in nobis & per nos efficere conditionem Fœdere præscriptam, intelligatur, ut intelligi à Censore certum est, modus ille exhibendi, præstandi & efficaciter perficiendi, qualem Censores statuunt, id est, modus qui irresistibilis, vel potius inevitabilis est. Præscriptio conditionis & modus talis, quo conditio ipsa efficitur in iis, quibus præscribitur, sunt

Ostenditur falsum esse quod Censor adserit, in Fœdere Novo non tantum præscribi conditionem, sed etiam irresistibi-

ſunt incompatibilia. Conditio non eſt conditio, quæ ab eo, qui eam præſcribit, in eo, cui præſcribitur, efficitur. Merus effectus præſcribentis non poteſt eſſe conditio præſcripta, nedum præſtita. Qui conditionem præſcribit alteri, is vult ut conditio ab altero præſtetur. Si in eo efficitur, conditio eſſe deſinit: & qui eam ipſe efficit, is eo ipſo conditionem amplius eſſe non vult, quia eam fieri non vult ab illo, ſed in illo vult efficere. Ratio recta hoc dictat. Nec contrarium evincitur ex locis Ierem. 31. 31. Heb. 8. 10. & ſeqq. uti in examine locorum illorum fuſe demonſtrarunt Remonſtrantes, in Actis & Scriptis ſuis Synodalibus, & nos ſuo loco etiam clariſſime demonſtrabimus. *Atqui*, inquit Cenſor, *manifeſte loquuntur loca de Fœdere, quod Fœderati non faciunt irritum, & quod à primo illo differt, quia ipſi non perſtiterunt in illo.* Recte. Sed phraſibus iſtis ſignificari, ſimpliciter fieri non poſſe, aut ſimpliciter non futurum, ut qui ad Fœdus illud pertinent, Fœdus illud irritum faciant, hoc vero eſt quod quæritur. Contrarium, (ut jam alia non allegem, quia ſuo loco hac de re plene agetur) ex variis teſtimoniis luce clarius liquet, ubi multi *conſilium Dei irritum feciſſe, Deum repuliſſe, ſeipſos indignos judicaſſe vita æterna, filium Dei ſibi iterum crucifigere, filium Dei conculcare, ſanguinem fœderis, quo fuerant ſanctificati, profanum ducere, Spiritum gratiæ contumelia afficere*, (id eſt, uti ex textu liquet, irritum poſſe facere Fœdus Novum: Opponitur enim, aut potius comparatur. Fœdus hoc, Fœderi veteri ſive legi Moſis, quam *qui irritam fecerit*, ἀθετήσας enim eſt in textu, *abſq; miſericordia ex duorum aut trium teſtimonio jubetur occidi*) aliaq; ejus generis plura tum poſſe facere, tum actu feciſſe leguntur. Et, ſi nihil aliud, certe ipſa fœderis formula, monere Cenſorem debuiſſet, ac niſi velit θέσιν, ſuũ διαφυλάττειν movere eum potuiſſet, ut crederet verba præciſe accipienda & in ſenſum iſtum quem vult, trahenda non eſſe. Nam formula fœderis diſerte habet, *quod Deus poſt dies iſtos paciſci, ſive pangere Novum fœdus vellet*, & quidem idcirco, *quia populus non perſtiterat in fœdere Veteri, quod cum Patribus eorum pepigerat.* Quare, ſi per verba iſta: *Ego indam leges meas menti eorum, & cordi eorum inſcribam*, velit intelligi efficaciam, ſive irreſiſtibilem iſtam conditionis præſcriptæ in Novo fœdere effectionem, ut ita dicam, tum neceſſe eſt, ut fateatur, ante illos dies effectionem illam locum non habuiſſe. Nam, ſi habuit locũ ante dies illos, quid itaq; promittet Deus ſe poſt iſtos dies effecturum? An uberiorem gratiã? At ſic non promitteretur ipſa effectio conditionis, ſed effectionis (ut ita dicam) quantitas, quod contra textus verba

liter à Deo præſcribente effici.

Quid ſit apud Ieremiã cap. 31. 31. Fœdus Dei non facere irritum & in eo perſtare.

Lucæ 7. 30. Acto. 13. 46. Hebr. 6. 6. Hebr. 10. 29.

Deum Leges ſuas indere menti & cordi inſcribere quid ſit.

verba est: Tum, gratia uberior nulla esse potest, quam qua efficaciter conditio ipsa præstanda efficitur: Efficacitas hujusmodi gradum non habet; in indivisibili consistit; uti ex natura rei liquet. Quæro itaque: Promissio hæc, si istud quod vult Censor continet, ad quos pertinet, aut in quibus sortitur effectum? An in electis? Atqui illi jam ante dies illos non minus permanserant in fœdere Dei, quam qui post illos dies futuri erant. An in reprobis? Atqui ii nec in V. nec in Novo fœdere perstabunt, nec perstare possunt. Aliud itaque promittere Deum verbis istis concludere poterat & debebat Censor. Quid autem illud sit, suo loco dicemus, & jam sæpius à Remonstrantibus dictum est.

Sectione II. taxat Censor, quod Remonstrantes *decreta ista duo de credentibus eligendis, & incredulis à salute reprobandis, decreta vocent, quæ ad salutem nostram facta sunt. Ergo*, inquit, *quosdam decrevit Deus reprobare & damnare ad salutem aliorum; quod si ita est, non voluit ab æterno omnium salutem*. Mira subtilitas, dicam, an futilitas? Phrasis *ad salutem nostram*, qua usi sunt Remonstrantes, nihil aliud significat, quam eo fine, ut Deus nos consideratione duorum ejusmodi decretorum, ad salutis nostræ studium potenter exstimularet: Nam sic demum statuitur necessitas simul atque utilitas officii sive fidei & obedientiæ nostræ, si decreta ista duo conjungantur. Utilitas, quia per fidem & obedientiam ad salutem & vitam æternam nos perventuros, ex primi decreti formula intelligitur. Necessitas, quia sine ea nos ad salutem non perventuros, imò à salute æterna reprobatum iri, ex secundi decreti formula cognoscitur. Aliud nihil ista phrasi significatum voluisse Remonstrantes, ex sectione declarationis tertia in terminis liquet. Qui id culpat, næ ei sana mens non est.

Quo sensu Remonstrantes decreta Dei de fidelibus eligendis & incredulis reprobandis, decreta ad salutem nostram vocent.

Geminum huic est, quod subjicit; Remonstrantes cum dicunt, *Deum decrevisse solos credentes, & in fide atque obedientia usque ad mortem perseverantes, per Christum ad salutem æternam eligere sibi in Filios, & quæ sequuntur; eo ipso evertere dogma suum, quo statuunt, justificatum excidere posse à justitia sua & perire*. Hæc enim nil nisi mera λογομαχία est. Nam, cum de electione ad salutem & vitam loquuntur Remonstrantes, non loquuntur nisi de electione ad vitam peremtoriâ, quæ dicitur: Hæc autem supponit fidem & perseverantiam in fide ad finem usque, ac proinde adoptionem, justificationem, & obsignationem Spiritus S. durantem, sive ad finem usque vitæ continuatam, aut saltem in fine ipso permanentem, quæ Petro est, *electio confirmata* 2. Pet. 1. 10. Huic Remonstrantium sententiæ, non repugnat illa, quâ

Electio ad salutem peremtoria distinguenda est ab ea quæ non est peremtoria sed intercisa.

quia ſtatuunt fieri poſſe ut is, qui ſemel juſtificatus eſt, juſtitia tamen & ſalute ſua ante finem vitæ ſuæ, propriâ ſua culpâ, excidat. Iuſtificatio enim iſta, & quæ eam conſequitur electio ad gloriam, non eſt peremtoria juſtificatio, quia non eſt continuata ſive firma, ſed interciſa juſtificatio, quæ coram Deo nulla fit, quia, uti diſertè Propheta Ezechiel habet cap. 18. *Si juſtus à juſtitia ſua deficiat*, &c. *omnium ejus juſtitiarum Deus non recordatur amplius*. Neque tamen idcirco juſtificatio iſta, non eſt vera juſtificatio. Veritas enim non proprie opponitur ei, quod non ſemper durat, ſed proprie opponitur ei, quod falſum eſt, ſive duret ſemper, ſive non duret. Sic peccator ante converſionem verè peccator eſt, & reus divinæ iræ, etiamſi converſus peccator eſſe deſinat, & divini favoris & gratiæ particeps fiat.

Vera juſtificatio eſſe poteſt etiamſi non ſit peremtoria.

Deinde, inquit, *ſecundum decretum de conferenda omnibus gratia efficaci, &c. malè ponitur ordine ſecundum, quia in primo decreto ſupponuntur aliqui actu jam credidiſſe, & uſque ad finem vitæ perſeveraſſe in fide & obedientia, quod ſine decreto ad fidem vocandi & gratia donandi, fieri non potuit*: Perperam. Nam decretum prius nudè conceptum, non eſt decretum de perſonis certis, nominatim vitæ æternæ deſtinandis, ſed tantum decretum de conditione, qua Deus perſonas, id eſt, homines omnes ſaluti vult deſtinare, cui conſequenter includitur iſtarum perſonarum, quæ credituræ ſunt, deſtinatio ad ſalutē, ex vi ſcilicet decreti iſtius generalis, ſolâ interveniente divina ſcientia. Hoc autem decretum exprimitur ordinarie hac phraſi, Volo credentes ſalvare, id eſt, non alia conditione homines ſaluti deſtinare, quam ſi credant, oppoſite ad operarios & alios quoſcunque.

Poſt hæc dicit: *Vtrumque illud decretum Dei tam de ſalvandis fidelibus, &c. quam de danda efficaci gratia omnibus vocatis, non poſſe, ex Remonſtrantium ſenſu, dici factum ad honorem Ieſu Chriſti, Filij ipſius dilecti: Vtrumque enim*, inquit, *potius ad honorem hominum, ſi ſint aliqui qui credunt & ſervantur, factum eſſe ex eorum placitis conſtat, quia poſt decretum de mittendo filio, & omnibus quæ ad ſalutem hominum acquirendam faciunt peragendis, fieri poteſt ut nullus ſit electus, nullus fidelis ad mortem uſque perſeverans*. Mirabilis collectio, & digna Academicis Sophiſtis. Quaſi verò honoris, dignitatis, majeſtatis, gloriæ & excellentiæ I. C. Regiæ ratio à voluntate hominum pendeat: Ne quidem in hominibus id verum eſt: Honor Regis in eo ſitus eſt; quod juſta in ſubditos poteſtate ſit præditus, & quod per ipſum non ſtet, quo minus ſubditi omnes bene habeant, ſive ſubditi pareant ei, ſive ſecus. Sub-

Majeſtatem Regiam non facit ſubditorum voluntas, ſed juſta & legitima poteſtas.

ditorum voluntas, non facit regiam Majeſtatem, ſed ſubditorum officium. Honor, gloria, majeſtas, & excellentia regia in poteſtate eſt, qua poteſtas juſta eſt, ſive ſubditi obediant, ſive obedire nolint. Alioquin Rex non eſſet Rex, niſi ex ſubditorum arbitrio, licet injuſtiſſimo. Quod ſi falſum eſt, uti ſine dubio falſiſſimum eſt, neceſſario conſequitur, fieri poſſe, ut Rex perfectiſſimo honore, majeſtate, & gloria regia ſit præditus, etiamſi nullus ſubditorum ſit, qui ei parere, aut debitum Regi honorem deferre velit. Eadem ratio eſt in regia hac majeſtate, ſive honore Ieſu Chriſti, ad quem regia poteſtas ſalvandi & damnandi Chriſto à Patre data eſt: honor iſte regius Chriſto domino integer conſtaret, etiamſi nullus eſſet, qui ei parere vellet. Nec merito Chriſti glorioſo quicquã decederet, etiamſi nemo eſſet (quod tamẽ futurũ nunquam eſt) qui meriti ejus particeps eſſe cuperet. Obedientia aut inobediẽtia noſtra, nec augent, nec diminuunt honorem poteſtatis, aut meriti Chriſti ulla ex parte. Quare putidum eſt, quod ait Cenſor, *Honorem hunc non futurum Chriſti honorem, ſed hominum, ſaltem hominum primo, præcipue & immediate, ſi ſtatuatur fieri poſſe, ut nullus Chriſtum apprehendat; imo fieri poſſe, ut ſanguinem & meritum ejus omnes conculcent pedibus*, &c. Hoc enim etiamſi fieret non tamen idcirco iſti Chriſtum privarent honore ſuo nedum omni honore, ut Cenſor ait: Sed tantum ipſi ſeipſos privarent honore beneficiorum Ieſu Chriſti, ſive fructu meriti Ieſu Chriſti, ſalvo manente ſuo honore Ieſu Chriſto, qui non definitur voluntate noſtra, ſed poteſtate ſuprema ac juſta, quam ipſi conceſſit Pater. Et honoris ſive poteſtatis illius ſignum manifeſtum in eo pateret, quod rebelles iſtos omnes, pro poteſtate ſua ſuprema, male perderet, meritoque ſupplicio afficeret. Et ſane, totus Chriſti honor in eo ſitus eſt, quod ſalvare poſſit ac velit omnes ſibi obtemperantes, perdere vero ac damnare omnes immorigeros ac parere nolentes: uſus hujus poteſtatis Chriſto honori eſt, in quamcunque partem vergat: Fructus & damnum ad nos pertinent. Nec Chriſto honor detrahitur etiamſi nemo ei pareat. Nec homini honor additur, ſi Chriſto pareat.

Eſt præterea, inquit, *oppoſitum in oppoſito, cum dicunt Deum efficacem gratiam conferre omnibus vocatis, qua reipſa credant & obediant, &c. niſi nova contumacia & rebellione gratiam Dei oblatam rejiciant: Non enim eſt efficax gratia, niſi quæ contumaciam veterem tollit & novam prævertit.* Hæc cenſura eſt vocis non rei. Efficax gratia Remonſtrantibus eſt, quæ non tantum prævenit voluntatem, & potentiam volendi

lendi,

lendi confert vocatis, sed quæ comitatur & adjuvat voluntatem hominis, sic, ut voluntas, quando actu vult, id est, credit & obedit Deo mandanti, isti ipsi gratiæ tanquam motrici caussæ principali tribuere debeat quod velit, id est, quod credat & quod obediat, etiamsi motioni ejus reluctari & rebellare suopte proprio motu potuerit: Efficaciæ enim sive efficientiæ denominatio, sumenda est à caussa prima & principali: quod adeo verum est, ut videamus in Scripturis passim, peccata quæ homines liberrima voluntate faciunt, sive quæ poterant non facere, diaboli ipsius opera appellari, & qui ea committunt ex diabolo natos & filios diaboli vocari, Ioan. 8. 44. 1. Ioan. 3. 8. &c. Et receptus tritusque in omnium pene mortalium ore sermo, adeo luculenter probat, denominationes hujusmodi tribui iis, qui aliis consilia tantum dant aut suadent aliquid, quamquam hi consilia ista aspernari possunt, ut impræsentiarum probatione alia nulla opus sit. Efficax itaque gratia Remonstrantibus hic est, quæ non solum apta nata est rebellionem tollere, quamquam rebellio ei opponi possit, sed cui ipse eventus sublatæ rebellionis adscribi primario debet, etiamsi fieri potuerit ut rebellio non tolleretur.

Quid Remonstrantibus sit Efficax gratia.

Efficaciæ denominatio à caussa prima & principali desumenda est.

Sectione III. conqueritur Censor, quod Remonstrantes *cum decretum primum, decretum Prædestinationis ad salutem &c.* esse dicunt, *ambiguitatibus suis & æquivocationibus omnia perturbent.* Sic enim *loquuntur de decreto isto, quo dicunt Deum decrevisse salvare credentes, ac si tales quidam reipsa eßent ante decretum, & tamen idem istud decretum tale decretum hic esse dicunt, quo posito stare potest, nullos esse ad salutem prædistinatos.* Coccysmus hic est: Decretum primum vocant Remonstrantes decretum Prædestinationis ad salutem, quia eo decernitur qua ratione & conditione Deus peccatores saluti destinet. Enunciatur autem hoc decretum Dei hac formula; Deus decrevit salvare credentes, non quasi credentes quidam reipsa jam sint, qui objiciantur Deo salvare volenti, sive prædestinanti; Nihil minus; sed, ut quid in iis, circa quos Deus prædestinans versatur, requiratur, ista enunciatione clare significetur: Tantundem enim valet atque si diceres, Deus decrevit homines salvare sub conditione fidei, non operum aut aliâ ullâ via: Hujusmodi decreto posito, stare posse, nullos esse ad salutem prædestinatos, natura ipsa rei loquitur. Cur autem decretum hoc non possit vocari prædestinatio ad salutem, non video. Prædestinatio enim non necessario est prædestinatio certarum personarum ad salutem, quæ nominatim fiat. Tum, etiamsi hujusmodi prædestinatio non sit prædestinatio certarũ persona-

Quid Remonstrantes intelligant per decretum quo Deus constituit salvare credentes.

rum, est tamen omnium hominum prædestinatio, si modo credant, & in virtute prædestinatio certarum personarum quæ & quando credunt. Ex vi enim prædestinationis ejusmodi generalis, prædestinati ab æterno censeri possunt, quicunque in tempore credunt. Sed hæc lis de voce tantum est & Logica sive Grammatica potius quam Theologica. *Fatetur tandem* ipse Censor, *decretum hujusmodi quale Remonstrantes vocant decretum Prædestinationis ad salutem, per Euangelium nobis proponi & in se verissimum* esse. Hoc satis est. Sed *negant*, inquit, *ullum esse aliud decretum Prædestinationis ad salutem & gloriam, & volunt hoc esse solum & totum decretum Prædestinationis ad vitam.* Ergo, concludo ego, decretum istud etiam esse & vocari recte, saltem ex parte, decretum Prædestinationis ad salutem: unde deinde porrò infero. Si aliud insuper decretum prædestinationis est, quo personæ, qua tales, prædestinatæ sunt ad salutem, tum decretum istud conditionale funditus everti, sive dicatur præcedere, sive subsequi. Conditio omnis stulte & ridicule proponitur iis, qui nominatim ac præcise jam ante destinati sunt saluti, aut sic post sunt destinandi. Quocirca ratio, qua Censor utitur, ut probet decretum Prædestinationis Remonstrantium non esse totum Prædestinationis decretum, *quia nullos homines designat, qui certo salvandi sunt, sed tantum est de mediis & modis, quibus Deus homines vult ad salutem perducere*, ratio, inquam hæc, contra ipsum militat. Idcirco enim, quia pro certo & pro verissimo habet cum Remonstrantibus, quod decretum istud conditionale de mediis & modis homines ad salutem perducendi, quod Remonstrantes Prædestinationis decretum vocant, in Euangelio propositum sit, uti jam ante confessus est, fateri necessario debet, decretum istud absolutum, quo nominatim & præcise, sive inevitabiliter, aut de facto, ut vocant, certas personas saluti à Deo destinatas esse vult, sive præordinetur isti Remonstrantium decreto, sive subordinetur, locum habere non posse. Alterum enim per alterum manifeste destruitur. Conditionale decretum & absolutum circa unam eandemque personam simul stare non possunt. Etsi vero decretum istud Remonstrantium de facto nullas certas personas prædestinet, segreget, vel libro vitæ inscribat (hoc enim fieri non potest nisi intercedat divina scientia) tamen decreti ipsius natura talis est, ut ex vi ejus, quia generale est, inscripti & prædestinati censeri debeant, quotquot in tempore conditionem præstant, adeo ut, etiamsi nulla intercederet divina præscientia, recte & jure dici posset, ab æterno prędestinatos esse in vi generalis istius decreti divini,

Decretũ Prædestinationis, de salvandis credentibus nõ potest consistere cum decreto absoluto hunc aut illum nominatim salvandi, sive præcedat sive subsequatur.

divini, quo Deus credentes salvare constituit, quotquot in tempore credunt. Interim, quando Remonstrantes decretum Prædestinationis ad salutem quo Deus salvare statuit credentes, decretum Prædestinationis totum ac solum vocant, non id volunt, quasi decretum, quo Deus præscit eos qui credunt & præscitos eos nominatim destinat saluti, eo tum non pertineat; Absit: Conjunctim tum ista decreta sumunt pro uno: Sed tantum id volunt, præter hoc decretum non esse aliud absolutum aliquod; ac proinde conditionale decretum, quod hoc Syllogismo toto comprehenditur: Deus decrevit credentes salvare; Petrus, Paulus, Iohannes credunt: Ergo: esse solum ac totum Prædestinationis decretũ ad salutem.

Atqui, inquit Censor, *Prædestinationis decretum habet certas quasdam personas destinatas, Deo notas, & ab aliis ipso prædestinationis decreto segregatas.* Hoc vero est quod Remonstrantes passim negant, si per personas certas intelligantur personæ nudæ, & quæ nominatim, ut ita dicam, designatæ ac destinatæ sint: Et per Prædestinationis decretum intelligatur peremtorium decretum Prædestinationis ad gloriam. Decreti enim Prædestinationis ad gratiam, quod etiam decretum Prædestinationis ad gloriam aliquo modo est, alia ratio est: Nec quæ à Censore citantur loca, in contrarium faciunt, Math. 20. 26. ubi *multi vocati, pauci electi* dicuntur, de electione non agitur. Vox enim ἐκλεκτὸς nomen est, non participium: & si omnino de electione ageretur, voxque ἐκλεκτὸς idem esset quod participium ἐκλελεγμένος, tamen de electione ista, quæ Censori probanda est, idcirco non ageretur; imo ex textu manifestum est, tum de electione ista verba interpretanda fore, quæ versatur non circa personas nudas, sed circa personas officium facientes, qua tales. Electi enim hi pauci, in protasi dicuntur esse isti ultimi, qui hora undecima vocati fuerant in vineam, & per illud tempus quo potuerant, gnaviter in vinea laboraverant, quibus paterfamilias speciali quadam dignatione (quæ electio merito vocatur) parem retribuerat cum cæteris mercedem. Locus Rom. 11. vers. 5. *Reservatio secundum electionem facta est*, agit manifeste de electione fidelium Iudæorum quos Deus eo ipso, quia eos caros sibi habebat, reservare ex communi populi Iudaici perditione, uti quidam interpretantur, vel, uti alij, ab æterna perditione, immunes præstare & sibi servare volebat. Evincitur hic sensus manifeste ex textu: Redditio enim est ejus, quod ante factũ fuisse in exemplo Eliæ indicatũ fuerat, uti patet ex particula similitudinis οὕτως. At ibi reservatio facta fuerat eorũ, qui non flexerant genua

Ostenditur locum Math. 20. 26. de Electione qualẽ Censor urget, non agere.

Similiter nec locum ad Romanos 11. 5.

ſua coram Baal: Ita etiam hoc tempore, inquit Apoſtolus, facta eſt reſervatio fidelium quia eos gratioſe elegit in populum ſuum, & populi ſui titulum retinere vult, etiamſi cæteri omnes deleantur & extinguantur.

Nec locum 2. ad Tim. 2. 19.

Locus qui ex II. Timoth. 2. 19. deſumitur, *Novit Dominus qui ſint ſui;* nihil habet quod vel in ſpeciem probet id, quod probandum eſt. Contrarium potius ex eo evincitur, uti etiam ex locis ſequentibus Luc. 10. 20. & Joan. 10. 3. Certum enim eſt, de Notitia iſtic agi approbativa, qua Dominus ita novit ſuos, ut eos aliquando ex morte in vitam ſuſcitaturus ſit, ut ſenſus ſit, hoc fundamentum Dei ſolidum, ſtat (quaſi dicat immotum) ſe; Reſurrectionem aliquando certo futuram, & ſigillum hoc ei appenſum ſemper ante oculos noſtros verſari debet, Dominus non relinquet ſuos (qui vid. ipſum diligunt & in fide ejus moriuntur) in morte, ſed caros eos habet atque intime eos diligit, quod dici nullo modo poſſet, ſi eos poſt mortem ipſorum in immortalem vitam non eſſet ſuſcitaturus. Per *ſuos* itaque, hic intelliguntur pij, fideles, ſancti, in fide & ſanctimonia morientes, niſi forte quis hic intelligi velit, fideles & conſtantes Dei miniſtros, oppoſite ad Hymenæum & Philetum, de quo contendere nolo. Ut ut enim ſit, ſemper manebit eadem, quæ jam alata eſt ſolutio; Non agi hic de perſonis nudis, ſed de perſonis qualitate aliqua bona præditis, &, ut ſic, divinæ vel notitiæ vel prædeſtinationi objectis. Argumentum vero quod deſumit ex fundamento iſto, quod *Chriſtus Filius Dei prædeſtinatus & conſtitutus eſt ab æterno Rex & caput electorum, quod fieri non potuit*, inquit, *ſi totum Prædeſtinationis decretum tale ſit, quo nulla infallibiliter aſſignentur Chriſto membra*, nullius prorſus eſt momenti. Nam cum Chriſtus prædeſtinatus ſive conſtitutus & datus à Deo dicitur in Regem & caput electorum, eo non ſignificatur, Chriſtum ſic prædeſtinatum & conſtitutum fuiſſe Regem & caput, quia vel jam ante aliqui electi erant à Deo ut membra Chriſti fierent, vel quod aliquos ſubditos & membra Chriſti fieri neceſſarium eſſet, ne Chriſtus non eſſet Rex aut caput: Nihil minus: Sed eo tantum ſignificatur, Chriſtum à Deo conſtitutum & deſtinatum fuiſſe, ut Rex & Princeps eſſet eorum omnium, quicunque libera voluntate ſe illi ſubmiſſuri erant, id eſt, Euang. ejus, quo ſubditos ſibi facere conſtituerat parituri, uti diſerte videre eſt Heb. 5. 9. *Et conſecratus, factus eſt autor ſalutis omnibus obtemperantibus ipſi*, & non obſcure confirmatur ex eo, quod Chriſtus Luc. 19. 14. & 27. innuit, ſe Regum deſignatum fuiſſe etiam *eorum*, qui ipſum repudiarunt, & *ſuper ſe regnare noluerunt*, Adde, niſi

Quo ſenſu Chriſtus dicatur prædeſtinatus & conſtitutus Rex & caput electorum.

ita

Ita esset, nec subditi Christo veri, id est vere Christo obedientes essent, nec cæteri Christo subditi esse tenerentur, quia designatus non esset in Regem eorum, nec vocari, moneri aut exstimilari jure possent, ut subditi Christo fierent, nec, si omnino fierent subditi, veri subditi essent, quippe qui Christo subjecti essent, non voluntate sua, sed necessitate, sicque Christus verus & spiritualis voluntarij populi Rex non esset. Si Christus non nisi voluntarij & liberi populi Rex est, utique Rex esse potest & Regiam majestatem habet, sive populus ei pareat sive non pareat. Prædestinatus itaque in Regem & caput, Rex & caput manet, etiamsi nec subditos nec membra habeat quæ ei obedire velint. Istos enim, ut rebelles, qui se subjicere regno & voluntati ejus non voluerunt, cum ex officio tamen id facere tenerentur, judicabit & puniet, quod Regiæ potestatis in eos signum est. Atqui, inquit Censor, Christus ipse Ioh. 6.39. agnoscit tales subditos, & talia membra se accepisse à Patre: *Hac est voluntas ejus, qui misit me Patris, vt quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud ultimo die.* Imo vero inquam, isto in loco non agitur nisi de subditis fidelibus Christi, Euangelio fidem habentibus & libera voluntate ei obtemperantibus, deque datione Patris, qua tales Christo dat servandos, sive suscitandos ex morte in vitam æternam, non autem de datione quâ dat eos Christo, ut fiant membra & subditi ejus. Similiter se res habet in loco Ioan. 10. vers. 29. *Pater meus, qui eas dedit mihi major omnibus est: neque quisquam potest eas rapere ex manu Patris mei.* Manifestum enim est, hic etiam agi de datione Patris, qua Christo oves suas fideles, & vocem ejus audientes, dat custodiendas à morte, & à vi ac violentia ejus, qui mortis habet imperium, non autem de datione, qua Christo oves dat, ut fiant Christi membra, nedum de datione qua Christo dari dicuntur à quibusdam, custodiendi & conservandi, ut nunquam à fide & obedientia mandatorum ejus possint deficere. Quod si quis tamen hæc loca etiam de datione illa Patris accipi velit, qua Pater aliquando dicitur probos & Dei timentes filio suo Christo dare instituendos & per Euangelium ac Spiritum suum salutaris veritatis cognitione imbuendos, non reclamabo admodum: Datio enim hæc præsupponit etiam non personas nudas, sed probitate & Dei timore præditas, & sic idoneas magis ad Euangelicam veritatem discendum & percipiendum, quod satis est ad ostendendum, loca hæc Censori non servire, ad probandum id quod probari oportuit. Sed quia disputationem hujus rei pleniorē Censor rejicit in cap. 18. ad 20. usque

Sensus loci Ioannis cap. 6.39.

Et loci Ioannis 10.29.

xx. uſque incluſivè, nos etiam hic ſuperſedebimus. Quod interim conqueritur, *Remonſtrantes, in declaratione ſua parum fideliter ſententiam ipſorum propoſuiße, nec ſecutos verba Synodi Dordracenæ, quam in margine citant*, nimis manifeſta calumnia eſt. Notior eſt ſententia eorum quam ut eam quis malâ fide proponere audeat, Fabri ſutoreſque id animadverterent. Et adeò fœda eſt, ſi modò nudè proponatur, ut ab ea toto animo abhorreat, quiſquis eam nudè proponi tantum aut videt aut audit. Quæſitis verbis aut phraſibus opus non eſt, ut horrida vedeatur. Sed verba Cenſor eadem vult, quibus *Synodus Dordracena* uſa eſt, nempe picta, quibus horrida ſententia veluti ſpecioſa veſte induta fuit, ne fœditas ejus pateret. Iſtas Synodi Dordracenæ artes norant & jam detexerant Remonſtrantes. Sciebant eam verbis ejuſmodi uſam, quæ vel cothurno ſimilia ſunt, vel adeò affabrè elaborata, ut ſententia ipſa, quæ iis continetur, vix animadvertatur: vel adeò molliter ſonant, ut cum ſenſu iſto duro atque horrido, qui ſubeſt, vix commune aliquid habere videantur. Iſtâ arte impoſitum fuit populo, & horrida ſententia obtruſa incautioribus, uti venena ſub auro ſolent. Hinc ſuis verbis ſententiam Synodi exprimere voluerunt, certi, ſe nihil niſi ipſiſſimam ejus ſententiam expreſſuros.

Diluitur Cenſoris calumnia, quod Remonſtrantes parum fideliter ſententiam eorum propoſuerint.

Poſt hæc negat Cenſor, *tale decretum Prædeſtinationis quale ab ipſis dogmatice ſtatuitur, incommodis iſtis laborare, quæ adſignat declaratio: Per calumniam ea ab adverſariis adfingi ſuis dicit.* Satis confidenter & pro more ſuo: Nos paucis videamus, quomodo iſtis ſe ſuoſque expediat, & calumniam eſſe oſtendat. *Manet enim* inquit, *Neceſſitas & conditio fidei & obedientiæ tanquam medij ſive modi, quo omnes electi ad vitam perducuntur:* Verba hæc ſunt: Decretum abſolutum non poteſt conditionale decretum, ut medium ſive modum habere ſibi ſubordinatum. Deſtinatio irrevocabilis ad vitam, & promiſſio vitæ ſub conditione, non niſi ſtultè conjunguntur: Qui eligit irrevocabiliter & nominatim aliquem ad vitam, ejuſque rei certiorem facit eum quem eligit; is ridiculum ſe facit, ſi eundem non niſi ſub certa conditione ſalvare, aut ad vitam perducere velit, & ſe ſic eum perducere velle declaret. Quiſquis etiam credit ſe irrevocabiliter & nominatim ſaluti deſtinatum eſſe, is, ſi ſapit, non niſi dicis cauſſa conditionem ſibi præſcribi, & ſub conditione vitam ſibi promitti intelligit. Si dicas rem hanc ita ſe habituram eſſe, niſi Deus conditionem ipſe efficeret in iis, à quibus eam exigit, tantò magis ridendum te propinas, & ſententiam te ridiculam habere oſtendis. Conditionem enim

Diluitur prima Cenſoris exceptio, quod, poſito abſoluto decreto, nihilominus maneat neceſsitas & conditio Fidei & obedientiæ, tanquam medij & modi, quo electi ad vitam perducuntur.

quis sapienter aut seriò præscribet alteri, sub promisso præmij, & pœnæ gravissimæ comminatione, qui eam in eo, cui præscribit, efficere vult? Hæc actio ludicra tota & vix scenâ digna est. Pergamus: *Manet rectus ordo*, inquit, *quo Deus ex intentione suos salvandi, modum executionis recto & sapienti ordine præordinavit.* Verba hæc iterum sunt, & mera principii petitio. Rectus ordo, & qui sapientem seriumq; legislatorem decet, pervertitur, quando absolutæ intentioni subjungitur intentio cum conditione: Nullus sapiens istum ordinem aut inibit aut rectum putabit. Legislator serius, totam suam Legislationẽ ludibrior exponit, cum conditionem præscribit iis, quos irrevocabiliter præmio afficere, & in quibus, quam præscribit conditionem, ipse efficere vult, seq; efficere velle non tantum significat iis, quibus eam conditionẽ præscribit, sed ab iis firmiter etiam id credi vult: Quot verba, tot pænè insipientiæ sunt signa. *Manet*, inquit, *Christi meritum, sine quo nemini salus confertur, nec alicui etiam decreta est ab æterno, ut absq; merito Christi, ejus fieret particeps.* Atqui eò ipso tollitur meritum Christi, quod sine eo nemini dicatur salus conferri, nec alicui sic decreta esse, ut ejus absque merito Christi fiat particeps: Sic enim meritum Christi non est nisi meritum salutis, cujus participes aliquando fient fideles. At meritum Christi, non est salutis tantum illius meritũ, sed meritũ gratiæ sive reconciliationis; proinde quòd immediate circa voluntatem Patris versatur: Christus enim merito suo effecit, ut Pater homini reconciliatus fuerit & cum eo in gratiam redierit, adeoq; redire voluerit: Hujus meriti vis atq; efficacia tollitur funditus, per decretum istud præcedens, quo Deus antea dicitur peremtoriè ad vitam elegisse & paterno amore dilexisse eos, ad quos meritum istud pertinere dicitur. Si enim hæc electio, hic amor, jam ante in voluntate Patris erat, quomodo Christus eos Patri suo reconciliavit, quomodo fecit ut Pater suus eos amare voluerit, aut ut cũ illis in gratiã redierit? Id sanè concipi non potest: Post decretum istud, fieri posse ut Christus salutem & vitam cõferat electis istis, nõ est ἀκατάληπτον, & hoc est quod Censor hic veluti Coccysmum occinit nobis, sed hoc ipsum est meriti Christi proprietatem & vim omnem è medio tollere: *Ex eodẽ decreto ministerij efficacia*, inquit, *promanat.* Inepte: Ministerium enim fit per verbum Euangelij: Verbum autem Euangelij, habet promissa, minas, orationes, obsecrationes, obtestationes, querelas, accusationes, increpationes, &c. quas subordinare aut coordinare velle decreto ejusmodi præciso salvandi, tantundẽ est atque

Si quisquam jungat vulpes & mulgeat hircum.

Diluitur secunda exceptio de recto & sapienti ordine quem manere Censor ait, posito etiam tali absoluto decreto.

Diluitur tertia exceptio, quod per decretum istud non evertatur meritum Christi.

Diluitur quarta exceptio, quod ex decreto isto absoluto Ministerii efficacia promanet.

Diluitur ultima exceptio, Quod à decreto isto Religionis veræ tota vis pendeat.

Denique Religionis veræ tota vis pendet à decreto isto, inquit, *in iis qui norunt, se salutis suæ proram & puppim in solo Deo habere, qui ejusdem sit author, promotor, & confirmator:* At cum Religio aliud nihil sit, quam officium hominis, quo obligatur ad parendum divinæ voluntati lege vel Euangelio enuntiatæ, & promissis ac minis sancitæ, Religionis vis per decretum istud tollatur necesse est. Decreti enim istius natura postulat, ut Deus in iis quos decreto isto irrevocabiliter vitæ destinavit, omnia ipse efficiat quæ inesse iis debent, ut ad salutem perveniant: At sic perimitur planè totum hominis officium. Ut enim is, qui ex vi decreti istius omnia ipse efficere tum debet, tum vult, præscribat homini officium lege aliqua sancitâ comminatione, ridiculum est, Nec sapienter nec seriò id unquam faciet; Ut verò is, in quo Deus solus omnia ista efficit, dicatur officium suum facere, & præmio dignus esse, multo magis ridiculum videri debet. Religio itaque tota, tum Dei præscribentis, tum nostri ratione, planè evertitur per decretum istud. Retorsio, quam Censor facit qua Remonstrantium doctrinâ Religionem omnem tolli asserit, indigna est examine; ut enim jam non execu-tiam frivolam istam rationem, quod sibi Remonstrantes divinos honores arrogent, notetur tantum quod pro ratione adjungit: *Statuunt*, inquit, *hominum esse, Dei electionem firmam vel irritam facere.* Sunt enim hæc ipsissima Scripturæ verba, per quæ Censor Religionem ipsam totam destrui vult. Sic enim Petrus diserte ait 2. Pet. 1. 10. *Studete fratres vocationem & electionem vestram firmam facere*, βεβαίαν ποιεῖσθαι: *Hæc enim si feceritis, nunquam impingetis:* Possunt itaque homines electionem suam firmam facere 2. ad Corinth. 6. 1. dicit Apostolus: *Hortamur vos, ne frustra gratiam Dei receperitis.* Possunt itaque homines electionem suam irritam sive frustraneam reddere, Luc. 7. 30. disertè dicuntur Pharisæi *irritum fecisse consilium Dei contra seipsos.* Possunt itaque homines consilium Dei irritum reddere. Quis majorem cæcitatem & ἀναίδειαν quæ cæcitatem fere comitatur, ab homine expectet, quam quod Religionem totam everti dicere audeat, per id, quod Scriptura ipsa ita se habere in terminis affirmat? Impudens os & supercilium, quod contra ipsum Dei verbum se elevat, & Religionis fontem irreligiositatis condemnat. Quo non abit Academicus tumor & Sophistarum typhus?

Censoris audacia quod per ea verba Declarationis, quæ ipsissima Scripturæ verba sunt, Religionem totam à Remonstrantibus destrui asserat.

Sectione IV. non tam continetur Censura, quàm quæstio, eaque valdè impertinens dicam, an inscita? *Ponunt*, inquit, *Remonstrantes*

præviam

præviam ordinationem fidelium & obedientium ad salutem, deinde ordinationem vocationis ad fidem, & electionis ad gratiam; Sic faciendo, ponunt decretum primum de fine, secundum de mediis, &c. Si vero inde non sequatur Deum decrevisse glorificare perseverantes in fide absolute, priusquam aliquos eligeret ad fidei gratiam, cur adeo importune repetunt, inde sequi, Deum velle aliquos glorificare sine satisfactione Christi & sine fide & obedientia, quia dicimus Deum proposuisse sibi ab æterno, & apud se intendisse, quosdam peccatores salvare, priusquam, ordine nostro consultandi, eosdem tanquam reipsa credentes consideraret? &c. Valde inquam impertinens & inscita est hæc quæstio. Remonstrantes enim non taxant adversarios suos eo nomine, quod adserant Deum decretum primum facere de fine, inde de mediis; quis enim sanus id taxet? Sed quod decretum primum, quod de fine vocant, ejusmodi decretum faciant, cui decretum alterum, quod de mediis vocant, subordinari non potest, ac proinde per quod decretum secundum penitus evertitur: Puta, Decretum peremtorium primum faciunt de salvando Petro, Paulo, Ioanne peccatoribus; Decretum secundum de mittendo Christo ut peccatores Deo reconciliet, id est, ut Deum moveat ad volendum peccatores salvare. Hæc duo decreta se invicem perimunt. At Remonstrantes Decretum primum suum non faciunt decretum peremtorium de salvandis peccatoribus credentibus, sed Decretum de reconciliandis peccatoribus per Christi sacrificium: Et de hoc propterea præcedente capite egerunt. Huic decreto subordinant Decretum Prædestinationis de salvandis peccatoribus credentibus in Christum Mediatorem generis humani. Atque hoc pacto evitant absurditatem manifestam, in quam incidere adversarios necesse est. Quæ porro de phrasi *Electionis ad gratiam* Censor adfert, ea tam sunt frigida & frivola, ut refellere pigeat hoc loco: Suo enim loco id fiet oportunius: Hic sufficit, si dicatur, Electionem ad gratiam non dici electionem ad gratiam respectu eorum, quibus pariter aut simul gratia ista communicatur, sed respectu aliorum, qui vel ante istud tempus, gratiæ istius beneficio adfecti non fuerunt, vel ad quos illo ipso tempore gratia ista non pervenit. Sic enim quibus ista gratia tum fit, electi à Deo dicuntur ad gratiam istam participandam, opposite vel contradistincte ad cæteros istos, beneficio eodem carentes. Quare, quod de electione hominum ad gratiam, & electione gratiæ ab hominibus facta nugatur, impertinens est.

Ostenditur, Quæstionem quam Censor facit admodum esse impertinentem & alienam.

Denique, ultimo loco vocat in quæstionem an verum sit id, quod

dixerunt Remonstrantes in sua declaratione, *Prius constare nobis debere de voluntate ipsâ Dei, deque officio nostro, quam de gratia ad voluntatem illam præstandam necessaria.* Quid est naturam rerum evertere, si hoc non est? Videlicet, quod certi esse debeamus Deum peremtoria voluntate nos nominatim saluti destinasse, prius quam certi simus de officio nostro, quod Deus à nobis requirit & sine quo à nobis præstito salutem nobis conferre non vult. Nec dubitat tamen addere Censor: *Certè id aliter naturâ comparatum est in omni obedientia, cujus primum objectum cognosci debet suis circumstantiis vestitum. Qui enim aliquem tanquam Patrem suum nondum novit, &c.* De omni obedientiâ probare debuerat Censor, & filialem tantum allegat. In qualibet aliâ obedientiâ apparet manifeste contrarium verum esse: Sed & in filiali obedientiâ res longe aliter se habet. Filius enim etsi naturæ privilegio Patris sui hæres sit, & se hæredem Patris sui esse sciat, tamen sic absolutè hæres non est quin à Patre exhæredari legitime possit, si ea committat, quæ justam exhæredandi caussam Patri præbere possunt: Unde consequenter efficitur, falsum esse, Filio prius constare debere de peremtoriâ Patris sui voluntate, quâ eum hæredem immutabiliter scribit & instituit, quam ei constet de officio suo quo Patri suo obligatus est: adeoque contrarium esse certissimum, Filio prius de officio suo constare debere quin & officium suum faciendum esse, quam certus esse possit se Patris sui hæredem certo esse futurum. Sed præterea ostendenda est sua Censori imperitia. Non agitur in declaratione Remonstr. de obedientia proprie dictâ, quæ à fide contradistingui solet in Scholis, uti Censor credit, sed de obedientiâ totâ, quæ fidem simul atque opera, id est, obedientiam ex fide propriè dictam complectitur: Id poterat ac debuerat didicisse ex cap. statim sequente, ubi tota voluntas divina sub uno præcepto *Fidei* comprehenditur: Quid? an etiam necessarium dicet Censor, ut certi ac persuasi simus de Dei erga nos benignitate & prona voluntate, deque hæreditate quæ ex paternis Dei bonis speratur, priusquam nobis constet de voluntate Dei, quæ credere nos jubet, id est, quâ juxta Censoris mentem, jubet nos persuasos esse de paterna, & peremtoriâ suâ erga nos voluntate? Nimis crassa hæc est inscitia Censoris, cujus eum merito debet pudere.

AD CENSURAM CAPITIS X.

De præceptis Iesu Christi in genere, deque fide & pœnitentiâ seu Conversione ad Deum, & cap.xj. de fide in I.Christum.

QUæcunque capite hoc toto Decimo & magnâ parte capitis undecimi censentur, ea spectant dogma de *Fide & Iustificatione*, quod *fundamentalem Reformationis articulum* Censores vocant. Operæpretium est ut id accurate ventiletur, & quam fieri potest clarissime exponatur; ut id fiat, non expendemus sectiones singulas: Multa enim morose, inepte & inutiliter forent repetenda, sed rem totam uno tenore pertractabimus, & oculis lectoris subjiciemus, ut quid de re totâ statuant Remonstrantes, tanto melius perspiciatur, & quam sit inanis ac frivola, quæ in eorum Confessionem scripta est hac de re Censura, manifestum fiat.

Ac primo quidem, merito suspectum videri debet, quod Censores, etiamsi pag. cxlj. dicant, Remonstrantes in hujus articuli declaratione *apertum bellum indixisse universæ Ecclesiæ Reformatæ*, in fine tamen Censuræ suæ, ad Remonstrantium conclusionem, ubi accusationem hanc tanquam *princeps Censuræ suæ caput* repetere, & in memoriam lectori, ut tanto hæreret altius, revocare voluerunt, istud aperte profiteri non audeant, ubique enim suum istud *Videtur* ingeminant, & conclusio tandem est; *Eos propiores Socino, quam Ecclesiæ Reformatæ videri posse*; quæ locutio, quam sit circumspecta ac sollicita, quis non videt? Neque hoc tantum, sed addunt insuper: *Verum quidem esse, quod Remonstrantes quædam Socini interpolent & incrustent, verborumque ambiguo & tegmine sese involvant, sed ita, ut, cum ab eo videri volunt decedere, in eundem denuo recidant, adeoque in pejus proficiant*. Qua oratione satis testantur, Remonstrantium de hoc Articulo sententiam, si verba spectes, orthodoxam, & à Socino diversam videri, vel saltem contrarium ex verbis eorum non liquere: Imò cum iis non tantum *verborum ambigua & tegmina atque involucra* tribuunt, sed etiam quod Socini *quædam interpolent atque incrustent*, eo ipso fatentur, verba Remonstrantium, si nude spectentur, & per suspiciones non detorqueantur, Socino neutiquam favere, adeoque orthodoxa

Ostenditur Censores hæsitare, & diversimodè loqui, in adsignanda Remonstrantium sententia in capitibus de Fidei & justificatione.

thodoxa censenda esse. Enimvero dubitandum nullo modo est, quin, si modo indicassent Censores, quænam sint illa *quædam*, quæ interpolata & incrustata sunt, & quomodo ista à Remonstrantibus interpolata atque incrustata credant, manifeste satis patuisset, ea esse illa ipsa, quæ Socini propria sunt: reliqua vero, in quibus eos se Socini socios præstare dicunt, esse illa ipsa, in quibus Socinus cum Orthodoxis in hoc articulo conspirat. Deinde suspicionem auget, quod definitionem Fidei Iustificantis, quam vocant, vel salvificæ quam fecerunt Remonstrantes, *Socinianam* ἐκ παράλληλα faciant & tamen statim deinde subjungant, *Si singula ejus membra seorsim considerentur, agnoscimus nihil in ea haberi quod* (N B) *recte intellectum verum non sit, & verbis Scripturæ consentaneum, pleraque etiam ad fidem & veram in Christum fiduciam spectantia, non male explicari*. Hæc aperta confessio manifesto indicio est, Censuram eorum inanibus suspicionibus potius, quam justis rationibus niti, & quicquid desiderant Censores in descriptione Fidei à Remonstrantibus facta, id eos non desiderare idcirco, quod in ea vel falsum aliquid, vel sensui Ecclesiarum reformatarum contrarium statui, vel in ea essentiale aliquod membrum deesse credant, sed quia suspicioni indulgere, & credere volunt deesse vel subesse aliquid in animo Remonstrantium; quod indicat eorum, *Recte intellectum*. Sed nos rem testem demus.

In summa rei, Socinum cum Orthodoxis conspirare in capite de justificatione demonstratur.

Quod ad summam rei attinet, certum est, Socinum & qui cum eo sentiunt omnes in universum, credere ac profiteri: Iustificationem non esse nisi actum judicialem; proinde non esse actum, quo Deus infundit Iustitiam peccatori, sed quo peccatorem credentem absolvit, eumque non aliter, quam si justus esset, habere ac tractare vult. Et hac in re nemini dubium esse potest, quin Socinus cum Orthodoxis conspiret contra Pontificios. Et hac una ex re, pleraque ad hoc caput pertinentia, æstimari possunt ac debent.

Similiter in capite de Fide.

Sed quia Iustificatio ut est actus Dei Iudicialis, versari tantũ creditur ab omnibus Orthodoxis, circa hominẽ quatenus fidelis est, tota aut præcipua in hoc capite difficultas est de Fidei istius, quæ ad justificationem obtinẽdam necessaria est, specifica forma. Fidẽ non esse tantum notitiam, sed assensũ etiam ac fiduciam, contra Pontificios cum Orthodoxis fatetur Socinus. Quæ eorũ omniũ caussa efficiens sit, ad Prædestinationis caput spectat, de quo hic non quæritur. Hactenus ergo, saltẽ in genere, Socinus Orthodoxus est, & cũ Censoribus cõsentit, ut ipsi non diffitentur. De objecto fiduciæ, an sit specialis Dei misericordia, primalis nascitur, & in

eo, ut

eo, ut loquuntur Censores pag. clviij. *totius controversiæ, quam nunc omnibus Ecclesiis Reformatis Remonstrantes movent, cardo vertitur.* Sed, cum lis ista intercesserit Ecclesiis Reformatis multò ante Socinum, cum Pontificiis aliisque, quid est cur litem istam vocent Socinianam? Sed nos, hac re missa, videamus, quo jure idcirco Ecclesiis Reformatis omnibus bellum indici à Remonstrantibus affirment Censores, quod fiduciæ objectum cum Socino alijsque negent esse *specialem misericordiam*. Id ut fiat, constare debet, quid *specialis misericordiæ* vocibus intelligant Censores: Nam per specialem misericordiam intelligunt, aut istam misericordiam, ex qua credunt Deum speciatim, vel potius nominatim, hunc & illum, qua tales, elegisse ad æternam vitam, cæteris plerisque absoluta voluntate præteritis ac repudiatis, aut misericordiam istam, quæ specialis, purus putus indebitusque favor est, & opponitur *dignitati Contritionis aut aliorum operum seu præcedentium seu sequentium*, ut *Augustana Confessio* habet, quæque non ad paucos aliquos, sed ad omnes indiscriminatim extenditur. Si isto modo specialem misericordiam objectum fiduciæ à Reformatis omnibus Ecclesiis statui dicunt Censores, tum necesse est, ut affirment, Ecclesias omnes Reformatas ejusmodi specialem Electionem & Reprobationem agnoscere, ut evincant, Remonstrantibus *controversiam* de objecto fidei esse *cum omnibus Ecclesiis Reformatis*. At, cum certum sit, Ecclesias plures Reformatas, saltem omnes omninò Lutheranas, quæ inter Reformatas primæ fuerunt, & cæteris omnibus hodieque numero & splendore longè antestant, istjusmodi specialem misericordiam & Electionem non tantum non admittere, sed planè ut fictitiam respuere ac refellere, quomodo fieri potest ut Ecclesiis Reformatis omnibus tribuatur, quod misericordiam istam specialem, Fiduciæ salvificæ objectum faciant? Rectius multo contra eos liceat concludere; Quia Calvinistæ omnes, interque eos Censores hi, misericordiam specialem, sive electionem ex ejusmodi speciali misericordia profectam, objectum fiduciæ faciunt, idcircò eos censendos esse bellum movere Reformatis Ecclesiis, si non omnibus, plerisque saltem ac præcipuis. Consequentia hæc est manifesta: Cui adde, quod *Augustana* ipsa *Confessio*, quæ inter Reformatas Confessiones prima omnium ac præcipua est, & in quam Calvinistas etiam ipsos in Germania, qui Doctoratus insignia ambiunt, jurare necesse est, specialem istam prædestinationis misericordiā non obscurè ad objectū fidei non pertinere adserat, in capite de fide: Fidei enim objectum facit promissionē misericordiæ, quæ

Prima controversia est de objecto Fidei, in qua, Censor Remonstrãtes Ecclesiis omnibus Reformatis litem movere adserit.

Ostenditur contrarium, per examen objecti, quod Censor specialem Misericordiam facit.

Ecclesias Reformatas omnes per Specialem Misericordiam non intelligere misericordiam istam quam Censor objectu Fidei facit, ostenditur.

Augustana Confessio specialē electionem non facit objectum Fi-

dei, ſed promiſſionem univerſalem.

quæ nobis propter Chriſtum liberatorem contingit. At promiſſio miſericordiæ hujus, non poteſt eſſe miſericordia iſta ſpecialis. Nam diſertè dicit, promiſſionem iſtam eſſe univerſalem. *Sicut univerſalis eſt pœnitentiæ prædicatio, ita & promiſſio gratiæ eſt univerſalis, & omnes credere jubet & accipere beneficium Chriſti.* Imo, ut ſpecialem iſtam electionis miſericordiam à ſe non intelligi oſtenderet, addidit: *Non eſt hic opus diſputationibus de Prædeſtinatione, aut ſimilibus, Nam promiſſio eſt univerſalis.* Tum, ſi promiſſio univerſalis miſericordiæ ejus, quæ propter Chriſtum nobis contingit, objectum fidei eſt, fieri non poteſt ut ſpecialis iſta Calvini miſericordia ejus objectum ſtatuatur. Specialis enim iſta miſericordia, nec promitti poteſt, nec eſt miſericordia, quæ nobis propter Chriſtum contingit: Promitti non poteſt, quia multo ante quam promittitur, electorum eſt ex abſoluti decreti divini vi. Deinde, Miſericordia iſta non propter Chriſtum contingit electis iſtis, ſed propter eam Chriſtus electis contingit. Chriſtus enim, juxta Cenſorum horum Theologiam, ſubordinatur iſti ſpeciali miſericordiæ, quia miſericordis decreti illius executor eſt. En ut lapis, quem in Remonſtrantes conjectum voluerunt Cenſores, in ipſorum capita recidat. Sed nos rem ipſam propius paulum, & quidem recta ratione expendamus.

Cenſores intelligibiliter declarare non poſſe, quid per Fiduciam ſpecialis ſuæ miſericordiæ ſibi velint, evincitur.

Fieri non poteſt ut intelligatur, aut ut intelligibiliter explicetur, quid ſibi per fiduciam iſtius ſpecialis miſericordiæ velint Cenſores, quia ſpecialis iſta miſericordia, & quæ ex miſericordiâ iſtâ eſt electio ad gloriam, eſt actus divinæ voluntatis in Deo immanens. II. Quia electi per actum iſtum electionis reipſa & irrevocabiliter habent apud Deum id omne, quod per fiduciam iſtam conſequi dicuntur, ipſiſque promittitur; deniq; quia ipſa illa miſericordia fôs eſt, ex quo promiſſio ſpecialis miſericordiæ quæ dicitur, fluit, & ad eos dimanat. *Per Fiduciam*, inquiunt, *fit applicatio, & ſic quoad efficaciam remittuntur ac delentur peccata.*

Quomodo per Fiduciam applicatio fiat ſpecialis miſericordiæ, impoſſibile eſt, ut Cenſores intelligibiliter explicent.

At explicent, ſi poſſint, intelligibiliter, quomodo præſuppoſitâ ejuſmodi peremtoriâ electione & ſatisfactione, & per conſequens quæ electioni iſti neceſſariò adhæret, peccatorum remiſſione, applicatio illa fieri poſſit, aut cur, ut fiat, neceſſe ſit? Fieri non poſſe ratio ipſa evincit. Nam remiſſio peccatorum eſt purus putus actus divinæ mentis aut voluntatis, & in Deo immanens. Eſt enim actus Iudicialis ſive forenſis, qui extra Deum non tranſit in ſubjectum aliud & actus in ſe ipſo perfectus integer ac completus.

Applicatio iſta ut fiat impoſſibile eſt

Applicari autem à nobis actum Dei in Deo perfectè immanentem, quis capiat? Deinde, poſito actum iſtum applicationis poſſibilem eſſe,

esse, quid necesse est, ut actus iste fiat? Nam actus ille applicationis, si necessarius est, aut necessarius erit tanquam caussa efficiens, cujus vi misericordia ista specialis, nostri saltem respectu, existere incipiet; aut tanquam causa sine qua non, id est, tanquam conditio prærequisita, ut specialis ista misericordia existat: aut per modum coexistentiæ, quia cum speciali ista misericordia ita necessario conjungitur, ut ad actum istum applicationis, vel potius actu illo posito, in eodem simul instanti specialem misericordiam poni necesse sit, non aliter, quam posita linea puncta poni necesse est. Uno horum trium modorum ut fiat necesse est. Si primo modo applicationem hanc necessariam esse dicant Censores, tum misericordia specialis erit non objectum applicationis sed effectus: ut enim in eodem instanti sit effectus simul atque objectum applicationis, impossibile est. Esset enim in eodem instanti simul prior & posterior actu applicationis. Et eadem ratio locum habet, si secundo modo eam velint esse necessariam. Sic enim specialis misericordia nullo modo esset objectum applicationis, quin imo sic recideret tandem sententia Censorum in sententiam Remonstrantium, quam damnant. Si tertio modo eam necessariam faciant, tum nulla erit connexio applicationis hujus & specialis misericordiæ, nec constabit, an specialis misericordia sit applicationis objectum, an effectus: Tantum enim ponetur duarum istarum rerum, videlicet applicationis & specialis misericordiæ coexistentia, & nihil aliud. At nisi specialis misericordia ponatur objectum applicationis, tum Reformatis Ecclesiis bellum indici ajunt Censores. Verum enimvero, dato, sed non concesso, rem ita se habere, nihilominus redibunt hæc dubia. I. Quomodo tum applicatio specialis misericordiæ à Deo præscribatur hominibus, sub promisso specialis misericordiæ, sive remissionis peccatorum, & æternæ immisericordiæ seu mortis comminatione. II. Quomodo fiducia tum sit actus applicationis aut apprehensionis. Applicatio enim aut apprehensio, non potest habere locum, ubi talis nuda rerum duarum coexistentia sine ordine aut dependentia unius ad alteram, locum habet. Applicatio ad minimum necesse est, ut sit alicujus rei applicatio. Non enim res per applicationem fit, sed res quæ jam est, applicatur: Quod applicatur, id esse supponitur, sicut etiam id quod apprehenditur, &c. Explicent se ex labyrinthis his, intelligibiliter, non Sophistarum in morem, Doctores Academici, & Reformatarum Ecclesiarum gloriam, quam sibi soli superbe vendicant, solido aliquo responso adserant. Non tam facile

Saltem ut fiat, præ-supposita antea electione speciali, necesse non esse, ostenditur

Inepta Censorum exceptio diluitur.

id facient, quam vulpes pyrum comest. Tentent & videbunt. *Non dicimus*, inquiunt, *fiduciam illam remissionis peccatorum esse remissionis peccatorum jam perceptæ*, vel *objectum illius fiduciæ, esse remissionem peccatorum anteà perceptam*. Sed quid hoc ad rem facit? Nemo id iis impingit. Et quis tam fatuus? Sufficit eos dicere, remissionem peccatorum antea esse factam. Nam si facta antea est remissio, quid opus est perceptione remissionis? Non enim perceptio remissionis vel percepta remissio, objectum est fiduciæ (Perceptio enim est ipsa fiducia sive Applicatio) sed remissio ipsa sive specialis misericordia, quæ in peccatorum remissione consistit: Aut si opus est perceptione remissionis, postquam remissio facta est, quid est ista perceptio? Non est sensus tantum remissionis antea factæ: Sic enim promitteretur credenti, non remissio peccatorum, sed remissionis sensus, quod diserte Censores hic negant locum habere. *Dicimus*, inquiunt, *fiduciam illam, qua credimus, quisque nobis remitti peccata in præsenti, non proprie in præterito, nec in futuro, etsi etiam utrumque ad fidem justificantem pertineat, sed non ad justificandi actum, ut ita dicamus, formalem*. At I. Hæc non sunt nisi inania verba & Academicæ nugæ. Capiat qui potest. II. Hæc non modo non conveniunt cum formula loquendi, quæ in Catechesi eorum exstant, sed directe ei repugnant. Fides enim in Catechesi definitur expresse, *fiducia, qua in Deo acquiesco, certo statuens non solum aliis, verum etiam mihi* (in præterito) *remissa esse peccata mea*. III. Hac ratione respondendi tota vis electionis & satisfactionis prorsus eliditur; De electionis vi patet. Nam secundum Censores, Electio ad gloriam ordine præcedit justificationem. Unde sic colligo: Electio ista non est actus gratiæ indeterminatus: Nam actus indeterminatus determinatorum actuum fons & origo esse non potest. Talis fons est Electionis actus, juxta Censores, Ergo est determinatus actus gratiæ: Si determinatus, Ergo determinate gratiosũ aliquem actum Dei distinctũ à Iustificatione ponit. Actus ille non potest alius esse, quam actus remittendi & salvandi: Misericordia itaque specialis sive remissio peccatorum determinate, imo formaliter ei includatur necesse est: Eo ipso itaque quod Deus elegit ad vitam peccatorem, determinata est voluntas divina ad remittendum peccatori peccata sua, quando eum eligit ad gloriam, imo prius ad remittendum determinata voluntas sit necesse est, quam elegat ad gloriam, juxta doctrinam Censorum. Deum enim peccatori determinata voluntate velle vitam æternam citra peccatorum remissionem, id in Schola eorum est ἀθεόλογον, &

Intricata, inexplicabilis & simul absurda Censorum oratio de Fiducia quæ formalis actus fidei est, quod non respiciat remissionem peccatorum, nec in præterito nec in futuro, sed in præsenti.

Censores Catechesi suæ aperte contradicere. Dominica 7. Quæst. 20.

Remissio peccatorum in præterito, sive ut antea facta jam est objectum Fiduciæ à Censoribus ut statuatur necesse est.

Deo,

Deo, ut loquuntur, ſimpliciter impoſſibile, quin imò, ut cum Cenſoribus emphatice loquar, Socinianum. Specialis itaque miſericordia, ſi fidei objectum ſtatuitur, neceſſe eſt ut ſtatuatur objectum in præterito. De ſatisfactione Chriſti res ſimiliter plana eſt. Tota vis ejus per reſponſionem iſtam tollitur. Nam ſi remiſſio peccatorum in præſenti tantum, non propriè in præterito nec in futuro objectum eſt fiduciæ, tum neceſſe eſt ut remiſſio peccatorum omnium, per ſatisfactionem Chriſti pro electis verè ac plene impetrata antea non ſit. Nam ſi verè ac plenè impetrata eſt pro omnibus electorum peccatis, utique fidem eorum præcedat neceſſe eſt, ut jam antea pleniſſimè impetrata. Et ſi pro ipſis vel loco eorum facta eſt ſatisfactio; Ergo remiſſio eam neceſſariò conſequens ad eos jam tum pertinebat: Ut facta itaque, objectum eſt fiduciæ. Si non; doceant ergo Cenſores, quæ vis, quis effectus fuerit ſatisfactionis Jeſu Chriſti pro electis peccatoribus, antequam ad fidem vocantur aut vocati credunt: Non poterunt. Electionem iſtam actualis & plena reconciliatio ac remiſſio conſequatur neceſſe eſt. Et hæc ſine dubio cauſſa eſt, quæ non paucos, ſive accuratiores ſive ſinceriores Doctores Calviniſtas movit, ut conſequentiam hanc, quam ex natura doctrinæ ſuæ, veluti rivum ex fonte, neceſſariò fluere videbant, apertè profeſſi ſint. Videbant enim ſe alioquin conſequenter loqui ac dicere non poſſe, & in circulum cogi ab adverſariis, in quo circumagi ſe ſentiebant veluti in molendino & piſtrino abſurditatum. Vid. Piſcat. in Reſp. ad duplicat. cap. 7. pag. 102. 103. *Homines reipſa ſunt reconciliati Deo, antequam credant.* Bernhard. Textor diſput. de Iuſtif. Theſ. 4. pag. 130. *Remiſſio illa peccatorum ſeu juſtificatio* (quæ eodem ſenſu dicitur Rom. 5. 6. 7. 8.) *in mente Dei, fidem noſtram, (qua eſt noſtra cum Chriſto conjunctio) præcedit. Quapropter dicimus, electos fideles certò ſtatuere, à Deo patre ſibi imputatam eſſe ſatisfactionem Chriſti in remiſſionem peccatorum, hoc eſt, Deum Patrem iis omnia peccata remiſiſſe, antequam crederent.* Idem ibidem Theſi 57. pag. 131. *Satisfactionis* (Chriſti) *imputatio prius exiſtit, quam Spiritus S. & Fides conferantur in electos.* Idem ibidem Theſi 60. pag. 132. *Hoc ſenſu, Orthodoxa* NB. *Eccleſia ea* (ſcilicet particula *Solà*) *utitur, ut ſignificetur, quod ſolâ fide, nulla verò re alia per Spiritus S. operationem cognoſcamus, & in conſcientia noſtra convincamur, Deum, etiam antequam crederemus, omnia debita nobis remiſiſſe.* *Smoutius* in ſuo *Pater noſter*, quem inſcripſit Synodo Nationali pag. 5. *Doctrinam de æterna electione & remiſſione peccatorum, tutamur contra eos, qui iſti* (Notate Cenſores)

Oſtenditur ex variis locis Calviniſtas côplures adſerere, Remiſſionem peccatorum ut factam ſive in præterito eſſe Fidei objectum.

Piſcator.

Bernhardus Textor.

Smoutius.

contradicunt, & statuunt, peccatatum demum nobis remitti (en directa verba contra Censores) *& tegi cum jam credimus, & suo tempore per fidem justificamur, idque eo magis, quia peccata nostra tegi & remitti oportet, antequam* NB. *credere possimus, &c.* Idem in suâ Scripturali assertione pag. 47. *Actualis reconciliatio & peccatorum remissio, fidem nostram sine conditione præcedit, eamque efficit.* Idem ibidem pag. 46. *Remissio & non imputatio peccatorum Dei cognitionem, fidem, conversionem, regenerationem & cordis renovationem antecedunt, & efficiunt, quando adhuc mundani sumus, in peccatis jacemus, & sanctum Dei nomen profanamus.* Et pag. 45. *Deus delet peccata, cum adhuc ei peccando multum negotii facessimus*, id est, *cum nondum adhuc credimus, nec vitam emendamus.* Hactenus de primo.

De Secundo Membro: An Remonst. Fidei justificantis formam essentialem faciant, obedientiam & quidem operum Legalium atque inprimis Euangelicorum?

Secundum hujus capitis de Iustificatione membrum, in quo Remonstrantes ab Ecclesiis Reformatis omnibus discedere & cum Socino sentire, Censores ajunt, est: Quod Fidei, ut vocant, justificantis formam essentialem faciant obedientiam, & quidem operum legalium atque imprimis Euangelicorũ pag. 11. Hæc jam manifesta calumnia est: Nusquam id à Remonstrantibus in Confessione eorum factum probabitur. Contrarium patet in terminis. Nam obedientiam novam, sive obedientiam propriè dictam, quæ in Scholis ita vocatur, semper & ubique distinguunt à fide ut effectum à caussa sua, ut proprietatem à forma essentiali sua, à qua emanat, ut rivum à fonte, ut filiam à matre, contra quam Socinus faciendum esse sentit. Sic enim diserte loquitur in Notis suis ad dialogum de Iustificat. pag. 58. *Fides obedientiam præceptorum Dei non quidem ut effectum suum, sed ut suam substantiam & formam continet atque complectitur:* Reformatas autem Ecclesias omnes eodem planè modo obedientiam operum, quo Remonstrantes, à fide distinguere, certissimum est. Confessio ipsa Belgica, *opera* dicit *à radice fidei emanare:* Cæteræ omnes, obedientiam à fide, ut fructum ab arbore distinguunt, & ut filiam à fœcunda matre; quibus verbis Remonstrantes etiam idcirco uti voluerunt; & hi Censores ipsi, *obedientiam, proprium effectum fidei tanquam proxime caussæ suæ* faciunt, pag. 91. & fructum fidei, pag. 11. Imò *Fidem secum tanquam individuam comitem obedientiam,* & NB. *omnia vera pietatis opera habere non tam fateri se dicunt, quam contendere:* Christiani denique omnes, Fidem vivam, non mortuam, ad justificationem requiri statuunt: Quæ omnia sanè in unum idemque recidunt.

Deinde, obedientiam operum, si phrasis rigidè sumatur, prout

operari

operari contradistinguitur à credere, Rom. 4.3. tantum abest ut cum Socino formam fidei statuant Remonstrantes, ut ne quidem Socinus ipse id faciat. Diserte enim obedientiam istam dicit diversam esse ab obedientia fidei, in Fragmentis de Justificatione pag. 10. Neque verò est quod hic Censores dicant, Remonstrantes affirmare, se per fidem sive obedientiam fidei, in negotio Iustificationis, intelligere *ipsam Fidem, quæ & quatenus opus nostrum est*, sive quatenus *actus est obedientiæ nobis à Deo præscriptus, & auxilio gratiæ divinæ à nobis præstitus:* Nam ista obedientia non vocatur à Remonstrantibus forma fidei, neque est obedientia, quæ à fide, ut proprietas à forma, distinguitur; sed est genus fidei, & caussa, seu fœcunda mater obedientiæ istius Euangelicæ, de qua hic agimus, quæ obedientia fidei idcirco vocatur quia ex fide præstatur Deo eam jubenti & præscribenti, uti legitur diserte Tit. 3.8. aliisque locis quam plurimis. Neque verò caussa aut ratio ulla est, quæ Censores movere potest, cur hanc Remonstrantium sententiam de fide, seu Fidei obedientia, quod videlicet in negotio justificationis consideranda veniat ut opus sive actus noster, censuerint Socinianam aut Sociniano-Pontificiam, aut talem quæ à communi Ecclesiarum Reformatarũ consensu sit diversa. Pontificia censeri nullo jure potest. Nam Pontificii disertè negant fidem qua justificamur esse actum, nedum actum nostrum: Habitum esse volunt & quidem infusum à Deo, quod diserte à Remonstrantibus negari, fatentur ipsi Censores. Sociniana verò multò minori jure censeri debet, quia Socinus obedientiam illam, quæ fluit ex actu illo quem Remonstrantes fidem vocant, formam fidei esse dicit, uti jam ostendimus. Sed nec Sociniano-Pontificia dici meretur quia nihil ab utraque simul participat. Quin autem ipsissima Reformatarum Ecclesiarum sententia videri debeat, caussa nulla est. Nam certum est Augustanam Confessionem, quæ inter Ecclesias Reformatas Confessionum potissima est, diserte & in terminis fidem in negotio justificationis ut virtutem & ut opus nostrum considerare. Verba ejus sunt Articul. de bonis operibus: *Inter bona opera præcipuum est & summus cultus Dei, Fides ipsa, & parit multas alias virtutes quæ existere non possunt nisi prius corda fidem conceperint. Et paulo post* ibid. *Adversarii videri volunt magnificè ornare doctrinam bonorum operum, Et tamen de his Spiritualibus operibus, de Fide, de exercitiis Fidei in invocatione, in omnibus vitæ negotiis, consiliis, & periculis, nihil dicunt, &c.*

Obedientia quatenus opus nostrum est, non est forma neque effectus Fidei, sed genus & caussa obedientiæ propriè dictæ.

Obedientiam fidei quatenus fides actus noster est, in negotio Iustificationis considerare, nec Socinianum nec Sociniano-Pontificium est.

Augustanæ Confessionis sententia de Fide.

In artic. de Fide: *Cum igitur dicimus Fide justificamur, non hoc in-*

telligimus, quod justi simus propter ipsius VIRTUTIS *dignitatem, sed hæc est sententia, consequi nos remissionem peccatorum & imputationem justitiæ per misericordiam propter Christum. Verum hæc misericordia non potest accipi, nisi fide.* Nota, fidem hanc vocat *virtutem, cultum, opus, opus præcipuum inter bona opera* & *summum Dei cultum*, cum Censores contra *Fidem in negotio justificationis operibus omnibus obedientiæ & pietatis, imò ipsi fidei, quâ opus est, opponi disertè* profiteri non erubescant Censuræ suæ cap. 10. Cui adde manifestissimam rationem, (Multas enim hic non allego) Quod, nisi hæc dicatur esse Reformatarum Ecclesiarum sententia, fieri non possit ut intelligibiliter explicetur à Censoribus, quid per *fidem* vel per *Tò Credere* Ecclesiæ Reformatæ intelligant. Nam certum est, fidem præscribi sive madari à Deo sub promissione remissionis peccatorum, sive præmij æterni, & contrariæ pœnæ æternæ comminatione, prout disertè patet 1. Ioha. 3.23. *Hoc est igitur ejus* (Dei) *mandatum, ut credamus nomini Filii ejus unigeniti, & diligamus alii alios, sicut mandavit nobis:* cui alia infinita pœnè loca consonant. At si fides non concipiatur ut opus, ut actus noster, quomodo fieri potest ut concipiatur intelligibiliter ut à Deo nobis præscripta & mandata? Nam sub præceptum propriè dictum, quod nobis fertur, nihil potest cadere nisi actus noster. Hæc res adeò plana est, ut Scriptura ipsa Fidem idcircò vocet *opus Dei*, quod videlicet Deus ipse id à nobis fieri postulat. Ioan. 6.29. Hoc enim sensu Fidem *opus Dei* isto in loco vocari, antecedentia omnia clarissimè evincunt. Dicunt Censores, *Fidem concipi posse ac debere ut instrumentum apprehendens Iustitiam Christi:* Atqui hoc ipso, aut idem fere dicunt quod Remonstrantes, aut quid dicant, non intelligunt. Nam si fidem concipiunt ut instrumentum apprehendens, id est, quatenus est apprehendens, necesse est ut eam concipiant, quatenus est opus sive actus noster. Instrumentum enim quatenus est apprehendens, aliud nihil est quam instrumentum quatenus agit, sive apprehensionem, quæ instrumenti actio est, exercet. At hoc est illud ipsum ferè quod Remonstrantes volunt. Si hoc se velle Censores negent, tum sanè quid dicant non intelligunt. Nam instrumentum qua tale, non cadit sub præceptum, sed instrumentalis actio. Actio verò necesse est ut nostra sit actio, quando nobis præscribitur, aut à nobis ex præscripto aut mandato Dei præstatur. Si non, quid ergo præscribitur & mandatur à Deo, quando nobis mandatur ut credamus, & quid à nobis fit, quando credimus? Qui potest capere, capiat subtilitatem istam Theologicam.

Fidem ut est actus noster, auxilio gratiæ à nobis præstitus, in negotio justificationis considerandam esse.

Quomodo intelligendum sit, Fidem esse instrumentum apprehendens justitiam Christi.

Dicunt

Dicunt quidem, *Fidem quatenus instrumentum est, opponi non tantum operibus omnibus obedientiæ & pietatis, sed etiam ipsi fidei, qua opus est.* At quis hæc intelligit? Meri λόγοι sunt. Nam fides, si rem recte expendamus, presse ac proprie instrumentum justificationis dici non potest, nec credere actio instrumentalis, nedum quatenus instrumentum opponi fidei, qua opus est. Quid enim instrumentale in se habent notitia, adsensus, & fiducia? Fiducia nihil aliud est, quam firma ac certa animi persuasio sive spes, ut loquuntur, roborata. Persuasionem autem animi quis nisi καταχρηστικῶς instrumentum vocaverit? Et quis concipere potest, quomodo firma persuasio, ut est actio sive mentis, sive voluntatis nostræ, opponatur eidem persuasioni, ut est instrumentum justificationis? Quod si tamen fidem instrumentum esse velimus, fieri non potest ut concipiatur alio modo instrumentum esse, quam quatenus opus est ex præscripto & per gratiam Dei à nobis præstitum. Conditio enim, quatenus præstita est, aliquomodo medium sive instrumentum fieri dici potest, quo consequimur rem, quæ sub conditione promittitur. Sic fides instrumentum dici potest, quo consequimur remissionem peccatorum, non quasi fides præstita proprie instrumentum fiat aut instrumentalis sit actio, qua sicut manu apprehendimus aut attrahimus remissionem: Nugæ: sed quia ea præstita, non aliter consequimur peccatorum remissionem ex promisso Dei, quam si fides veluti instrumentum à Deo data esset ad consequendum & obtinendum peccatorum remissionem. Nisi hoc modo Fides dicatur esse instrumentum justificationis, fieri non potest ut intelligibilitur explicetur quomodo instrumentum sit, &, qua instrumentum, opponatur Fidei, quo opus est: *Opponitur*, inquiunt, *ratione effectus illius, qui est ex fide tantum, non ex operibus.* At quid hoc est? Effectus enim fidei, id est, justificatio (ut cum illis loquamur) quomodo est effectus fidei quatenus est instrumentum, & non quatenus est opus ex præscripto Dei præstitum? Tantum abest ut justificatio fidei, quatenus instrumentum est, effectus proprie sit, ut ne quidem effectus nisi καταχρηστικῶς dici possit, etiam quatenus fides opus est ex mandato Dei præstitum. Iustificatio enim est actio Dei, quam Deus pure pute in sua ipsius mente efficit, quia nihil aliud est, quam volitio aut decretum, quo peccata remittere, & justitiam imputare aliquando vult iis, qui credunt, id est, quo vult pœnas, peccatis eorũ promeritas, iis non infligere, eosque tanquam justos tractare & præmio afficere. Hæc itaque Dei actio, quomodo effectus proprie dici potest fidei, & quidem fidei quatenus

An Fides quatenus instrumentum est, opponatur non tantum operibus obedientiæ, sed etiam Fidei quatenus opus est?

Expenditur Censorum oratio, Fidem quatenus instrumentum est, opponi Fidei ratione effectus illius, qui est ex Fide tantum, non ex operibus.

quatenus instrumentum est? Certe nos credendo actionem istam Dei efficeremus; quo quid absurdius? Tum, si justificatio, id est remissio peccatorum objectum fidei est, uti Censores dicunt, quomodo effectus illius est, quatenus instrumentum est? Denique si promittitur credenti justificatio, quomodo justificatio est effectus fidei, quatenus instrumentum est? Nam si est instrumentum apprehendens justificationem, ut objectum suum proprium, & apprehensionis istius effectus est justificatio, quid illud est quod promittitur credenti, sive apprehensionem illam habenti? ἀκατάληπτον est. Promitteretur sane id quod apprehendens, qua apprehendens, jam haberet, & promitteretur sub ratione præmii id, quod officium suum faciens, qua officium faciens, haberet. Imo ipse actus officii nostri non esset tantum præmii perceptio, quod per se satis absurdum est, sed præmiatio, ut ita dicam, esset non Dei, sed noster actus. Confusa hæc, & sub nescio quibus Scholarium terminorum siliquis abscondita mysteria, explicent nobis Doctores, ut intelligi possit, quid sibi velint cum Ecclesiis Reformatis ea tribuunt. Verum quidem est, Confessiones nonnullas Reformatas ita loqui de fide, ut per eam apprehendi dicant misericordiam, justitiam & remissionem peccatorum: sed nisi istas earum locutiones benigne interpreteris, fieri non potest, ut eas à manifesta absurditate vindices atque absolvas. Nam constans omnium Ecclesiarum Reformatarum sententia atque locutio est, Misericordiam Dei esse caussam impulsivā προηγουμένην; Iustitiam meritum & satisfactionem Christi esse caussam impulsivā προκαταρκτικὴν, propter quam Deus credenti vult remittere peccata. Ita passim loquitur Confessio Augustana, ita cæteræ pene omnes, & diserte Catechesis Palatina in definitione fideī. Hæc itaque quisquis statuit, is à Reformatarum Ecclesiarum sententia non discedit, etiam cum fidem ut conditionem requisitam, ac proinde ut actionem nostram ad justificationem dicit concurrere, si modo ab actione seu virtute fidei ut loquitur Augustana Confessio, *dignitatem proprie dictam, meritum aut insitam justificandi vim* excludat. Sic enim Misericordiæ Dei & merito Christi plenissime suus honos constat. Hoc autem à Remonstrantibus in declaratione eorum factum abunde esse, Sole clarius est. Atque hinc obiter etiam patet, cur Remonstrantes phrasin illam *Christi justitiam nobis imputari*, in declaratione sua non usurpaverint, non quod eam benigna interpretatione in commodum sensum flecti non posse credant, sed quod, si rigide accipiatur, consistere non possit cum

Sensus Confessionum Reformatarum, cum Fide apprehendi dicunt misericordiam, justitiam & remissionem peccatorum.

Cur Remonstrantes non sint usi in Declaratione sua Phrasi ista justitiam Christi imputari nobis.

illâ, quæ propria & genuina est Ecclesiarum Reformatarum sententia, qua justitia nobis imputari dicitur propter Christi meritum & obedientiam. Nam si utramque in rigore velimus veram esse, necesse est ut dicamus justitiam Christi nobis imputari propter justitiam Christi, quæ locutio nō modo ἀκυρολογίαν, sed manifestam etiam in sese habet absurditatem, quam merito jure evitarunt Remonstrantes.

Restat itaque ultimum membrum, in quo Censores volunt Remonstrantes diversos ire ab Ecclesiis Reformatis in hoc articulo de justificatione, quando vid. statuunt, Quod per fidem in negotio justificationis intelligendus sit actus fidei, quatenus includit in se totam obedientiam hominis Christiani, lege fidei, id est, Euangelio præscriptam. Hæc sanè controversia, si rectè perpendatur, nil nisi Logica aut Grammatica lis est. Quotquot enim sunt Ecclesiarum Reformatarum Confessiones, eæ omnes consentientibus calculis agnoscunt, Fidem vivam non mortuam, Fidem quæ conjuncta sibi habet bona opera imò quæ sine bonis operibus nec est, nec esse potest, esse Fidem illam veram justificantem, ut vocant, quæ ista proprietate ab historica & temporania ac miraculorum fide, ut ajunt, distinguitur: Paucas tantum Lutheranorum, quos duros seu rigidos vocant, Ecclesias excipe, quæ etiam propositionem istam, Quâ *bona opera necessaria* dicuntur, *saltem necessitate præsentiæ* (non dico tantum ad justificationem, sed etiam ad salutem) tanquam falsam & noxiam damnare non dubitant; quibus omnes pœnè Ecclesiæ Reformatæ reclamant, ipsique adeò Censores pag. Censuræ suæ 11. ubi disertè *obedientiam operum necessariam esse* asserunt *ad justificationem, non quidem necessitate efficientiæ, sed necessitate præsentiæ*. Iam mihi vide, Annon mera logica pugna sit, si disputetur, An fides quæ est viva, an fides quà est viva, requiratur ad justificationem? Certè: utrimque enim in describenda Fidei natura est consensio: utrimque bonorum operum præsentia necessaria esse statuitur: De respectu tantum quem Fides viva ad justificationem habet, quæstio manet. At de respectu statuere nō est nostrum, sed judicis: Deinde, quid habet respectus ille merus, quod justam magnæ liti caussam dare possit? Imò, quid non habet, quod occasionem omnem liti debeat præcidere apud eos, qui pietatis & bonorū operum sunt studiosi? Sanè, si dicatur fidem requiri ad justificationem, quatenus vel quà est viva Fides, necessitas bonorum operum & pietatis Christianæ fortius adstruitur, quam si dicatur Fidem requiri ad justificationem quæ viva est: Natura rei id evincit. Neque verò est quod Censores dicant

De ultimo membro. An per Fidem in negotio Iustificationis intelligendus sit actus Fidei quatenus includit in se obedientiam operum Euangelicorum.

An Fides, quæ viva est, an quà viva est, requiratur ad Iustificationem, Logicam tantum litem esse ostenditur.

Per fidem excludi meritum, extra controversiam est.

cant particulam illam *Quatenus*, efficientiam aliquam imò meritoriam efficientiam tribuere Fidei, ad consequendum remissionem peccatorum: Nec enim ratio ulla est, unde id evinci possit. Sed, posito etiam Fidei efficientiam aliquam (de meritoria propriè dicta non loquor; Eam enim disertè damnant Remonstrantes, & ratio recta) tribui in ordine ad justificationem; quid, obsecro, reale aut magni momenti ista efficientia adderet ad voces necessariæ præsentiæ? Certe si rem exactè ponderes, nihil aut valdè parum addere comperietur, saltem non addet tantum, ut propterea pia anima funem contentionis trahere aut velit, aut debeat. Dicunt quidem Censores *hinc consecuturum tandem, quod homo non ex fide tantum, sed ex operibus etiam justificetur.* Sed hoc, præterquam quod consequentiæ nullam prorsus speciem habeat, idcirco etiam vanum videri bebet, quod disertè istud non tantum absurdum non esse, sed verissimum etiam esse totidem verbis pronunciet Apostolus Iacobus, cum ait cap.2.24. *Videtis igitur quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum.* Nec evadunt hunc ictum Censores, quando locum hunc Jacobi, pro more suo, *de declaratione justificationis* intelligendum esse dicunt, ne directè Paulo videatur contradicere. Nam id nec speciem veri habet, nec Theologia ipsorum permittit: Speciem veri non habere indicant, præter multa alia, quæ nunc non allego, ipsa verba, quibus negatur hominem *ex fide tantum justificari.* Quis enim adeò væcors fuerit isto sæculo, qui cum Apostolo contendere voluerit, an homo justificetur, id est, declaretur justus ex fide tantum: Fides enim, quatenus fiducia est, & distincta ab operibus pietatis, non est nisi in corde hominis. Theologia eorum etiam non permittit, ut istam explicationem veram esse credere possint. Nam, ne de operibus quidem ipsis constare potest, an bona opera sint. Non enim possunt esse bona, nisi ex fide fiant: Ex fide autem fieri, non modò non potest declarari alteri, sed ne illi ipsi quidem id constare potest; qui ea facit; quia fieri posse credunt Censores, ut reprobus opera eadem omnia faciat, quæ electus, & sibi persuadeat se electum esse tali persuasione, quam à persuasione, quæ electorum propria est, ut ajunt, nullo certo signo, nullo characteristico indicio possunt distinguere. Vide Calvinum Instit. lib, 3. cap. 2. nu. 2. Quomodo itaque verum erit juxta eorum Theologiam Apostoli dictum *Hominem ex operibus justum declarari?* Si quis forte dicat, hanc sententiam, Quod Fides, quatenus viva est, justificet, esse ipsissimam Socini sententiam, is, dato quod id verum sit, necesse

Locum Iacobi cap. 2. 24. Perperam de declaratione justificationis à Censoribus exponi evincitur.

eſt ut fateatur tandem Socinum hac in parte conſpirare cum Reformatis Eccleſiis, quoad ſubſtantiam ipſam. Et ſane, ſi quis ea, quæ à Socino dicuntur in hac materia, ſine gratia, ſine odio expendat, is velit nolit, confiteri tandem cogetur, eum in ſubſtantia rei cum Reformatis conſentire, manente hoc ſolum diſcrimine (cauſſam ſemper προκαταρκτικὴν excipe, Hæc enim ad hanc materiam non pertinet.) quod obedientiam fidei formam vocet, cum Reformatæ Eccleſiæ eam vocent effectum, fructum, fœtum, ſine quo fides eſſe non poteſt. Quantulum hoc eſt? Quis vel cicum interduit? Quod ſi quis nihilominus magnum hic hiatum eſſe velit, is doceat intelligibiliter, quid illud reale aut formale ſit, quod iſta duo tam magno intervallo à ſe ſeparat ac diſtare facit? Comperietur, poſt longos labores & operoſas ambages, recidere in pædagogicam ſubtilitatem, & imaginariam diſtinctionem, qua fides in priore momento naturæ conſideratur ut apprehendens Chriſtum, quam producens opera, etſi cum operibus tempore, ſaltem quoad propoſitum ſimul ſit. Breviter, redibit res ad particulam iſtam, *Quatenus*, & ad illud pacis ac concordiæ naufragium fiet. Videantur diſputationes quatuor horum Theologorum, quas Synopſin purioris Theologiæ vocant; In labyrintho fictionum & terminorum pædagogicorum te deprehendes, & cum ad rem ſive apicem controverſiæ veniunt, in tenui & pœne inimaginabili diſtinctionis bivio ſæpe aut trivio hærebis, ut quid ſibi velint aut quo tendant, intelligere non poſſis. Et quid obſecro aliud eſt iſtud Cenſorum quo dicunt, *operibus omnibus obedientiæ & pietatis, imo ipſi fidei, qua opus eſt, opponi fidem qua inſtrumentum eſt juſtificationis noſtræ*, id eſt, *ratione effectus illius qui eſt ex fide tantum & non ex operibus*? Crucem excarnificandis ingeniis figi credit, quiſquis iſtas Scholares ſubtilitates audit. Inſanias prius, quam intelligas; Et in hoc cardine vertitur puritas Fidei Calviniſticæ, unde & illud, *Fides fœta bonis operibus juſtificat ante partum.* Acumen hoc ſe non poſſe penetrare, haud illubenter fatentur Remonſtrantes. Simplicitatem amant & ſubtilitatibus iſtis quæ nil niſi ὑπέρογκα ματαιότητος ſunt, longe præferunt. Si idcirco Reformationis titulo excidere eos neceſſe eſt apud Cenſores, valere eos jubent, & ſibi ſapere. Remonſtrantes uno verbo ſic ſtatuunt: Litem pœne totam quam in hoc capite movent Cenſores, de reſpectibus Metaphyſicis eſſe, quos Fides vera & viva habet ad juſtificationem; de quibus ſtatuere, judicis & domini eſt, non ſubditorum: Enimvero quis ſine gemitu, ſine ſuſpiriis, ſine lachrymis cogitet, quod nos homun-

ciones miſelli, tardi & negligentes in iis quæ officii noſtri ſunt accurate examinandis & fideliter præſtandis, tantum ocii & audaciæ nobis ſumamus, ut involemus in partes domini, & judicis noſtri, & quo reſpectu hi aut illi actus noſtri ab illo ſint judicandi in extremo judicio, audeamus definire, & niſi alii conſervi iſtas definitiones noſtras, præter officium & vocationem noſtram à nobis factas, admittant populum Chriſtianum, peculium Dei & Domini noſtri in partes ſcindere, conſervos cædere, flagellare, ejicere, anathematiſmis & omni genere immiſericordiæ in eos ſævire non vereamur?

Ex his jam patere credimus, quam iniqua ſit Cenſura horum Theologorum, cum Remonſtrantibus tribuunt quod in hoc de juſtificatione articulo Eccleſiis omnibus Reformatis bellum moverint. Reſtat jam ut quæ præter hæc in caput xj. Cenſuerunt, expendamus.

Conſequentiam quam Remonſtrantes ſectione III. fecerunt, fruſtra impugnat Cenſor. Eſt enim per ſe manifeſta. Si fides eſt adſeſus ſerio à Deo imperatus ſub promiſſo præmii & comminatione pœnæ æternæ, & ab homine ex officio præſtitus: Ergo, Fides non eſt quippiam in nobis ſine nobis effectū, quod Synodus Dordracena diſertis verbis affirmat. *Atqui*, inquit Cenſor, *Remonſtrantes potuerunt ibidem videre explicationē phraſeos iſtius*, In nobis ſine nobis, *qua ſc. non intelligitur talis operatio divina, qua homo regeneratus ita agatur, ut etiam actus à Deo non agat; ſed talis præveniens & operans gratia conſtituitur, qua voluntas jam renovata non tantū agitur & movetur à Deo, ſed à Deo acta agit & ipſa. Quamobrem etiam homo ipſe per gratiam iſtam acceptam credere & reſipiſcere recte dicitur.* Imo vero hęc explicatio eſt prorſus inepta; & etiamſi omnino apta eſſe ſtatueretur, ad conſequentiam tamen infringendam nihil facit. Inepta eſt, quia de voluntate renovata loquitur, cum agatur de ipſa voluntatis renovatione. Quæritur enim an renovatio voluntatis noſtræ fiat in nobis ſine nobis; non an voluntas noſtra renovata etiam agat. Renovationē Voluntatis noſtræ, quæ in nobis fit ſine nobis, ſive quæ à Deo in voluntate noſtra operatione irreſiſtibili efficitur, appellare actionem aut volitionem noſtram, à ratione eſt alieniſſimum. Voluntas enim noſtra eſt actionis iſtius divinæ ſubjectum, & volitio ſive actio Voluntatis ita producta ſive effecta in voluntate, non niſi καταχρηστικῶς volitio ſive actio noſtra eſt; Non enim eſt actio elicita à voluntate noſtra, ſed mera paſſio, actionis ſive volitionis tantum voce enunciata, & Voluntas eſt ſubjectum merum volitionis ſive actionis iſtius, ut ita dicam, non cauſſa. Sed dato, at non

Diluitur exceptio Cenſoris, quod etiam ſi fides in nobis ſine nobis producatur, fides tamen nihilominus noſtræ voluntatis renovatæ actus ſit.

non concesso, verbis Synodi istam explicationem convenire, nihilominus constat consequentia. Non enim quælibet actio voluntatis, à qua voluntas aliquomodo volens vel agens denominatur, sufficit ad constituendum actionem quæ recte & merito dici queat actio seu volitio nostra, ex officio præscripto à nobis præstita. Hujusmodi enim actio necesse est ut cadat sub præceptum promissione præmii & comminatione pœnæ sancitum. Quod autem sub præceptum tale cadit, id tantum abest, ut is, qui id sic præcipit, possit velle efficere in nobis sine nobis, ut contra non possit id velle fieri nisi à nobis, destructurus totam præceptionis istius suæ vim ac proprietatem, si aliter vellet. Natura rei id evincit. Præcipere est alteri actionem injungere, si præmio potiri & pœnam effugere velit. Qui efficit in alio sine ipso actionem, is eo ipso, quod eam in eo efficit, eidem eam injungere nec vult, nec sapienter velle potest; ut vero actionem istam remuneratione, laude, aut præmio dignam judicet, absurdissimum est. Atqui inquit Censor *sic absurdum existiment necesse est Remonstrantes, cum Pelagio, Deum dona sua coronare in nobis*: Dictum hoc Augustini nisi cum grano salis accipiatur, admittendum neutiquam est: Deum enim dona sua, isto, quo vult Censor, modo, in nobis sine nobis producta coronare, tanquam actus nostros ex officio præscripto à nobis præstitos, ac proinde promisso præmio sive corona ac laude dignos, sine manifesta absurditate adeoque falsitate Deo tribui non potest. *At si talis, gratiæ efficacitas*, inquit Censor, *tollit omnem laudem & præmium, arguatur hoc adversariorum elencho Deus ipse erroris*, exerens *excellentem illam magnitudinem potentiæ suæ in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius*. Ephes. 1. 19. Imo non Deus, sed Censor hic erroris & crassæ ignorantiæ arguendus tum est: Non enim dicitur in textu citato, Deus *exerens* (hoc participium de suo addidit Censor, in quo tamen tota vis argumenti est) *in nobis* qui credimus, excellentem illam magnitudinem potentiæ suæ: sed tantum excellens magnitudo potentiæ tribuitur Deo, quam exeruisse dicitur in Christo, quum suscitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dextram suam in cælis, & per consequens quam aliquando etiam similiter exeret in nobis, qui jam per fidem Christo capiti nostro uniti & sic cari atque accepti Deo illi sumus, qui excellenti illa magnitudine potentiæ præditus est: *Exerturus* itaque rectius dixisset Censor, quam *exerens*. Sed esto; legatur etiam in textu, *Deus exerens*, nihilominus tamen erroris manifesti arguendus est Censor. Nam textus diserte loquitur de *nobis, qui jam credimus*, proinde de

Examinatur locus ad Eph. 1.19.

magnitudine potentiæ, non qua Deus in nobis operatur ut credamus, ſed qua Deus operatur circa nos, qui jam credimus. Et ſane quis vel veriſimile eſſe credat, Apoſtolum operationem illam, qua Deus fidem efficit, attribuiſſe, non dico potentiæ divinæ, ſed τῷ ὑπερβάλλοντι μεγέθει τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, quin & τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ? Tum quis credat Apoſtolum affirmaſſe, potentiam iſtam & excellentem illam magnitudinem potentiæ, qua Deus Ieſum excitavit ex mortuis, & collocavit ad dextram ſuam in cælis, eſſe eãdem illam potentiam, qua fidem efficit in nobis? δύναμιν itaq; & ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως, & κράτος & ἰσχύς, requiruntur, ut fides efficiatur in homine. Et cum Apoſtolus orare ſe dicit, adeoque indeſinenter orare, ut Epheſii intelligant, quæ ſit magnitudo illa potentiæ divinæ in credentibus, oraſſe dicendus erit, ut Epheſii intelligerent quanta vi fides in ipſis effecta eſſet. Quid vanius? quid futilius? Senſus loci per ſe patet, Det vobis Deus cognoſcere quam ſit excellens illa magnitudo potentiæ, qua Deus uſurus aliquando eſt circa credentes, cum eos ex mortuis ſuſcitabit, atque immortales & glorioſos in cælis ipſis altiſſimis conſtituet. Quanta autem ſit potentiæ hujus magnitudo, id quidem nunc nobis non apparet; ſed tamen id æſtimari poteſt & æſtimandum eſt, κατὰ τὴν ἐνέργειαν, id eſt, ex, vel juxta illam potentiæ magnitudinem (in qua quia ſibi non ſatisfacit Apoſtolus, idcirco utitur tot Synonymis vocibus κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ) quæ nobis à Deo illuſtri ratione ob oculos poſita, & quaſi ſpectanda data eſt, quando Ieſum Chriſtum Dominũ ac caput credentium omnium, non tantũ ſuſcitavit ex mortuis, ſed etiam in ipſis cælis ſublimibus collocavit ad dextram ſuam, gloriaque & potentia ſupra omne imperium, poteſtatem, potentiam, ac dominationem inſtruxit, adeo ut ejus pedibus omnia ſubjecerit, eumque conſtituerit caput, ut eadem potentia Eccleſiam ſibi ſubjectam, id eſt, nos fideles ex morte ſuſcitaret, & in cælis eodẽ immortalitatis & gloriæ beneficio afficeret. Ejuſdem farinæ eſt, quod ex *2. ad Theſ. 1. 11.* allegatur. Iſthic enim de modo, quo fides in nobis efficitur, verbum nullum eſt. Agitur enim manifeſte de iis, qui jam credebant, & de quorum fide ac tolerantia gloriatur Apoſtolus apud Eccleſias cæteras, ut ex verſ. 4. liquet. Nec diſcribitur iſthic Deus, uti Cenſor locum citat, ut complens opus fidei potenter, ſed rogatur, ut opus fidei complere velit. Phraſin vero iſtam, *Deum complere omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam & opus fidei potenter*, ſignificare modum, quo fides gignitur & conſervatur in no-

Senſus loci paraphraſtice propoſitus.

Expenditur locus ex ij. ad Theſſa. 1. verſ. 11. adductus.

in nobis, id eſt, operationem omnipotentem ſive irreſiſtibilem in nobis ſine nobis, nihil vel in ſpeciem cogit. Nam poſito quod de primo fidei actu iſtic ageretur, non tamen phraſis ἐν δυνάμει potentiam ſtatim iſtam irreſiſtibilem, quam vult Cenſor, indicare arguit. Non enim omnis δύναμις eſt δύναμις talis. Nec verbum complendi ſignificat neceſſariò modum iſtum agendi, qui ἐν δυνάμει eſt, in principio regenerationis Theſſalonicenſium etiam uſurpatum eſſe. Nam compleri aliquid poteſt ἐν δυνάμει, quod ſine δυνάμει effectum eſt, & compleri poteſt in credentibus id, quod in credentibus, qua talibus, cæptum eſt effici. Sed quid multis opus eſt? Manifeſtum eſt ex loci antecedentibus & conſequentibus, *fidei opus* ſignificare per Metonymiam, vel id, quod fidei objectum eſt, ſive quod credentibus, & opus tolerantiæ ex fide facientibus, à Deo promiſſum eſt, & quod Deus circa eos, qua tales, à parte ſua facere vult, & facturum ſe promiſit, vel ſaltem facere paratus eſt, ſi pro eo ſeriò oretur; eodem plane modo quo κλῆσις ſive vocatio, hoc in loco, interprete ipſo Beza, ſignificat non ipſam vocandi actionem, ſed id, ad quod Theſſalonicenſes vocati erant, nempe cæleſtis regni gloriam, vel, quod malim, tolerantiam in qua ex fide jam exercebantur Theſſalonicenſes. Evincitur hoc ipſum ex eo, quod Apoſtolus dicat, ſe orare pro iis, pro quibus jam ante Deo gratias ſe agere dixerat, quod fides eorum vehementer augeſceret, ὑπεραυξάνῃ, & caritas eorum mutua πλεονάζῃ, id eſt redundaret: quaſi dicat, Idcircò quia vos crediſtis & fidem veſtram caritatis & tolerantiæ operibus luculenter teſtati eſtis, Deum ſupplices pro vobis oramus, ut cæleſtis præmii iſtius, ad quod vocati eſtis, præſtantiam ac certitudinem altius ſemper cordibus veſtris dignetur imprimere, & quicquid ex ſingulari amore ſuo, quo fideles ſuos complectitur, proficiſci poteſt, id adhibere velit circa vos, ut quod crediſtis, potenter hæreat in animis veſtris, contra omnia mala quæ toleratis, vel ut tolerantia veſtra, ſolidiore ſpe cæleſtis iſtius hæreditatis, quam per fidem ſemel concepiſtis, veluti firmo ac potente aliquo fulcro ac ſubſidio ſuſtentata, manere poſſit, id eſt, ne quicquam à parte ſua deeſſe vobis patiatur quod ad animandos & corroborandos vos facere poſſit. Quicquid ſit, certum eſt hoc in loco non agi niſi de credentibus, & ex fide perſecutiones varias tolerantibus, qua talibus; circa quos Deum aliis longè actionibus occupari, quam circa eos, quos primitus ad fidem vocat, certum eſt. Huic jam adde, quod Apoſtolus ſtatim deinde Theſſalonicenſes hos obnixè roget & obteſtetur, ne cito à mente

Quid Apoſtolo ſit complere opus fidei ἐν δυνάμει.

Opus Fidei quid ſit Apoſtolo.

Paraphraſis ſuperioris loci.

ſua,

ſua dimovetur, verſ. 1.cap.2. Quorſum iſtud, ſi jam ante eodem pœne ſpiritu eos perſuaſos eſſe voluerat de eo, quod Deus, uti in ipſis ſine ipſis fidem effecerat, ita in ipſis ſine ipſis per potentiam irreſiſtibilem fidem conſervare vellet? Nam fide iſta poſita fieri non poterat ut à mente iſta dimoverentur nedum ut citò dimoverentur. Neque magis locus Petri, ex 2. Epiſt. 1.cap.verſ. 3. deſumtus, facit ad perſuadendum, Remonſtrantium elencho Deum erroris argui. Nam Petrus iſto in loco *virtutis* quidem ſive δυνάμεως θείας mentionē facit, ſed per virtutem ſive δύναμιν iſtam θείαν non intelligit vim ſive potentiam illam, qua Cenſor Fidem in nobis ſine nobis effici vult, ſed tantum Deum ipſum omnipotentem; periphraſi uſitata, qua nunc bonitas Dei, nunc ſapientia Dei, nunc juſtitia Dei, nil niſi Deum ipſum notant; quanquam ratio aliqua potentiæ etiam hic habita dici poteſt, quia admirabiles & complures actiones divinæ potentiæ intervenerunt, ut certa reſurrectionis & æternæ vitæ ſpes nobis fieret, & ut de voluntate Dei fieremus quam perſuaſiſſimi. Rationis complures ſunt: Nam primo, ſi intelligeretur iſta quam Cenſor vult δύναμις hoc in loco, non dixiſſet Apoſtolus, Deũ nobis dediſſe πάντα τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν: unica tantum hac potentia opus erat; una hæc ſufficiebat. II. Inepte dixiſſet, Deum dediſſe nobis τὰ πρὸς εὐσέβειαν. Nam εὐσέβειαν poſtulat à nobis ſub præmij promiſſo & pœnæ comminatione. Poſtulare autem à nobis εὐσέβειαν, & efficere in nobis ſine nobis εὐσέβειαν, per δύναμιν θείαν, ſunt ἀσύςατα. Iſta operatio repugnat è diametro, non divinæ tantum, ſed humanæ ſapientiæ: Stultè præcipit, qui id, quod præcipit, in eo, cui præcipit, ſine ipſo efficere vult & actu ipſo efficit. III. Petrus dicit *divinam virtutem nobis omnia donaſſe, quæ ad vitam & pietatem pertinent, per agnitionem ejus, qui vocavit nos.* Agnitionem itaque ſive cognitionem ſupponit, ut non profectam ex iſta virtute. Quod ſi id nolimus, ſed Apoſtolum velimus indicare id, quod nobis dedit Deus vel divina vis, tum cognitio iſta ſignificabit, vel actualem ipſam cognitionem, ſive ea ſit mera tantum cognitio Dei & Chriſti, ſive etiam cognitio & fides in illum; Vel Euangelium, per quod cognitio plena Dei & Chriſti haberi poterat, quo ſenſu dicimus dari cognitionem alicui, cui ratio, via ac modus certus revelatur, quo ad cognitionem rei alicujus pervenire poteſt, ſive fiat ut ad actualem rei iſtius cognitionē perveniat, ſive non. Utrocumq; modo acceperis, manifeſtum ſemper erit, per potentiam divinā hic non intelligi ab Apoſtolo id, quod vult Cenſor. Nam ſi cognitio

Refellitur expoſitio loci ex 2. Petri. 1.3. à Cenſore adducta.

priore sensu intelligatur, tum necesse est ut dicatur. Petrum de omnibus dispersis fidelibus, ad quos scribebat non tantum pro se credidisse, vel saltem ex judicio caritatis sensisse, quod divina virtus in illis cognitionem sive agnitionem & fidem istam operari voluerit, & actu jam operata erat; sed etiam id eum omnibus persuasissimum esse voluisse. Nisi enim id Petrum voluisse dicat Censor, enervat atque elidit fundamentum exhortationum & admonitionum ejus omnium. Hoc non dicet Censor, si sapit. Quod si vero cognitio posteriore sensu intelligatur, tum nihil ex verbis istis pro caussa sua concludere poterit Censor. Sed quid opus est in re clara diutius morari? Versus sequens modum exponit: quo divina virtus omnia nobis dat, quæ ad vitam & pietatem pertinent, per agnitionem ejus qui vocavit nos, quia vid. Deus *maxima illa & pretiosa promissa nobis donavit* (nota idem verbũ δεδώρηται) *ut per ea efficiamur divinæ consortes naturæ.* Hac in re cumulus divinæ bonitatis, sapientiæ, & potentiæ est. Qui ista habet Christianus, is omnia habet, quæ ad vitam & pietatem pertinent. Promissa enim ista continent omnia ista auxilia, quibus homo in hac vita opus habet, ut divinæ voluntati obedire possit, ut actu obediat in mediis tentationibus, & ut ad finem usque vitæ in obedientia perseveret, atque ita evadat eam, quæ in mundo est corruptionem ex cupiditatum veneno ac contagio. Ignoscant jam vicissim Censores Academici, & subtiles Doctores (suis enim eos jam verbis compellare libet) ruditati Remonstrantium, si ipsis non licet esse tam acutis ut percipere possint hæc tria. I. Magnitudine ὑπερβαλλούσης δυνάμεως κράτους, ἰσχύος, opus esse ad fidem in homine efficiendam. II. Magnitudinem istam potentiæ concurrere posse cum serio præscripto ac mandato Fidei, promissione præmii & comminatione pœnæ sancito. III. Fidem, quæ per istam magnam potentiam in homini, sine ipso efficitur, obedientiæ nomine venire, & præmio ac laude dignam censeri posse. Hæc conjungere & componere non possunt Remonstrantes, adeo sunt rudes & bardi: Id si possint Censores, næ ingens eorum acumẽ est, & ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς ἀγχινοίας. Mirum ni discipuli eorum applaudãt tam ingenti indrustriæ, & euge accinant magistris suis, plusquam Angelicis & Seraphicis.

Quæ ad sectionem IV. censentur, ea sunt parvi ponderis. Primum enim quod censetur est, *Quod Remonstrantes ad eliciendum adsensum Fidei, à parte Dei tantum requirant argumenta talia, quibus verisimiliter nihil opponi potest, cur credibilia non sint, & fidem non me-*

reantur ea, quæ credenda nobis proponuntur. Sic enim inquit *facillimum est Remonstrantibus cum Pelagio transigere.* Quantum crimen medius Fidius, si omnino hoc verum foret! At nihil minus quam hoc, habet veri speciem. Manet adhuc inter eos & Pelagium hiatus maximus. Nam quando nihil aliud requirunt Remonstrantes à parte Dei, quam argumenta talia, non excludunt præcedaneam dationem potentiæ supernaturalis, qua fiat ut homo adsensum possit præbere argumentis istis (Illam semper præsupponunt & prærequirunt uti jam ante sæpius ostensum est, & in Actis & Scriptis eorum Synodalibus sæpius in terminis ab ipsis declaratum esse constat: Hanc vero negabat Pelagius, quia ad adsensum fidei præstandum naturæ vires sufficere per se profitebatur, uti notum est) sed tantum excludunt istum operationis modum, quo Calvinus cum suis somniat Deum pectoribus paucorum quorundam, nominatim ad id electorum, adsensum istum indere atque imprimere. Addit Censor; *Argumenta ista non sufficere à parte Dei, ex eo manifestum est, quod dogmata Fidei, quæ evidentiam non habent, talibus argumentis non possint probari, quibus verisimiliter nihil opponi possit.* De evidentia nihil dixerunt Remonstrantes. Aliud est evidentia, aliud credibilitas. Argumenta, quæ credenda proponuntur, credibilia sint necesse est; Evidentia ut sint, non requiritur. Et hoc vult declaratio, cum dicit requiri argumenta, non quibus simpliciter aut in speciem nihil verisimile opponi potest; Absit, sed quibus nihil verisimiliter opponi potest (Nota) cur credibilia non sint & fidem non mereantur ea quæ credenda proponuntur. Tantum autem abest, ut dogmata fidei, quæ credenda sunt, & credenda proponuntur Christianis omnibus, sub periculo æternæ condemnationis, in summo gradu credibilia non sint, ut nisi talia sint, eo ipso pro dogmatibus fidei habenda non sint. Et sane, nisi res ita se haberet, frustra ac stulte laborassent olim, hodieque laborarent Christiani ut Atheos, Gentiles, Iudæos ad Religionem Christi adducant, iisque dogmata Religionis Christianę persuadeant. Quare non simpliciter probandum videtur id, quod ait Lactantius, *divinam veritatem idcirco doctis esse contemtui, quia idoneis assertionibus eget*, nisi commodo sensu intelligatur. Nulla veritas in suo genere magis idoneis assertionibus nititur, quam veritas Religionis Christianæ. Injuriam Christo & divinæ Christi Religioni facit gravissimam, quisquis aliter statuit. Quare admiratione non levi dignum est, cum quærit Censor: *Quomodo fiduciam in Iesum Nazarenum collocaremus, virum in ligno suspensum, adeoq; sententia Dei maledictum, si nihil credibile censeremus, nisi firmatum argumentis quibus nihil opponi posset?* Imò.

Quo sensu Declaratio ad eliciendum Fidei adsensum non requirat à parte Dei nisi argumenta fide digna.

Dogmata Fidei talibus argumentis non tantum possunt sed & debent probari, quibus verisimiliter nihil potest opponi cur credibilia non sint.

Imò verò, idcirco fiduciam in Jesum Nazarenum virum in ligno crucifixum collocamus, quia eum à Deo ipso approbatum, &, in signum approbationis, ex mortuis suscitatum & ad dextram divinæ Majestatis in cælo collocatum esse, istiusmodi, & tot argumentis confirmatum est, ut nihil pluribus aut solidioribus ad fidem rei factæ faciendam, confirmari possit, adeò ut dicere audeamus, Aut credendum est hoc verum esse, aut nihil in rerum natura credibile censendum est. Atque hoc ipsum manifestè arguit locus Apostoli iste, quem hic Censor planè in contrarium sensum citat, 2.Corin.10.4.5. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed divinitus valida ad subversionem munitionum; Ratiocinationes evertendo omnemque sublimitatem quæ sese extollit adversus cognitionem Dei, & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo.* Dicit enim istis verbis Apostolus, *Arma sua*, id est argumenta & rationes suas, quibus pugnabat pro Christi doctrina, contra erronea dogmata & opiniones falsas Philosophorum, aliorumque mundanorum hominum, quamquam subtilissimæ videbantur, adeò solidas, efficaces & nervosas fuisse, ut evertendis istis plusquam sufficerent, imò ut sufficerent captivando omni licet subtilissimo acumini & industriæ, & cogitationibus ipsis, id est ingeniosissimis conceptionibus retundendis, & sic hominibus persuadendis ut erroribus valedicerent, & Religionem Jesu Christi amplecterentur: Hoc autem dicere non potuisset Apostolus, nisi ejusmodi argumentis contra eos instructus fuisset, ad probandum Religionis Christianæ dogmata, quibus verisimiliter nihil opponi ab iis poterat, cur, non dico evidentia aut prorsus & omni modo clara, sed credibilia non essent. Nec dubium est, quin hæc gloria soli Religioni Jesu Christi propria tum fuerit, & etiamnum foret, nisi divinis insitisq; Religioni argumentis, seu imprudenter, seu impudenter, fragilia & elumbia miscuisset humana industria. Inde natæ hypotheses, axiomata & placita à ratione omni & specie veri aliena, quæ in Religionem Christi paulatim transiverunt, aut irrepserunt, &, quia idoneis assertionibus egebant, humana autoritate stabilita & sancita sunt. Hinc Christi Religio imbellis facta est, & tantum non probrum ac ludibrium Judæis, Turcis, variisq; alioquin nec indoctis nec malignis mortalibus, quibus nescio quid citius persuaseris, quam Religionem Christi istis hypothesibus subnixam. Sed hoc flere potius licet, quam corrigere.

Sensus loci 2. ad Cor. 10.4.5. perperam à Censore allegati.

Alterum, quod hic censetur, est, *Quod Remonstrantes ex parte hominum requirunt piam docilitatem & animi probitatem in eo, à quo fides*

ista postulatur &c. hæc inquit Censor, *ex Theologia Socini apertè desumta sunt.* Imò vero hæc desumta non esse nisi ex Theologia Christi, satis manifestè quæ in sectione hac allegantur loca, arguunt. Tota enim sectio pene nil nisi Scripturæ verba habet. Sed esto, ex Socino hæc desumta sint, quid tum? Cum Socino itaque sentiunt hac in parte Remonstrantes. Benè habet. Socinus ergo hac in re benè sensit scripsitque. Qui id ægrè fert, is rationes adferat, alioquin exsibilari dignus est. Id tantum notandum est obiter: A Remonstrantibus hic affirmari ad fidem vel adsensum fidei obtinendum, requiri ex parte hominum docilitatem & probitatem; non quasi fieri nullo modo possit, ut alii ad fidem etiam adducantur, aut dociles & probi reddantur: Nihil minus, sed quod sine docilitate & probitate animi adsensus fidei *commodè*, Nota benè vocem hanc *commodè*, elici non possit. Magnis molestisque ambagibus alioquin opus est.

Quo sensu declaratio requirat piam docilitatem aut animi probitatem, ad fidem eliciendum.

At ex eo sequitur, inquit Censor, *homines omnes natura sua non esse indociles atq; improbos.* Nihil minus quã hoc sequitur, Tantum sequitur inter eos, qui vocantur ad Religionem Christi, alios aliquando esse dociles, alios indociles. Discrimen istud ex natura esse nec dicitur, nec ex dictis rectè concluditur. Ex aliis caussis id provenire quid vetat? Nemo, qui ad Christum vocatur, talis est, qualem eum natura finxit. Educatio, conversatio, institutio, aliaque discriminant mortales maximam partem, eosque variis adfectionibus imbuunt. Rectè Flaccus, licet alioquin vitæ non admodum castigatæ,

Nemo qui ad Christum vocatur talis est, qualem eum natura finxit.

Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura alioquin recta; velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore nævos.
Sic neque avaritiam, neque sordes, ac mala lustra
Objiciet verè quisquam mihi: purus & insons
(Ut me collaudem) si & vivo carus amicis
Caussa fuit Pater his.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum Doctores aderat, quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi:
ob hoc nunc
Laus illi debetur & à me gratia major.

Neque verò negandũ omninò videtur, conditionem temperamenti cujusque hominis vim magnam habere ad mores animi, ad virtutes & vi-

tia,

tia. Pro ratione ejus aptior vel ineptior quisque est ad docilitatẽ & probitatem animi consequendum, Præcipuam tamen vim habent educatio & institutio. Atq; inde ferè discrimen petendum est. Non videtur hoc negare Censor, ideoq; per cautelam addit, *ubi de vera docilitate & de vera probitate, quæ ad res divinas requiritur, quæstio agitatur.* Atqui docilitas, quę nos aptos reddit ad virtutes, sive ad honestatem morumq; castitatem, quomodo non reddat nos aptos ad res divinas? Docilis probusq; animus quas res citius libentiusq; admittat, quam virtutes divinas, utpote æquitati & rationi rectæ maximè consentaneas, & ejusmodi argumentis adstructas, quibus & qualibus cæteræ disciplinæ omnes carent? Docilitas quæ nos aptos reddit ad virtutes morales, eadem aptos nos reddit ad virtutes divinas amplectendum. *Atqui* inquit Censor, *hoc disertè Scriptura repugnat, quæ nullum discrimen naturale vel docilitatis, vel probitatis, ubi de rebus divinis agitur, inter homines ante regenerationem agnoscit.* Falsum hoc esse ex locis in sectione Confessionis, de qua agitur, citatis, manifestissimum est, si modo vocem *naturale*, omittas, de eo enim jam non agitur. Discrimẽ esse constat & quidem ante regenerationem, an naturale illud sit, alterius loci est disquirere, hic ad rem non facit: Locus ex Epist. ad Ephes. 2. 3. contra nihil facit. Nam Apostolus isto in loco non agit de naturali & communi omnium omninò hominum conditione & statu, sed tantum de conditione gentilium ante auditũ Euangeliũ, quamquam & inter eos discrimen aliquod faciendum esse non obscure colligitur ex 1. Corinth. cap. 6. vers. 11. cum ait: ϰ̀ ταῦτα τινὲς ἦτε. *Et hujusmodi quidã vestrum erãt*, quod inepte Beza vertit, Et hæc eratis *unusquisque*. Sed posito etiam Apostolum communiter aut universaliter hæc de omnibus gentilibus affirmasse, Non repugnant filium iræ esse, & docilem ac probitate animi præditum esse. Docilitas probitasque animi cum peccati habitu & peccandi consuetudine potest consistere: Aliud enim est docilem ac probum animum habere, aliud jam didicisse quæ sit vera pietas, & qua in re vera obedientia divinæ voluntatis posita sit. Quin imò aliud est hoc scire, aliud facere. Multos videas dociles, bonæque & honestæ indolis, qui inter profanos ætatem degunt, in meliorem frugem evasuri si monitoribus non carerent, aut inciderent in bonos vitæ magistros, vel socios. Docet id Christus, cum *meretrices & publicanos dicit præcessuros Scribas & Pharisæos in regnum cælorum.* Math. 21. 31. Et videas non paucos luculenta veritatis cognitione præditos & alioquin minimè malos, à vero tamen pietatis studio valdè alienos. Ex quo patet loca illa, quæ Censor in eandem sententiam citat, ex 1. Cor. 6. 9. 10. 11. Rom. 8. 7. 1. Cor. 2. 14. Tit. 3. 3. & seqq. ad rem non facere

Sensus loci ad Ephes. 2. 3.

Filius iræ esse potest, qui docilis & probitate animi præditus est.

cere. Aliud enim est docilitate ac probitate animi præditum esse, aliud virtuosum & pium esse: Non statim virtuosus est, qui docilis est, nec pius qui probitate animi præditus est. Meliore disciplina, Spiritu, & gratia opus est ad peccatorum habitum excutiendum. A solo Christo tantum bonum haberi potest: Sola ejus Religio, solus ejus Spiritus potis est in nobis excitare verum peccati odium, & sincerum pietatis ac sanctimoniæ studium. Absque illa omnes peccatorum habitu plus minusve impliciti hæreant necesse est. Quisque vitio uni aut alteri, & imprimis suo, blandietur, & in eo consenescet.

Subjicit Censor, *Nolumus negare inter homines non regenitos eße nonnullos aliis magis dociles imò etiam aliqua probitate & honestate morum præ aliis conspicuos; sed, an talis probitas vel docilitas eos magis ad fidem disponat, ut facilius credant, quam qui vel minus probi sunt, vel minus dociles, videndum est. Contrarium sæpe testata est & etiamnum testatur experientia.* Nihil falsus, si docilitatem & probitatem animi conjungas. Docilitas sine probitate animi facile dilabitur in profanitatem. Probitas sine docilitate facile deflectit ad superstitionem. Tum si ii, qui eos ad fidem vocant, tales sint, ut doctrinam fidei non reddant inefficacem prorsus & inutilem: Nam quid docilitas probitasque animi in discipulo juvant, si doctrinam suam Doctor ipse vel docendo enervat, vel vivendo infamat? Nihil vanius etiam atque incertius, quam quod ab experientia desumitur argumentum. Nam nos sæpè dociles judicamus eos, qui nihil minus sunt quam dociles: Ceræ instar duci se sinunt à nobis in omnē partem, cætero quin duriores silice. Nobis credunt, non rationibus nostris ducti, sed suis affectibus. Sic, probitate animi præditi nonnulli nobis videntur, qui indolis planè sunt perversæ; Ingenium vultu tegunt, & virtutem verba putant, ut lucum ligna; Docilis statim non est, qui est ingeniosus, nec probus, qui superstitiosè religiosus. Ingeniosissimi sæpe sunt obstinatissimi, & summè indociles. Ingenio suo lenocinantur ac fidunt: Alios respuunt & despiciunt tanquam infra se positos, & ingenio suo impares. Zelotæ maximi sæpè pessimis affectibus laborant, & qui supra alios videntur pollere studio veritatis, ii non rarò intus & in cute veritatis hostes sunt acerrimi. Zelus eos abripit extra modestiæ & docilitatis metam, fiuntque indociliores promiscua plebe & proletaria quavis turba. In Pharisæis & Scribis id apparuisse testatur Servator ipse. Nam quamquam studio virtutis & pietatis cæteris omnibus præstare videbantur, publicanos tamen & meretrices multò iis dociliores fuisse asserit. *Atqui,* inquit

Ostenditur falsum esse quod experientiam testari dicat Censor, minus probos minusque dociles aptiores esse ad fidem & facilius credere, quam dociles & probos.

inquit Censor, *docilitas illa naturalis sæpe abstrahit homines à fidei documentis, quia versatur circa ea, quæ rationi humanæ magis conveniunt, quibus præveniuntur animi dociles, & ita præoccupantur, ut altior & à sensibus remotior doctrina in ipsis locum non inveniat.* Atqui contrarium potius verum est. Idcirco docilitas naturalis, nisi affectibus & præjudiciis præoccupata sit, magis aptos eos reddit ad fidem & fidei documenta facilius & libentius admittendum, quia documenta fidei rationi rectæ non disconveniunt, etiamsi à sensibus remota sint. Ratio enim recta non semper pendet à sensibus, nec sensibilibus utitur argumentis, imo fidem à sensu & sensibilibus argumentis suspendi vetat. Quæ sentiuntur, ea non creduntur. *Beati qui non vident & credunt tamen*, quia ratio nulla cur non credant. Sed, hic Christianos multos error tenet, ut fidei documenta non à sensibus tantum submota, sed à ratione recta etiam aliena esse credant, atque idcirco rationem omnem humanam, in fidei rebus, valere atque ab iis exesse jubeant. Periculosus hic & vere pœnitendus error est, unde multa mala in Christianum orbem profluxerunt. Quæ ex Augustino & Lactantio citantur, ea tanti non sunt, ut propterea laborandum sit: Ex antedictis patet solutio. Nec defuerunt ex Patribus antiquis, & ex Reformatis Doctoribus aliisque permulti, qui contrarium senserunt, imo qui eos etiam gentiles & Philosophos, qui rationis rectæ ductu Virtutem sunt sectati, & voluptatibus omnibus sæculi hujus pro virili renunciarunt, in salvandorum ordine collocare non dubitarunt, de quorum sententia nos judicium nostrum non interponimus, rati caritatis magis affectu, quam certo judicio eos adductos ita sensisse. Deus justissimus judex sententiam suo tempore feret exceptione omni majorem.

Docilitas non abstrahit homines à fidei documentis, nec caussa est cur abstrahat.

Nos jam videamus porro quid Censor ad loca ista, quæ Remonstrantes in Confessione sua citant, pro sua opinione excipiat & respondeat. Ad locum ex 2. Thess. 3. 2. *Fides non est omnium*, connexionis probationem se expectare dicit: At ea est manifesta ex scopo & sensu loci, qui est, ostendere, mirum videri non debere Ecclesiis, si qui sint inter ipsos, qui Christi Religionem profitentur, & tamen veri Christiani non sunt, aut ad fidem & Religionem Iesu Christi intus in cor suum admittendam adduci se non sinunt, adeo ut perpetuo cum illis, tanquam cum refractariis & molestis adversariis, luctandum & laborandum sit. Ad fidem enim & Religionem Christi suscipiendum & medullitus imbibendũ prærequiri ut non sis ἄτοπος καὶ πονηρὸς sive δύσκολος. Qui enim sic animatus est, ei nunquam facile persuaseris ut pius fiat, & serio

Vindicatur locus ex 2. ad Thessal. 3. 2. in declaratione citatus, ab exceptionibus Censoris.

atque

atque ex animo Christi Religionem sectetur. Absurdissima licet teneat & maxime ἄτοπα, non credet tamen, quin & molestiam tibi facesset sine fine ac modo; hoc enim est πονηρὸν εἶναι: hinc orari Deum vult Apostolus, ut ab istiusmodi hominibus libera esse possit sancta ipsius Ecclesia. (Nisi forte quis hæc accipere malit de iis, qui Christiani nondum erant, & cum Christianis perpetuo digladiabantur, ut Religionis Christianæ cursum sisterent atque impedirent. Eodem tamen redibit res) Hunc sensum loci hujus esse per se manifestum est; Et confirmatur valide ex eo, quod sensus iste, quem Censor ei inesse vult, speciem nullam verisimilitudinis habeat: Nam, si sensus verborum istorum, *Non enim omnium est Fides*; hic est, Deus omnibus fidem dare non vult; quæ ratio dari poterit quod Apostolus Thessalonicenses monuerit orare Deum ut liberari possent ab istis ἀτόποις & πονηροῖς, idcirco quia fides non est omnium? Alterutrũ dicatur necesse est; Aut quod Apostolus sciverit hos ἀτόπους καὶ πονηροὺς ex numero rebrobatorum fuisse atque idcirco, de iis ad fidẽ adducendis laborandum non esse; quod quis credat? Vel si credat, quomodo probaverit? Aut quod homines hos ex reprobatorũ numero ac proinde fidei incapaces esse collegerit ex hoc signo, quod ἄτοποι καὶ πονηροὶ essent. At hoc signum Apostolo esse non poterat nec debebat; ἀτοπία enim καὶ πονηρία ante fidẽ semper est in omnibus hominibus, ex sententia Censoris hoc ipso in loco. Contrarium itaque colligere potius debuisset Apostolus, jussissetq; orare Thessalonicẽses pro ipsis, ut ab ἀτοπίᾳ & πονηρίᾳ ista liberari possent, & sic ad fidem adduci: Eadem enim ratio est illorum, quæ omnium, aut plerorumque. Alii enim aliis ægrius, tardius, molestius, difficilius ad fidem adducuntur. Huic jam adde, quod Apostolus caussam nullã habuisset hominibus istis exprobrãdi quasi per convitium, ἀτοπίαν καὶ πονηρίαν ipsorum, si caussa ejus rei erat, quod Deus fidem iis dare non vellet, quia videlicet Deus eos ab æterno reprobaverat, & ad incredulitatẽ atq; ad ἀτοπίαν καὶ πονηρίαν illam destinaverat. Hoc autem cum Apostolum hic non sensisse certum sit, dubitari vix potest, quin sensus verborum istorum, aut potius rationis istius, *Nam fides non est omnium*, alius non sit quam is, quem indicat Confessio Remonstrantium, & nos hic plenius expressimus.

Atqui, inquit Censor, *nondum apparet connexio, Nam ex suppositionibus Remonstr. fides est in omnium potestate, & nemo est, qui, faciendo quod in se est ex viribus naturæ, ad fidem non possit pervenire.* Imo vero idcirco connexi est evidens: Nam cum Apostolus dicit, *Fides*

non

non est omnium, eo non significat, non omnes posse credere, sed non omnes velle credere, imò esse quosdam adeo ἀτόπους καὶ πονηροὺς, ut prorsus inepti sint ad credendum, adeoque ut velint non credere habitu scilicet & cõsuetudine incredulitatis obsessi. Quare cum Remonstrantes dicunt, *Fidem esse in omnium potestate*, non id volunt, quasi omnibus & singulis omni tempore facile ac proclive sit credere, & ex fide obedire Deo, quando tantum volunt: Absit; Sed hoc tantum volunt, Per Deum ac divinam bonitatem & clementiam non stare, quo minus ii qui primitus ad fidem vocantur, possint Deo vocanti credere ac parere. Potentiam etiam ad credendum homini nunquam prorsus negari nec penitus adimi à Deo; sed quæcunque homini accidit impotentia, eam à voluntate hominis sola provenire, eamque non tam physicam quàm moralem esse impotentiam, quæ ex diuturna obstinatione & consuetudine tergiversandi nascitur, unde homo adeò ineptus ad credendum, adeoque alienus à credendo redditur, ut impotenti similis fiat. Nisi hoc dicatur, nec præceptionis divinæ, qua Deus tales obedire ac credere præcipit, nec punitionis divinæ, qua tales non credentes gravius multò punit, ratio constare potest.

Quid sibi velint Remonstrantes, cum dicunt Fidem esse in omniũ potestate.

Ad loca duo ex Joha. 7. 17. & ex Joa. 3. 19. 20. nihil excipit Censor nisi hoc, *Si de fide absolute intelligant, sequetur id absurdum, homines facere veritatem sine cognitione veritatis, & in luce, aut ut lucis filios ambulare qui ad lucem nondum venerunt, aut lux in Domino non sunt.* Quasi verò nesciat Censor, de qua fide Remonstrantes hic loquantur. Titulum tantum capitis vide, & de fide in Iesum Christum eos hic agere manifestum erit. *Facere* itaque *veritatem*, non est facere id, quod Euangelium aut Christus in Euangelio fieri jubet, sed, phrasi hebræa, facere id, quod bonum & rectum est, sive quod ratio recta vel lege naturæ, vel lege Mosis, vel alia aliqua seu traditione seu doctrina informata, verum, id est, honestum esse dictat: opponitur enim τῷ *mala facere*. Alibi Scriptura id vocat *Quærere Deum* aut *Dominum*, Act. 17. 27. *Fecit* (Deus) *ex uno sanguine totam gentem hominum, ut habitaret super universa superficie terræ, definitis statis temporibus, & positis terminis habitationis eorum, ut quærerent Dominum, si fortè palpando eum invenirent.* Alibi vocat id, *facere justitiam, & Deum timere*, Act. 10. 35. *In quavis gente acceptus est Deo quivis, qui eum timet, & operatur justitiam*, Alibi vocat id εὐσεβῆ εἶναι, alibi aliter. Videtur hæc agnoscere etiam Censor, ac propterea statuere fidem aliquam in iis præsupponi, de quibus affirmatur, quod faci-

Quid sit facere veritatem, in locis Ioan. 8. 17. & Ioa. 3. 19. 20.

ant voluntatem Dei, ſed per fidem iſtam intelligi non vult niſi fidem & cognitionem illam ipſam, quæ per Euangelium habetur: Ejus enim augmentum tantum dari vult iis, qui fide iſta antea præditi ſunt idque indicari locis citatis. At hoc eſt neceſſitatem & vim Euangelicæ doctrinæ funditus tollere, & loca citata à proprio & genuino ipſorum ſenſu violenter detorquere, uti ex eo manifeſtum eſt, quod in locis iſtis probitas animi, timor Dei, &c. tribuantur iis, qui vera & Euangelica fide in Chriſtum præditi non erant; utpote qui Chriſtum pro peccatis mundi moriturum neſciebant, imò qui Chriſtum non niſi regem terrenum futurum credebant, & ſic per eum exſpectabant redemtionem Iſraelis: uti ex cantico Simeonis, Mariæ, & Zachariæ haud obſcurè liquet: De Cornelio patet diſertè dici, Petrum miſſum fuiſſe ad eum, *ut audiret ex ipſo verba, in quibus ſervaretur ipſe & domus ejus.* Act. 11. 14. Ad loca Joan. 8. 47. quærit Cenſor; *An igitur aliquis poteſt eſſe ex Deo, vel ovis Chriſti, natura corruptus, necdum regenerationis Spiritu donatus?* At hoc eſt quærere, non ſolvere. Mirum autem id quæri à Cenſore, cum fateatur ipſe cum ſuis, electos omnes, propter ſolum beneficium electionis, cum natura adhuc corrupti ſunt, necdum Spiritu regenerationis donati, eſſe ex Deo, & oves Chriſti, ut diſertè legere eſt in Synopſi purioris Theologiæ Calviniſticæ, diſputat. 24. Theſ. 27. 28. Imò, cum hoc ipſo in loco ſtatim immediatè poſt hanc, quam hic movet quæſtionem, aſſerat, *Illos ex Deo eſſe & oves Chriſti, quos Deus ſibi aſſumſerat & Chriſto ſervandos tradiderat, non quia ſermonem Dei ſervaverant* (annon hoc eſt cum adhuc natura corrupti neque adhuc Spiritu regenerationis donati eſſent?) *ſed ut crederent, & ſermonem Dei ſervarent*; Sed nos reſpondeamus. Qui natura corruptus eſt, is poteſt *ex Deo eſſe*, & *ovis*, id eſt, bonæ & probæ ſequaciſque indolis, antequam Spiritu regenerationis, quem Deus dat iis, qui per Euangelium vocantur, & divinæ vocationi credunt, præditus ſit, imò ut ante quam Spiritu iſto donetur, fiat ovis, & ex Deo ſit, neceſſe eſt. Locus Ioan. 17. 6. *Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervarunt*, non modò non repugnat huic ſententiæ, ſed eam potius confirmat. Manifeſte enim patet ex eo, fieri poſſe ut quis Dei ſit, antequam eſt Chriſti, id eſt, in Chriſtum credat. Nam ſi velit Cenſor verba iſta *Tui erant*, ſignificare, Tibi jam per fidem veram inſiti erant, ſibi ipſi contradicet. Nam id expreſſe hic ipſe negat. Et quid? An Matthæum publicanum, ac Iudam Iſcariotem dicet Deo aut Chriſto inſitos fuiſſe, etiam antequam Chriſti vocem audiverant?

Senſus loci Ioan. 17. 6.

diverant? Si Phrasin istam id non vult significare, sed eam de æterna electione interpretandam esse dicat, tum principiū petit, & nihil concludit ex loco isto, quin imo quæstionem ipse suam ridiculam facit. Sic enim tum vicissim quæram? An itaque aliquis potest esse ex Deo, vel ovis Christi qui natura corruptus necdum regenerationis Spiritu donatus est; Sed quicquid sit hac de re, sensus loci hujus longe alius nobis esse vedetur: Tui erant, ô Pater, id est, tu eos solus regebas & curabas sine me; A te solo & immediate pendebant; Tui ex asse erant, & in solidum. At nunc tibi aliter visum est. Meæ fidei, meæ curæ eos commisisti, Me eorum curam habere voluisti, ut per me tibi fideliter adhærerent: Et ego, quantum in me fuit, operam dedi, ut tibi indivulse adhærerent. Sermonem tuum iis servandum dedi, Istum solum iis inculare non destiti, & quod tu mecum impense voluisti obtinui ab ipsis, & eum hactenus servarunt. Sed jam ab illis abeo, suscipe eorum curam iterum sine me, ô Pater, usque dum ad illos redeo, &c. Reliqua loca Act. 2. 41. Act. 13. 47. 2. Cor. 3. 5. non expendemus hoc loco, quia alibi id prolixe fieri necesse est.

Posthæc contrahit Censor paucis, quæ antea fuse dixerat. Reperio autem in verbis istis rationem novam, qua antea usus non fuerat; Ea hæc est: *Nulla docilitatis aut probitatis species, quæcunque in hominibus, antequam ad fidem vocantur, reperiri potest, ad fidem veram vel pertinet vel disponit, quia peccatum est, quicquid fit sine fide & vera Dei cognitione.* Ratio hæc plane falsa est, ut mirum merito videri debeat quo modo eam sine ulla probatione aut testimonio adducere Censor ausus fuerit. Virtus est virtus à quocunque ea exerceatur, Et quicquid cum recta ratione congruit, id virtutis nomine dignum est. Vera Dei cognitio non facit ut opus rectæ rationi congruens virtus sit, sed ut opus rectæ rationi congruens Deo sic placeat, ut id remuneratione dignum censere velit. Nihil enim, etiamsi optimum sit, Deo sic placet, ut id remuneratione dignum censeat, nisi quod ex obedientia divinæ voluntatis, sive ex deliberato Deo obediendi animo proficiscitur. Is sine vera divinæ voluntatis cognitione esse non potest: Quod ad fidem attinet, sine qua probitatem etiam istam peccatum esse vult Censor, respexit forte ad locum Rom. 14. 23. *Quicquid non fit ex fide, peccatum est*: Sed admodum perperā. Nam fides ibi non significat cognitionem Dei veram, nedū eam, quæ ex Euangelio Iesu Christi tantum concipitur, sed ut jam ante dictum est, certam tantum animi persuasionem aut πληροφορίαν, qua

Expenditur ratio Censoris ex dicto Pauli desumta, Quicquid fit sine fide peccatum est.

sit,ut non dubitem quin id quod facio: rectũ sit & bonum. Contrarium itaque potius collegerit quis ex isto loco. Videl. eos, qui ex ista firma certaque animi persuasione aliquid faciunt, non peccare. Et cum persuasio illa esse possit etiam in iis, qui vera Dei cognitione carent, ut in Iudæis & gentilibus multis, efficietur itaque fieri posse, ut quis non peccet, imprimis cum id, quod ratio recta bonum esse dictat, facit, etiamsi cognitione Dei vera careat. Sed quia locum hunc Censor non adduxit, nos eum jam prolixius hic non expendemus.

Vindicantur à contradictione Remonstrantes, cum dicunt, liberam esse obedientiam sive opera bona, & obedientiam tamen ex fide necessario sequi.

Ad sectionem V. notandum esse dicit Censor, *Remonstrantes videri pugnantia suis dogmatibus dicere, & liberum suum arbitrium destruere.* Cur? *Cum enim,* inquit, *alias ab omni necessitate liberum esse contendant, nec opus aliquod laudabile existiment quod necessario fiat, hic tamen dicunt, Observationem mandatorum & bona opera, fidem neceßario secum trahere.* Quasi vero hæc aut sit, aut videatur contradictio. Nam obedientiam liberam esse posita firma ac deliberata fide, id est, fieri posse, ut quis nolit pie vivere, si jam persuasissimum habeat apud animum suum, fieri non posse, ut salutem æternam consequatur, imo certo certius futurum ut æternum à gloriosa & beata vita seclusus, sempiternis cruciatibus mancipetur, si non obediat & pie vivat, Remonstrantes nunquam dixerunt, nec dicet unquam quisquam cui vel mica salis in pectore est. Nam fieri posse ut quis dedita opera nolit esse beatus, adeoque æternum velit esse miserrimus, moraliter impossibile est. Obedientiam interim, quæ ex tali fide proficiscitur, vocant opus laudabile, non per se, sed in causa, quia fides unde illa emanat, semper manet libera. Qui enim id jam credit, is inducere in animum suum semper iterum potest, non quidem quod falsum sit aut non credibile id quod credit, sed quod credibile licet sit, tale tamen non sit, quod sentiri, videri aut palpari potest, proinde quod non ita certum ac clarum est, quin clarius aliquid adhuc desiderari ac postulari possit: Atque hanc ob causam, quia videlicet tota obedientia ex ista fide dependet, ita ut sine ea esse aut durare vix ad momẽtum possit, obedientia etiã esse dicitur opus laudabile. Posse autem aliquid censeri liberum in causa, quod tamen per se liberum non est, constans est Philosophorum sententia. In homicida ebrio res patet; homicidium, quod ebrius committit, libera voluntate committi creditur & ut tale puniri solet, etiamsi per se libera voluntate non committatur, quia ebrietas fuit ἐκ προαιρέσεως, quæ proxima homicidii causa est. Sed hoc leve est. Alterum quod sequitur gravius est. *Quamvis credamus sincere*, inquit, *fidem*

dem vere producere in fidelibus novam obedientiam & opera bona, id tamen alia ratione fieri contendimus, quam ea, quæ à Remonſtrantibus & Socinianis proponitur: Illi enim non docent fideles, ex ſenſu bonitatis divinæ & gratiæ ſibi in Chriſto collatæ, ad cultum & obedientiam filialem ferri, cum ſe eſſe filios Dei ſentiant, & proinde debere patri tam benigno ſe morigeros præbere agnoſcant. Hic ſtemus paululum. Senſus horum verborum eſt, Remonſtrantes non docent, fidem, quæ ſpecialem Dei miſericordiam, ſive abſolutam aut inconditionatam ſui electionem pro objecto habet, producere novam obedientiam, ſed fidem longe aliam. Ita eſt. Nam electionem talem pro figmento habent, quod fidei & obedientiæ, quæ à Deo mandatur, neceſſitatem, veritatem ac vim omnem funditus evertit. Quod priuſquam demonſtro, evolvenda hic ſunt quædam, ut res pateat. Fatentur Remonſtrantes bonitatem divinam & præparationem gratiæ ſalutaris in Chriſto, quæ ex divina bonitate & miſericordia ortũ habet, fidem præcedere: deinde, bonitatem iſtam & gratiam in Chriſto præparatam, quaſi ſentiendam hominibus omnibus ſine diſcrimine dari, cum ipſis revelatur: Tertio, fieri vix poſſe, quin ea vehementer afficiat homines, quando eam offerri ſibi liberaliter audiunt, & animum advertunt: Denique ſenſum iſtum divinæ bonitatis ſive perceptionem iſtius gratiæ, quæ ipſis revelatur, excitare in ipſis ὁρμὰς, ſive motiones ad fidendum & parendum tam benigno Deo ac Patri miſericordiarum prorſus impromeritarum. Hæc omnia, ut per ſe plana, fatentur Remonſtrantes. Sed quod pro figmento habent Remonſtrantes, illud eſt, Quod bonitas iſta divina, & quæ ex bonitate eſt præparatio ſalutaris gratiæ in Chriſto, ad paucos quoſdam, nominatim ad id electos, pertineat. Deinde, quod bonitatis iſtius, & gratiæ præparatæ perceptio, vel ſenſus, fides illa ſit, quam Deus, ſub promiſſo præmii, & comminatione pœnæ, requirit, & quæ vi ſua obedientiam novam producit in eo, in quo ille ſenſus locum habet. Quod ſic demonſtro paucis (jam enim ante ſæpius id demõſtratum pluribus eſt) Bonitas iſta divina peculiaris ſupponit beneficia omnia, quæ Deus non niſi credentibus promittit, ad iſtos nominatim electos revera pertinere antequam credunt: Nihil itaque illis credentibus promitti dici poteſt, qua talibus, nec credentes beneficio fidei quicquam conſequi dici poſſunt, quod antea ipſis, antequam crederent, non pleno jure competiit: Uana itaque promiſſio eſt, & inutilis fides. Dices fortaſſe, eos ſenſum bonitatis & beneficiorum iſtorum conſequi per fidem: Fruſtra & inepte. Fides enim nihil aliud eſt, quam

Qua ratione bonitas & miſericordia divina fidem præcedat ex ſententia Remonſtrantium.

Qua ratione promiſſio divinæ miſericordiæ, & quæ promiſſioni iſti reſpondet Fides, inutiles reddantur per electionem abſolutam Cenſorum.

bonitatis illius pecularis ſenſus ſive ſenſatio. Itaque ſi promitti dicatur credentibus ſenſus iſtius bonitatis, utique jam ſentientibus bonitatem divinam, ſenſus divinæ bonitatis promitti diceretur, aut ſi fideles per fidem conſequi dicantur ſenſum iſtius bonitatis, per ſenſum bonitatis divinæ eos conſequi ſenſum bonitatis divinæ dicendum foret; quo quid abſurdius? Quod ſi ſenſus ille bonitatis Dei paternæ fides non eſt, ex mente Cenſoris, prout ſupra non obſcure profeſſus eſt Collega ejus, quid itaque eſt fides, quæ ſenſum iſtum præcedit? Certe aliud eſſe non poteſt, quam ſenſus iſte, quia eſt peculiaris iſtius bonitatis apprehenſio, ſive appropriatio, quæ aliud nihil eſt, quam ſenſatio, ſive ſenſibilis, aut intellectualis potius, ut ita dicam, ejus ſenſatio ſeu perceptio, quæ idcirco mentis ſeu voluntatis *adſenſus* à Theologis fere vocatur. Quod in corpore eſt ſenſus, id in mente eſt adſenſus, qui ſenſus quidam mentis eſt. Si quid aliud ſit, id ego fateor me capere non poſſe, neque intelligibiliter unquam Cenſor id cuiquam percipiendum dabit. Sed eſto, fides à ſenſu iſto divinæ bonitas diſtinguatur ſubtili & phantaſtica aliqua diſtinctione, tum totum id, quod credentibus Deus promittit, & quod credentes conſequuntur, eſt ſenſus iſtius bonitatis, & ſenſus iſte bonitatis obedientiam novam præcedit & de ſe parit: Sentiunt itaque fideles divinam hanc bonitatem, & ſe filios Dei eſſe ſibi per veram fidem perſuadent, antequam aut Deo obediunt, aut Deo obediendi propoſitum habent, id eſt, quatenus & quando adhuc impii ſunt & inobedientes. Secundo. Tum, in rigore loquendo, Fides & ſenſus filiationis æternæ locum habere poteſt in iis, qui in ſceleribus ac flagitiis vivunt. Tertio; Tum obedientia ipſa nova præciſe neceſſaria non eſt ad hoc, ut quis perſuaſus ſit, ſe Dei filium eſſe, & communionem cum eo habere. Quæ tria, etſi fere in idem recidant, ingentia ſane ſunt abſurda: Nam ſcriptura diſerte affirmat, *Nos per hoc ſcire quod ipſum novimus, ſi mandata ejus obſervemus*, 1.Ioan.2.3. *nos ſcire nos tranſlatos eſſe de morte in vitam, quia diligimus fratres*. 1.Ioa.3.14. *nos per hoc cognoſcere nos in eo habitare, & ipſum nobis, quod de Spiritu ſuo dedit nobis*, 1.*Joan*.4.13. *&* 3.24. Hinc idem Ioannes ait; *Si dixerimus nos communionem habere cum eo & in tenebris incedimus, mentimur & veritatem non facimus*, 1.*Ioan*.*j*.16. aliaque ſimilia. *At*, inquit Cenſor, *qui neſciunt ſe eſſe filios Dei, nec id certa fiducia ſtatuere poſſunt, quomodo ſibi proponent imitandum Patrem cœleſtem, aut quomodo ſe gerent tanquam obedietes filios?* Imo contra, inquam ego, qui ſciunt, ſe eſſe filios Dei, & certæ jam fiducia ſtatuere poſſunt, ac debent,

ſe per

se per solum divinæ electionis beneficium Filios Dei esse, & æternum filios Dei mansuros esse, absque ullo ad obedientiam, aut opera sua respectu, quid caussæ habent illi ut de imitando Deo, aut de obediendo ipsi ad consequendum aut retinendum filiationem divinam soliciti sint, imprimis, si per hoc ipsum, quod se filios Dei esse sciant, simul etiam persuasissimum habeant, futurum, ut quicquid porrò Deus ab ipsis exigit, id in ipsis sine ipsis per Spiritum suum efficiat, vel, si id nō efficiat in ipsis, id ipsis in peccatum imputare nolit? Gratitudinis ratio hic locum habere non potest, nam si hoc ipsum quod grati sint, in ipsis efficiter sola Dei actione, idque effici in se sola Dei actione credunt, quæ gratitudo illa esse potest? Gratitudo actio hominis est, non Dei in homine. Deinde, quæ necessitas est istius gratitudinis? Æquum quidem esse ut prō tanto beneficio grati sint, in quibus illud fit, colligi potest, at necessitas ejus nulla est si filii Dei sunt sine ullo ad gratitudinem illam respectu, atque æternum mansuros se esse, jam ante certa fiducia persuasi sunt, & persuasi esse debent. Dices, fieri non posse quin tam ingentis boni apprehensio gratitudinis fructus in hominibus istis, in quibus ea est, proferat. At, inquam ego, id verisimiliter quidem dicitur, sed nec consequenter sententiæ Censorum, nec verè. Verisimiliter id dicitur, quia diffiteri non possumus, quin sola apprehensio futuræ filiationis per se sufficiat ad nos movendū, ut quidlibet, quod Deo placet, præstare libenter velle debeamus & velimus, quando id Deus à nobis requirit, proinde quin apprehensio factæ jam filiationis per se etiam videatur sufficere: sed consequenter tamen id à Censoribus non dicitur, quia præter istam apprehensionem sive fiduciam filiationis specialem, qua remissio peccatorum & justitia obtinetur, aliam adhuc Spiritus S. actionem necessariam esse statuunt, per quam gratitudinis fructus in Fidelibus efficiantur. Nec verè etiam id ab ipsis dicitur. I. quia fatentur multos Fideles, in quibus fidem & persuasionem illam locum habere statuunt in gravia & atrocia peccata contra conscientiam non rarò incidere, inq; iis ad longum tempus perseverare; unde unum horum trium consequetur, Aut fidem istam pro isto tempore in Fidelibus istis esse desinere; aut peccata ejusmodi esse etiam fructus gratitudinis, qui ex fide ista proveniunt; aut fidem sive fiduciam per peccata ista ad tempus tantum obnubilari, & quasi obrui. Primum & secundum non admittet Censor: Tertium ut admittat, ratio non sinit: Nam si fieri non potest quin fiducia ista, quā semper manere dicit in iis, quibus semel obtigit, proferat fructus

Gratitudinis ratio & necessitas plane evertitur per Censorum sententiam.

fructus gratitudinis ut disertè loquitur Catechesis Palatina Dominica. 24. Quæst. 64. fieri etiam non potest, quin impediat peccata ista, quæ fructus sunt ingratitudinis: ut enim fiducia obnubiletur per ea ipsa, quæ dissipat & impedit quominus fiant, impossibile est. II. Quia falsum est apprehensionem sive persuasionem illam, qua certa fiducia statuo me, per solum electionis beneficium, filium Dei esse, & æternum mansurum absque ullo, ad opera mea, respectu, ejus esse, indolis atque efficaciæ, ut fieri non possit, quin, quando ea in me est, bona opera proferat: Apprehensio filiationis futuræ, si bona opera faciam, ejus est indolis, at non apprehensio filiationis jam factæ & irrevocabiliter mansuræ. Imò hæc apprehensio sive persuasio, contrariæ indolis est, quia obediendi & bona opera faciendi, si non æquitatem, saltem necessitatem præcisè excludit: Necessitate autem sublata in re ipsa, necessitas consequentiæ etiam veræ tollatur necesse est. Dicere necessitatem obediendi esse ex alio fundamento, præcepto sc. divino, nihil est dicere. Nam I. de necessitate quæ ex fiducia sive persuasione illa fluit, hoc loco agitur. II. præceptum divinum obediendi necessitatem non ponit, suppositâ istâ priore electione & fiducia de ejusdem irrevocabilitate. Præceptum enim simplex, nisi sanciatur promisso & comminatione, necessitatem obligationis validam non inducit: & ubi talis præcessit electio, ibi ut præceptum sanciatur promisso & comminatione, ineptum & ridiculum est, quod si verò etiam sic sanciatur, necessarium obligationem tamen non potest inducere apud eum, qui jam firma fide credit, & credere ex præcepto priore tenetur, futurum nunquam esse, aut fieri non posse, ut, etiamsi subinde peccet, & fructus gratitudinis non proferat, in pœnam, quam comminatio præfert, incidat. His jam adde, si fieri non potest, ut Deum Patrem sibi proponant imitandum, aut ut Deo morigeri sint, qui nesciunt se esse filios Dei, uti Censor ait, quomodo ad imitandum Deum, aut ad Deo obediendum ritè obligari possunt ii quos Deus id nescire vult, imò quos vult scire se non esse filios Dei, nec futurum unquam ut filii Dei sint, aut fiant? At hi multò maximam mundi partem faciunt. Ex his patere credimus rationis hujus infirmitatem simul & vanitatem, quæ non parum augetur ex eo, quod Censor Remonstrantes eo nomine taxet, *quod fidem* (specialiter sic dictam, de Generali enim fide hic non quæritur) *nolint esse firmam persuasionem de adoptione credentis in Christum*: Nam hac ipsa definitione sua non obscurè testatur, nescire se quomodo propriè fides specialis definienda sit. Nam quid est

Distinguitur inter apprehensionem sive fiduciam Filiationis, ut Futuræ & ut jam factæ irrevocabiliter sine ullo ad obedientiam respectu.

An necessitas obediendi ex præcepto divino derivari rectè possit salva hypothesi Censorum de absoluta electione.

Expenditur Censoris definitio qua fidem definit per firmam persuasionem de adoptione credentis in Christum.

est obsecro illud *credentis in Christum?* an firmam persuasionem habentis de adoptione credentis in Christum? Fides itaque juxta Censorem, erit firma persuasio de adoptione firmam persuasionem habentis de Christo? Itane? Quid ergo est firma persuasio de adoptione, quæ distincta est à firma persuasione cui adoptio tribuitur? In infinitum eundum est, aut in circulum. Quæ porrò contra definitionem Remonstrantium in hac sectione adfert Censor, ea nullius momenti sunt, præterquam quod definitionem eorum non satis rectè proponit: *Fides eorum,* inquit, *non apprehendit magis misericordiam quam justitiam aut salutem quam damnationem*: Non sanè: Fides non minus respicit comminationes divinas quam promissa: utrisque credi pariter vult Deus, quia utrisque præcepta sua sancit. Nisi ita esset, quorsum ergo forent comminationes divinæ? Imò si fides pro objecto habet misericordiam specialem, jam ante irrevocabiliter & nominatim destinatam, quorsum sunt promissa? *At,* inquit, *fides vera pellit timorem.* Quem inquam, timorem? Dei, id est, divinarum comminationum? Contradictio in adjecto est, fidem timorem istum pellere. Fides enim, quæ comminationes divinas respicit timorem mali istius, quod comminatio continet, ut possibilis saltem, in conceptu suo involvit. Imò timor istius mali, ut ratio movens ad Deo obediendum, excusso omni mortis, quæ ab hominibus inferri potest, timore, ab ipso Deo credentibus mandatur Matth. 10. 28. *Ne timete eos, qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare:* sed *timete potius eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.* 1. *Pet.* 1. 17. *Si patrem cognominatis eum, qui citra personarum respectum judicat secundum cujusq; opus, cum timore versamini toto commorationis vestræ tempore. Ad Phil.* 2. 12. *operamini salutem vestram cum timore ac tremore:* Locus quem in contrarium allegat Censor, ex Luc. 1. vers. 74. & 75. non agit de timore Dei, aut divinarum comminationem, sed de timore aut metu hominum, uti ex vers. 71. manifestum est, totumque adeò Zachariæ canticum clarè arguit: Zachariam jam tum agnovisse Messiam pro Rege spirituali, neutiquam verisimile est. Verba non permittunt ut id credamus. Phrasis etiam ista, *Deum colere ἀφόβως*, ut de alio metu quam hominum intelligatur, non sinunt ista loca omnia, quæ metum Dei, aut divinarũ comminationũ mandant, quæ divini timoris absentiam sive ἀφοβίαν Dei causam esse dicunt omnis impietatis, & alioquin etiam semper in vitio ponunt agere aliquid ἀφόβως, in ordine ad Deum. Dicit quidem Joannes 1. Epist. 4. 18. *Metum non esse in caritate: perfectã caritatem*

Fides non minus respicit comminationes quam promissa.

Quomodo fides pellat timorem.

Exponitur locus Ioannis 1. Epist. 4.18.

tem pellere timorem, &c. sed timorem isthic hominum seu periculorum, quæ fidelibus in hac vita occasione dilectionis divinæ, id est, eò quod Deum, vel propter Deum fratres suos diligant, accidere possunt, aut solent occurrere, intelligi à Ioanne, non autem timorem divinarum comminationum, quid vetat? Rationes jam allatæ penè cogunt ut de hac re non dubitetur. Quod si tamen timorem etiam hunc intelligi ab eo velimus, tum per timorem intelligi dicendum est metum condemnationis cùm diligimus, & eò quod diligamus; non autem metum condemnationis, si non pergamus diligere, aut non diligamus fratres. Iste metus cessat, posita dilectione, id est, quando, & quamdiu durat dilectio. Hic metus semper durat, & caussa etiam est ut dilectio sit ac duret in nobis; uti enim metuere iratum Deum opus non est, cum officium facimus, ita Deum iratum metuere semper debemus ut & nisi officium faciamus. Hinc istud Apostoli Rom. 11. 20. 21. 22. *Ne effertor animo, sed time. Nam si Deus, &c.* Item, Hebr. 4. 1. *Metuamus igitur ne quando derelicta promissione introeundi in requiem ejus, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus. Propter hoc enim venit ira Dei in homines*, Colos. 3. 6.

Quæ post hæc ex discursu Socini *de caussa Fidei* allegavit Censor, ea tanti non sunt, ut propterea Remonstrantes litigare velint: Omnia quæ in discursu isto dicit Socinus, non probant Remonstrantes, nec ut ea probent necesse est. Pleraque tamen optimè dicta sunt. Si cum istis conveniunt quæ Confessio Remonstrantium habet, benè quidem; sin minus, manum non verterint. Quid per argumenta ex parte Dei talia, quibus nihil verisimiliter opponi potest cur credibilia non sint, quid per piam docilitatem, &c. intelligant ex Confessione eorum Sole clarius videre est, & nos jam, si quid obscuritatis per hanc censuram iis allatum est aut accessit, plenius supra elucidavimus.

In fine sectionis hujus videtur Censor taxare velle Confessionem, quod statuat nec indecorum nec illicitum esse ut fideles spe præmii cælestis & metu pœnæ æternæ moveantur ad obediendum Deo. Videtur, inquam, id velle. Nam apertè id non profitetur, sed ita loquitur, ut eò tendere videatur. Fatetur *negandum non esse promissionibus præmiorum æternorum in renatis excitari studium benè operandi; Renatos non tam deterreri à peccato formidine pœnæ, quàm virtutis & pietatis amore: Falsum tamen esse*, ait, *promissionem vitæ æternæ esse primam illius studij caussam aut originem, nedum ut sola sit & unica.* Quasi verò quisquam sit qui id ita crudè affirmet, ita ut gratiam il-

lam

lam qua credendi potentiam Deus ante omnia confert exclusam velit, Absit, uti jam sæpe diximus. Quando vero subjicit *aliis opus esse repagulis, quibus detineamur ne in malum ruanus, aliis stimulis, quibus ad veram & filialem obedientiam provocemur*, haud obscure innuit, obedientiam illam, quæ per promissa & minas excitatur, veram, id est, filialem obedientiam non esse, sed servilem & mercenariam. Hæc si Censoris mens ac sententia fuit, eam sane Remonstrantes ut commentum humanum & Sadducæum respuunt ac repudiant. Obedientiam omnem, quæ Euangelio præstatur, veram ac filialem obedientiam esse statuunt, sive ea caussam sui habeat promissionem vitæ æternæ, sive comminationem mortis æternæ, sive utraque simul. Spe præmii cælestis, metu pœnæ æternæ moveri filiorum obsequentium esse putant, non servorum. Mercenarii sunt, qui præsentem & temporalem mercedem respiciunt. Æternæ hæreditatis intuitus filios decet, quibus obedientia præcipitur sub promisso æternæ hæreditatis. Rationes sunt manifestæ & complures: I. Filiorum est credere, *At qui ad Deum accedit eum oportet credere Deum esse & præmia largiri quærentibus ipsum & Fides est hypostasis eorum, quæ sperantur, & elenchus eorum quæ non videntur*, Heb.11.1.& 6.11. Filios decet isto argumento moveri, quo eos movet Pater: At pater promissis & minis æternis movet credentes ad sui obsequium: vide cap.5.Matth. totum 1.Cor.9.24.Iac.5.8. III. Deus ipse *vitam æternam daturus est iis, qui, per patientiam boni operis, honorem, & immortalitatem* (NB) *quærunt*, Rom.2.7. *qui persequuntur præmium supernæ vocationis, veluti qui ad scopum contendunt*, Philip.3.14. *qui currunt ut comprehendant præmium, qui certant, non ut perituram, sed ut incorruptam & nunquam perituram coronam accipiant*. 1.Cor.9.24.25. IV. De Fidelibus expresse dicitur, quod cum respectu ad præmium Deo obediverint. Hebr.11. *per totum*: de Mose dicitur diserte vers.26. *Intuebatur enim in præmii retributionem*: de aliis, *quod distendi se permiserint instar tympanorum* (NB. finem) *ut meliorem resurrectionem consequerentur*, vers.35. Atque hæc exempla idcirco efficacia sunt quia Censor hos non minus Filios, quam illos, qui sub N.T. vixerunt, fuisse credit. Quod si vero quis id non admittat, tum addo, V. de Apostolis, aliisque Fidelibus passim in S. Scriptura affirmari, quod præmii cælestis consequendi, ac proinde mortis æternæ evadendæ spe, omnia pene fecerint ac passi sint, 2.Cor.4.18. *Dum non spectamus*, inquit Paulus, *ad ea quæ cernuntur, sed ad ea quæ non cernuntur, &c.* vide etiam cap.5. usque ad vers.12. 1.Cor.15. per totum,

An spe præmij cælestis à Deo promissi moveri ad obedientiam servile & mercenarium sit.

Negativa sententia rationibus aliquot adstruitur.

& cap. 9. 17. Phil. 3. per totum, Coloss. 3. 23. 24. 1. 4. 5 Deniq; de ipso Domino Iesu dicitur ad Heb. 12. vers. 2. *quod, pro sibi proposito gaudio, pertulerit crucem, ignominia contemta, & ad dextram throni Dei consederit.* Unde ibidem ἀρχηγὸς & τελειωτὴς τῆς πίστεως appellatur, & ad eum respicere ejusque vestigiis insistere jubemur. His adde quod Servator ipse *nos metuere mandet eum, qui corpus & animam potest perdere in gehenna.* Matth. 10. 28. & quod Paulus dicit 2. *Corinth.* 5. 11. *Nos scientes hunc terrorem Domini, adducimus homines ad fidem.* Denique, quod ubique fere moneat fideles, ut *non abjiciant liberam professionem, quæ magnam habet præmii retributionem*, aliaque similia. Hæ rationes graviores sunt, quam ut iis quidquam possit opponi, quod vel speciem veri habeat: Quæ à Scholasticis quibusdam, aliisque, quos libertinos hodie vocant, in contrarium adferuntur, ea leviora sunt, quam ut expendi mereantur, & imaginariam ac Metaphysicam subtilitatem atque exstaticam quandam pietatis affectationem potius redolent, quam simplicem ac solidam Christianæ religionis scientiam. Nos, quia Censor hic nihil adduxit quod examinari mereretur, plura hic jam non adferemus.

Ad ea quæ sectione VI. Remonstrantes *de tribus gradibus renatorum, videlicet incipientium, proficientium, adultorum, sive aliquatenus perfectorum dixerant*, fatetur Censor, *negari non debere inter regeneratos gradus regenerationis esse. Sed in adsignandis illis*, ait, *non omnes pari passu incedimus.* Esto, de eo non laborant Remonstrantes, pari an impari passu cum Censoribus incedant: *Tres tantum gradus* faciunt Remonstrantes, inquit, *at si verum fateri volumus multo plures erunt adsignandi, nam & graduum erunt subdividendi gradus.* Nec de eo laborant Remonstrantes: hæc enim mera tantum carpendi libido est. Adsignentur plures, quid hoc ad rem? Sed & plures adsignare necesse non est. Nam incipientes semper incipientes sunt, sive magis sive minus bene incipiant: similiter & proficientes. Gradus isti non consistunt in indivisibili. Sphæra latitudinis dari in iis potest, perinde ut in gradibus, positivo, comparativo, & superlativo, & tamen tres tantum gradus faciunt Grammatici: Doctus, doctior, doctissimus, non dicunt formam specificam, neque punctum indivisibile, sed gradus, qui singuli latitudinem aliquam habere possunt. Hæc lis futilis est. Pergamus. *In descriptione eorum, quos incipientes appellant*, inquit, *probare non possumus, quod dicunt, illos, etsi Euangelio assentiantur vere, tamen propter consuetudinem peccandi inveteratam, & habitum quendam inolitum, cum magno labore & molestia, carnis subinde*

De tribus Renatorum gradibus quos adsignavit Declaratio.

adhuc ebullientis, *& contra Spiritum* (seu mentem Spiritu Dei per Euangelium illustratam) *recalcitrantis impetus ac motus domare ac subigere.* Cur? *Nam*, inquit, *cum ex locis in margine citatis id referant ad eos, quos Iohannes 1. Epist. 2. vers. 12. Filios appellat, quibus dicit remissa esse peccata, & Paulus 1. Cor. 3. 1. Infantes in Christo, non existimamus tales fuisse inter credentes moribus magis depravatos, sed adhuc in fide debiles.* Mira ratio. Nam I. quid hoc est (si congruenter Censor loqui velit) *debiles in fide*? an debiles in firma persuasione, sive certitudine fiduciæ de adoptione credentis in Christum? At hoc manifestam habet contradictionem in adjecto; Firmitas enim sive certitudo est de essentia fidei Calvinisticæ, imo est ipsa fidei forma. Debilitatem autem in firmitate vel certitudine quis concipiat? Certe, debilitas, & infirmitas fidei nil nisi inanes voces sunt, quæ dicis tantum caussa usurpantur à Calvinistis, si consentaneè & prudenter loqui velint. Tum II. Esto, *debiles in fide* intelligantur, debilitas illa unde est? An ex debilitate actionis divinæ firmiorem fidem humanæ voluntati non infundentis, vel fidei firmitatem, quam semel dedit, imminuentis? Non dicet id opinor noster Censor. An ex voluntate Dei deliberata, qua firmiorem fidem infundere non vult? Hoc ut dicat Censor necesse est. At cum Deus firmam fidem ab iis postulet, quomodo tum, si debilem fidem in iis efficit, in iis operatur quod postulat? An debilitas est, ex subjecti dispositione, quia vel firmioris fidei capax nondum est, vel quia ei se attemperat Deus? Hoc credo dicet Censor: Esto, Subjecti dispositio hæc nascitur ex carne, quæ corrupta & contrariis desideriis ac cupiditatibus obsessa est, & sic virtutem fidei debilitat, quo minus sese possit exerere: Habitus itaque peccati in carne reliquus manere dicatur necesse est. Ita est, inquit Censor, *At habitus ille non est acquisitus*, inquit, *sed naturalis, aut aliquid per modum habitus, quod concupiscentia vocatur, quæ fons peccatorum & ipsa etiam peccatum est.* Esto, inquam ego, habitus saltem est, & habitus vitiosus, qui peccatum est, & peccatorum omnium fons ac fomes: Sane, inquit Censor pag. 179. *At Remonstrantes dicunt*, inquit, *habitum vitiorum acquisitum in iis, qui primum regenerari incipiunt, non plene statim exui, atque inde laborem & molestiam obediendi in principio ortum habere.* Esto inquam, quid in eo est quod merito jure à Censore culpari potest? An repugnat naturæ regenerationis, habitum vitiorum acquisitum non plene statim exui in principio regenerationis, & non repugnat naturæ regenerationis habitum naturalem vitiosum nunquam plene in regenitis, etiam adultis, & per-

Quid per debiles in Fide intelligat Censor.

De habitu peccãdi acquisito, & quomodo non statim in principio plene excutiatur.

perfectis exui? An ratio habitus peccandi, qua habitus acquisitus est, repugnat regenerationi, sive habitui sanctitatis, an qua simpliciter habitus peccandi est? Sane *Τὸ acquisitum esse*, nihil dicit repugnans regenerationi, sed habitus peccati, qua talis, sive acquisitus sit, sive non acquisitus. Peccatum enim, qua tale, repugnat sanctitati. Quare si habitus peccati naturalis reliquus manere potest sine regenerationis læsione, cur acquisitus reliquus manere dici non potest, si Censor consentaneè loqui velit? Sed nec ea est mens Remonstrantium, quasi habitus sive consuetudo peccandi vetus reliqua adhuc omnino maneat in iis, qui regenerari incipiunt: Absit: hoc est calumniari verba Remonstrantium, quæ si bene videas, contrarium non obscure important: Nec ratio ulla sinit ut Remonstrantes id credere videri possint: sic enim statuerent, eundem hominem plerumque peccare, hoc enim est habitu peccandi laborare, & simul tamen incipere à plerumque peccando abstinere. Absit hoc à mente eorum. Tantum id volunt; habitum peccandi, qui longa consuetudine contractus & firmatus est, non sic statim in iis, qui ad Christianam religionem convertuntur, deleri atque extingui, ut molestia in contrariis habitui isti actionibus exercendis ab iis non sentiatur, aut tanquam si è vestigio, vel in instanti contrarius habitus succederet in ejus locum, sed eum ab iis reprimi, subigi, domari cum majore aut minore molestia & difficultate, pro ut habitus magis minusve radicatus fuit. *Habitum itaque non omnino excuti statim in principio*, idem ipsis est, quod non sic radicitus evelli, ut fibræ & reliquiæ ejus nullæ amplius supersint, quæ voluntati & spiritu hominis molestiam & negotiũ aliquando facessant: Non vero, uti vult Censor, quasi habitus ille, per modum habitus, adhuc in iis hæreat, & in iis vim eandem habeat, quam ante conversionẽ habebat, unde videlicet fiat ut crebro, libenter & facile, aut peccatis variis adhuc se polluant, aut saltem in unius peccati consuetudine hæreant. Ista enim vis habitus est, efficere ut plerumque & facile pecces: Verba contrarium satis evincunt. *Nam incipientes* hoc dicunt *domare ac subigere impetus ac motus carnis suæ*; Domare autem ac subigere peccata carnis ii dici non possunt, in quibus habitus peccandi per modum habitus adhuc hæret, id est, qui adhuc plerumque saltem peccant: habitus itaque manere cum dicitur, fractus ac debilitatus habitus, qui habitus proprie non est, intelligatur necesse est, nempe quando reliquiæ carnis per modum habitus, majores minoresve adhuc supersunt, quæ molestiam pariunt, & laborem in subigendo ac domando & quidem talem qui vix per-

Quo sensu Declaratio Remonstr. asserar, regenitos propter consuetudinẽ peccandi inveterata & habitum inolitum cum molestia carnis motiones subigere.

Natura & vis habitus quæ sit?

permittit, ut pristinam vivendi rationem sic ut oportet, nedum in totum prorsus intermittant. Quare loca quæ ex Epist. ad Rom. 6. 14. & 7. 5. (quamquam hic locus posterior ad hanc, de qua agitur, rem non pertinet) citat, huic Remonstrantium sententiæ infirmandæ non faciunt, imò non obscurè eam confirmant, quia continent serias hortationes de peccatorum habitu magis magisque excutiendo, quod frustrà esset, si excussus jam omninò esset. Atque hoc ipsum illustratur clarissimè ex 1. Joha. 2. 1. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut ne peccetis: Quod si quis peccet, advocatum habemus*, &c. *Peccet* inquit, id est, à peccatis sic nondū se exsolverit, uti par est, sed à reliquiis pristinæ consuetudinis in peccato vincendo aliquando adhuc infirmetur: ut enim hic legatur, *Si quis peccaverit*, ratio non sinit. Quis enim ita dubitanter loquatur, qui pro certo statuit neminem esse sub Sole, qui non peccaverit? Certè Johannes jam ante dixerat, *Si dixerimus nos peccatum non habere* vers. 8. cap. præcedentis, seu *non peccasse* vers. 10. *nos fallimus nos ipsos, & Deum facimus mendacem*. An verisimile est Ioannem eodem penè spiritu deinde dixisse; *Si quis peccaverit?* Similia loca plura sunt. Sed quid opus est multis in re plana? Nemo repentè fit optimus, nemo repentè fit pessimus: Habitus longa consuetudine roborati non ita facile eximuntur. Paulatim cedunt & exinaniuntur contrariis actibus, succeditque contraria consuetudine habitus alius. Lucta & molestia magna in principio id indicat: *At ea*, inquit Censor, *non procedit ex talibus habitibus acquisitis, sed ex reliquiis innatæ concupiscentiæ, quæ nondum actu ablata est*. At unde id constat? Quin à concupiscentia cujusque sua ea oriatur dubium non est, Iacobus id disertè affirmat cap. 1. 14. At falsum est, ex ea sola luctam istam ingentem & variam oriri: Ex acquisitis istis habitibus eam potissimum oriri, Scriptura & ratio testantur. Scriptura; Nam fideles passim in Scripturis jubentur affectiones peccatorum, cupiditates in quibus incedunt gentes, &c. *subigere, mortificare, exuere, &c.* Ratio; Nam innata concupiscentia in omnibus una eademq; esse creditur: unde itaq; tanta varietas? tam ingens diversitas? Lucta enim alia major, alia minor: Alia in principio, alia in cursu. Dicere cum Censore eam oriri *ex diversitate graduum regenerationis*, est ad ineptā fatalis prædestinationis anchoram confugere, & Deo transcribere quod hic pluribus, iste paucioribus, hic majoribus, iste minoribus peccatorum affectionibus laboret, quia hunc plus, illum minus regenerat à concupiscentiæ innatæ motibus etiam cum jam acquisitos peccati habitus ex iis omnibus in totum sustu-

Sensus loci 1. Ioa. 2. 1.

Lucta in regenitis incipientibus non oritur à solis reliquiis innatæ concupiscentiæ, sed etiam ex acquisitis habitibus.

Luctam derivare ex diversitate graduum regenerationis, est Deo transcribere peccata omnia, & peccatorum varietatem.

ſuſtulit: Quicquid itaque cupiditatum ac deſideriorum malorum in hominibus eſt, quicquid ſcelerum ac flagitiorum ab illis fit, id ex eo eſt, quod Deus concupiſcentiam, quæ eorum fons ac fomes eſt, magis minuſve frænet in ſingulis hominibus; unde pro ratione iſtius divinæ actionis, vel ceſſationis, eos magis minuſve peccare & peccatores manere neceſſe eſt. En dogma in Deum injurium. Et quamquam Cenſor tam impio dogmati patrocinatur, tamen videri vult pietatis doctrinæ operam hîc dare, dum Remonſtrantes taxat, quod in iis, qui primum convertuntur ad religionem Chriſti, peccatorum conſuetorum habitum non prorſus & ſtatim ab ipſis exui dicunt, non quia Deus nolit ut eos exuant, ſed quia fieri vix poteſt, ut eos totos, quia conſuetudine roborati ſunt, aliter quam paulatim exuant & excutiant. Sed hic loliginis ſuccus eſt. Pergamus.

Sed præcipua controverſia, inquit Cenſor, *erit circa eos quos Remonſtrantes adultos vocant & aliquatenus perfectos. Nō quod ab iſtis nominibus abhorreamus, ſed hoc eſt,* inquit, *quod volumus, illos, qui adulti & perfecti vocantur, non debuiſſe diſtingui à proficientibus, quaſi ad metam perveniſſent, nec ipſis opus eſſet, ſingulis diebus adhuc ad perfectionem tendere.* Quaſi verò Confeſſio Remonſtrantium affirmet, quemquam ad metam jam perveniſſe, nec opus habere ut ad perfectionem tendat. Certè cum dicunt aliquos eſſe, qui abſq; omni lucta & cum ſumma lætitia officium faciunt, non utique affirmare voluiſſe credendi ſunt, fieri non poſſe, ut quis perfectius adhuc in officio faciendo ſtabiliatur & confirmetur, aut lætitiam illā ſic eſſe ſummam, ut major aut intenſior eſſe non poſſit. Abſit. Semper enim volunt, *omnes debere ad perfectionem tendere,* id eſt, hoc agere, ut carni, in inſidiis ſemper poſitæ, & ad rebellionem natura ſua pronæ, aditus omnes obſtruant, ne ad reluctandum incitetur, quod ſine perpetua & ſolicita cura fieri non poteſt. *Atqui,* inquit Cenſor, *lucta ſemper & neceſſariò eſt in regenitis.* Hoc vero eſt illud quod probandum eſt: *ubi caro,* inquit, *concupiſcit adverſus Spiritum, ibi neceſſariò eſt lucta: At in regenitis ſemper concupiſcit caro adverſus Spiritum.* Hoc vero eſt τὸ κρινόμενον. Quod ſi id de actuali reluctatione, ſeu concupiſcentia concupiſcente, ut ita dicam, intelligatur, falſum eſt. Natura habitus id manifeſtè redarguit: Habitus enim proprium eſt efficere, ut voluntas actiones, quæ antea ei moleſtæ & graves erāt, facilè & libenter velit faciatq;. Nec locus ad Gal. 5. 17. affirmat id, quod Cenſor tenet. Non enim dicit Apoſtolus carnem actu ſemper concupiſcere in regenitis, & concupiſcēdo obluctari ſpiritui, ſed tantum

An lucta ſemper & neceſſario ſit in omnibus regenitis.

Locus ad Gal. cap. 5. 17 exponitur.

tum carnis eam esse naturam, ut quando concupiscit, adversus Spiritum concupiscat, id est, non concupiscat, nisi id quod Spiritui, id est, divinæ voluntati, aut menti per Spiritum de voluntate Dei instructæ, contrarium est; contra verò Spiritus, id est, mentis per Spiritum illuminatæ eam esse naturam, ut non concupiscat, nisi quod carni contrarium est. Imò si quis accuratè rem videat, contrarium affirmat locus. Caro enim in Scripturis, cum de hominibus quatenus peccatores sunt enunciatur, carnales affectiones in iis dominantes, ferè semper significat; adeò ut, quando in iis carnis simpliciter (nam quando spiritui opponitur, aut cum sanguine conjungitur aliquando, aliud quid significat) mentio fit, carnalium habituum sive affectionum ratio semper habeatur, quatenus dominantur & regnant, uti per loca omnia currenti manifestum est. Hinc ad Rom. 8.6. dicitur, *Quod sapit caro, mors est*, id est, tota prudentia, tota affectio, tota vita carnalis, caussa mortis est: & *est inimicitia adversus Deum*, id est, contraria est divinæ isti vivendi consuetudini, quæ Deo grata est, & hominem Dei amicum facit. Hoc sensu homo vocatur *caro*, id est, carnalis totus: & *carnis cupiditates* dicuntur *militare adversus animam* 1. Pet. 2. 2. Et hoc sensu dicuntur *fideles carnem crucifixisse cum concupiscentiis, in carne non esse, secundum carnem non ambulare, in spiritu esse, &c.* Hoc eodem sensu hic Apostolus dixit, carnem concupiscere adversus spiritum, id est, totam carnalis hominis concupiscentiam contrariam esse spirituali vivendi rationi, quam Spiritus in Euangelio dictat, atque in regenitis efficit, & contra: Hinc enim concludit Apostolus, Galatas, qui jam per Euangelium ex carnalibus hominibus spirituales facti erant, id operam dare debere, ut ne unquam pristinis, quæ in ignorantia viguerāt, carnalibus cupiditatibus, tanquam hostibus suis infensissimis aurem præbeant, sed novis adeoque contrariis plane cupiditatibus semper sese exerceant: Hunc enim esse scopum Dei regenerantis, hanc naturam spiritualis regenerationis, ut ii, in quibus ea est, non faciant quæ carnales faciunt, & quæ ipsi alioquin facere vellent, si carnalibus cupiditatibus aurem præbeant aut animum advertant. Sic enim exponendum videtur id, quod dicit Apostolus, ἃ ἂν θέλητε, quæ (alioquin sc.) velletis, non autem quæ actu ipso vultis, quod ex eo evincitur, quia alioquin dicendum foret, Deum in regenitis non efficere ipsum velle, sed perficere tantum, cum disertè contrarium asserat Apostolus Phil. 2. 13. & cap. 7. vers. 15. & 19. ad Rom. quod de Regenitis agere vult Censor, contrarium asseri Censor contendat. *At Apostolus,*

inquit Censor, *isthic non in idea de carne & spiritu agit, sed respectu subjecti in quo hærebant: Agebat autem indefinite de Galatis, ut renatis, in quibus caro & spiritus simul inveniebantur.* Esto, quid hoc, inquam ego, ad rem facit? Expositio nostra constat nihilominus. Deinde posito, quod id verum sit, tum Galatæ hoc loco non considerabuntur, ut jam adulti & perfecti in regeneratione, de quibus tamen hic quæritur, sed ut incipientes aut proficientes, in quibus habitus peccatorum cum luctâ & molestia adhuc subigebatur & domabatur, & confirmabitur id quod antea de incipientibus & proficientibus diximus. Nec verba ista, *nam caro concupiscit adversus spiritum*, &c. generalia erunt, aut ad omnes omnino regenitos extendentur, sed particularia, quæ ad Galatas tantum pertinebant, ac si legeretur; Nam caro concupiscit (*in vobis*) adversus Spiritum,&c. Nulla itaque erit argumenti, quod Censor ex hoc loco desumit, consequentia, quia ignorationem elenchi in se habebit. Locus ad Rom.7.7. multò minus huc facit, quia in eo Apostolus de regenitis per Spiritum Christi non agit, quod ut prolixè probem necesse non est; videantur quæ de eo doctissimè & nervosissimè ab Arminio, Toleto, Socino, aliisque scripta sunt & in lucem edita, quibus verbum addi opus non est. Quod Censor interpretationem capitis istius, quam faciunt Arminius, Socinus, &c. *pugnare dicit cum purioris antiquitatis consensu*, id falsum simul ac vanum est. *Falsum esse* demonstravit integro capite Arminius in cap. illius examine, aliique complures etiam Pontificii & Scholastici, idque adeò clarum ac manifestum est, ut frontem perfricuisse Censor videri debeat, cum id negat. Est enim sententia ferè omnium antiquorum Theologorum, tum Græcorum, tum Latinorum: Solus penè Augustinus contrariæ sententiæ Princeps est, quamquam & ipse antea secutus fuerat hanc eandem. Vanum etiam est, quia purior & impurior antiquitas, inanes voces sunt. Puritatem & impuritatem quisque pro arbitrio suo, & pro ut usu venit, æstimat. Solus penè Augustinus hic puram antiquitatem faciet. Consensio etiam, quâ regula, quo numero censeatur, aut censeri debeat, quis dixerit? Quicquid sit, Reformatos istud argumentum non decet. *Sed & contra communem Orthodoxorum sensum est*, inquit, *quia ex ea sequitur hominem irregenitum velle bonum, odisse malum, consentire legi, quod bona sit, &c.* Et hoc argumentum leve est. Tum, quod sensus ille, Orthodoxorum communis sensus sit, falsum est. Nam certũ est, non *Erasmum* tantum & *Castellionem*, sed *Bucerum* & *Musculum* etiam sententiam hanc Arminii & nostram tenuisse; & posito

Expositio Arminii super cap 7. ad Roma. non pugnat cum purioris Antiquitatis consensu.

Nec contra communem Orthodoxorũ sensum est.

ita

ita esse, tum nihilominus Orthodoxorum sensus hac de re falsus est, & merito damnandus, si enuncieter prout enuntiandus est, non prout hic Censor eum enunciat: Non enim Apostolus dixit simpliciter eum, de quo cap.7.agit, velle bonum, odisse malum, consentire legi quod bona sit, prout hic loquitur Censor; hoc enim simpliciter sic enunciatum pene Angelicum & divinum quid est: sed, eum *bonum, quod vult, non facere, sed malum, quod non vult, hoc facere, malum quod odit, hoc agere*, eo ipso *quod malum faciat*, quod *non vult, consentire legi quod bona sit, peccatum in eo habitare, imo eum carnalem esse & venundatum sub peccatum, delectari eum* quidem *lege Dei, quo ad interiorem hominem, sed videre aut sentire eum aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivum eum reddentem legi peccati, &c.* Hæc enim sic conjuncta ut regenito per Spiritum Iesu Christi tribuantur, Scriptura non sinit. Nam Scriptura affirmat Deum in regenitis efficere non tantum *τὸ velle bonum, sed & perficere*, Philip.2.13. *Legem Spiritus vitæ in Christo Jesu eos liberaße à lege peccati & mortis*, Rom.8.2. *Eos carnem crucifixiße cum paßionibus & concupiscentiis ejus*, Gal. 5 24. *Eos veterem hominē & corpus peccati καταργῆσαι*, Rom.6.4.5.6.7.8. *eos mortuos esse peccato, adeoque sepultos & suscitatos in novam vitam*, ibid. *vincere mundum, non peccare, conservare seipsos, non poße peccare, spiritu mortificare carnis actiones, &c.* Cæterum, fieri posse, ac non raro fieri, ut ii, qui per Spiritum Christi regeniti nondum sunt, imo qui peccatores sunt & vocantur, bonum etiam velint, malum oderint, mente serviant legi Dei, delectentur lege Dei, quoad interiorem hominem, aliaque similia, multa scripturæ loca docent; vide caput 2. ad Rom. vers.17.18.19.20.21. Math. 13.20. Phil. 3.6. Hinc illud, *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Sed quia hanc rem, ut prolixioris discussionis, altius Censor non repetit, nos hic etiam supersedebimus. Cæterum, loca quæ allegat, non probant luctam semper in regenitis omnibus etiam adultis & perfectis reliquam manere, sed tantum eos tales non esse, quin rei peccatorum sint, & remissione peccatorum ac gratia divina opus habeant, quod nemo negat.

Post hæc Censor examinat Phrasin, qua usa est confessio in descriptione illorum regenitorum, quos adultos vocant, quod *Iustitiam ac veritatem toto corde, tota anima, & omnibus suis viribus diligant.* Phrasin hanc Spiritus S. phrasin esse, & eam quibusdam in Scripturis tribui, quod vid. *Deum secuti fuerint toto corde, tota anima, & tota virtute sua*, non potest negare Censor. Sed *phrasios illius sensum esse*

Quo sensu Regenitis tribuatur, quod Iustitiam toto corde, tota anima & omnibus suis viribus diligant.

esse negat hunc, quod per eam exprimatur talis perfectio Iustitiæ, quæ coram exacto Deo judicio stare possit. At nec Confessio Remonstrantium hunc phrasios istius, cum hominibus tribuitur, sensum esse dicit, nec eo sensu phrasim istam in v. 7. usurpatam esse asserit. Absit: Deum enim toto corde, &c. diligere, ibi fere non videtur significare aliud, quam solum Deum, & non idola colere, sive sedulũ & studiosum esse in mandatorum illorum observatione, quæ Deum proprie spectant. Nec isto sensu phrasin hanc usurpavit, si per exactum Dei judicium, rigidissimum judicium intelligatur, & non judicium, quod ad gratiosi Fœderis regulam accurate exactum est, quodque juxta eam Deus exigere ac ferre vult. Tum enim alia ratio est; hoc enim judicium proprie exactum judicium non est. Sed phrasi ista usa est Confessio, tum propter significantissimam emphasim, quam in se habet, tum quia Scriptura diserte etiam sub V. T. eam quibusdam tribuit, quando eorum integritatem & perfectionem singularem in colendo solo Deo, & idolorum cultu vitando atque eradicando, describere voluit: quo ipso significatum voluerunt Remonstrantes, mirum videri nemini debere, quod eam etiam regenitis adultis sub N. T. tribuant: Sensum vero phrasios quod attinet, is profecto ad Mathematicam aut Arithmeticam libellam scrupulose exigendus non est, quasi vid. per eam significetur perfectio numeris & gradibus omnibus absoluta, quæ nævos, imperfectiones, imbecillitates omnes præcise excludat. Nugæ. Familiariter seu moraliter accipienda est, prout exprimens istam perfectionem, quam habitus virtutis confirmatus dare potest ac solet. Habitus autem confirmati perfectio, non in eo tantum aut potissimum sita est, quod cor eorum, in quibus habitus iste confirmatus est, sincerum sit & ἀνυπόκριτον, ita ut omne id, quod recte faciunt, ex affectu sincero, ac non simulato faciant, uti Censor se credere significat: Nihil minus. Perfectio ista incipientibus & proficientibus non minus est communis, quam adultis & perfectis in pietate, imo sinceritas sive perfectio ista ἀνυπόκριτος locum habere potest in iis etiam, qui plerumque adhuc peccant, sicut in incontinentibus manifestum est. Plus ad eam requiritur: videlicet cor, quod cum sinceritate integrum est, id est, cujus obsequium nec per peccata intercurrentia (nisi forte rarissime) dividitur, nec per cupiditates contrarias hinc inde obluctantes in partes distrahitur, sive cujus obsequium est liberale, promtum, pronum, ac pene continuum. Hæc habitus confirmati perfectio est, quæ phrasi ista *toto corde, tota anima, & omnibus viribus Deum diligere*, emphatice contineri, imo

expressa

expressa esse dici potest. Hæc perfectio non tollitur statim, si quis forte fortuna in peccatum aliquod incidat: Non enim est perfectio Arithmetica sive Legalis, sed Ethica sive moralis, aut potius Euangelica, quæ ex æquo & bono æstimatur. Absit tamen, ut tolli non credatur per peccata, in quæ crebro & facile quis incidit. Isto enim casu sinceritas sive sincera fides cordis non sufficit. Quod si Censor id credit, næ parum digne nobilem hanc phrasin æstimavit. Certum quidem est phrasin istam *ex toto corde*, aliquando idem significare, quod ex animo; at I. id tum fit, cum id, cui conjungitur, alium sensum ferre non potest, uti in locis 1.Par. 12.33.& Act.8.37. videre est. II.Phrasis illa, *ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, &c.* prægnantior paulũ videtur & plenior, quamquã Hebræis synonymæ multæ phrases, ad unam eandemque rem exprimendam, familiarissimæ sunt. III. Si phrasim tamen illam aliud nihil significare velimus, tum notandum est, eam semper supponere obedientiam & observationem mandatorum Dei: Modum enim addit, quo obedientia illa præstatur. Quare diligenter cavendũ est, ne credamus recte de aliquo dici posse, quod toto corde obediat Deo, qui cor sincera fide & ἀνυποκρίτῳ obediendi proposito imbutum habet, quamquam in peccata sæpe incidit, & in peccatorum, vel peccati unius consuetudine adhuc hæret. At hoc enim, ut obedias, & quidem ex toto corde, non sufficit, ut habeas obediendi sincerum & non simulatum animum, sed obedientiæ actus, aut nunquam, aut non nisi rarissime interrupti adsint necesse est; Eadem est ratio phraseos, qua Iohannes utitur 1.Epist. 3.vers.4.5.& 18. cum dicit, *eos, qui ex Deo nati sunt, non peccare, & non posse peccare.* Etsi enim de omnibus omnino regenitis, tam incipientibus & proficientibus, quam perfectis & adultis, aliquo modo recte dici possit, quod non peccent, & non possint peccare, quatenus scilicet peccare significat peccandi habitu & consuetudine laborare, aut plerumque in peccatum vel peccata incidere, tamen, si vis phraseos propria videatur, de iis potissimũ dici & accipi debet, qui jam in pietate confirmati ac stabiliti sunt, adeo ut animum habeant à peccando alienissimũ, & peccatum vel *Peccatores*, ut ait Propheta David, *perfecto odio odio habeant*, contra vero justitiæ ac pietatis studio & actibus usque adeo delectentur, ut ægre ferant bene aliquid agendi occasionem sibi non dari, id est, ut *esuriant & sitiant justitiam*, cibumque & potum suum pene ducant voluntatem Dei facere: de his propriissime dicitur, quod non possint peccare, id est, quod à pec-

cando adeo ſint alieni animo, ut pene non poſſe peccare dici poſſint. An Iohannes in Epiſtola ſua ad hos reſpexerit, non eſt neceſſe ut prolixe ventilemus: Quin ad eos potiſſimum verba Ioannes pertineant, non eſt quod dubitetur, nec Cenſores ipſi diffitentur. At hoc tantum dicit Confeſſio. Solummodo hic notandū venit, antequam deſino, ſuſpectum eſſe quod Cenſor hic addit, per τὸ *peccare*, intelligi hoc in loco, *peccare ad mortem*, tanquam ſi Ioannes dixiſſet, renatos non poſſe peccare peccato ad mortem, per quod vid. in mortem incidant, vel propter quod morte puniendi ſint. Sic enim non obſcure ſignificat, fieri quidem poſſe, ut renati gravia & enormia peccata patrent, ſed ea ipſa peccata efficere non poſſe, ut renati eſſe deſinant, aut mortis non dico reatum, ſed periculum incurrant, proinde eos etiam cum ſic peccant, & in peccato hærent, Deum nihilominus ex toto corde diligere, & non peccare recte dici poſſe; ex quo patet, quo ſenſu & cur phraſin iſtam ex toto corde, de ſinceritate tantum dilectionis intelligendam eſſe urſerit. Cæterum, per τὸ *peccare*, *peccatum ad mortem* hic intelligi, vaniſſimum eſt, uti prolixe id à noſtris, pluribus in locis, demonſtratum eſt, & ſuo loco etiam à nobis demonſtrabitur. Scopus Apoſtoli id ſolidiſſime confutat, qui eſt dehortari regenitos hos à peccando. Quis vero adeo fatuus erit, ut, dum ſerio aliquos à peccando dehortari vult, iis, quos dehortatur, perſuaſum eſſe velit, fieri nō poſſe ut peccent? Nam, ſi per *peccare*, utrobique intelligatur *peccare ad mortem*, abſurditas hiat pleno rictu; videte ne peccetis ad mortem, filioli, nam non poteſtis ad mortem peccare: Si vero per τὸ *peccare*, quod in adhortatione eſt, intelligatur aliud peccati genus, quam peccati ad mortē, in ratione vero addita intelligatur peccatū ad mortē, tum ſimul etiam vanitas aperta eſt. Nam quæ ratio illa erit, videte ne peccetis peccata nō ad mortē, nam ad mortem non poteſtis peccare? Nulla hic ratio eſt. Per modum prolepſios aut anticipationis id ab Apoſtolo dictū credi poſſet: At, pro ratione ut dictum putetur, abſurdiſſimum eſt. Præterquam enim quod ratio non ſit, etiam adhortationis ipſius vim omnem enervat atque evertit. Nam quæ vis dehortationis à peccando, ſi τὸ *peccare* ſine periculo mortis eſſe affirmetur? Fruſtra eſt. Sed hac de re pluribus & proprie in cenſura cap. 18.

Perperam τὸ *Non peccare*, qua phraſi Ioannes utitur, exponitur à Cenſore de non peccando ad mortem.

Quæ porro ad hanc ſectionem dicuntur, eo ſpectant, ut doceat Cenſor non ſimplicitur verum eſſe renatos non laborare conſuetudine peccandi, *Concedimus* (inquit) *non gravate habitus peccati acquiſitos & ſpeciales, quibus certa & definita peccati ſpecies hominibus quibuſ-*

dam

dam fit familiaris, præsertim quibus homines ad scelera prorumpunt, & ea, quæ Apostolus vocat opera carnis, in verè renatis locum non amplius habere, & consuetudinem peccandi (N B) *sic sumtam, in eis esse abolitam.* Hic consensio est. Addit: *Proinde si aliquando in talia peccata incidant, perrarò id accidere, & per errorem vel obreptionem, &c. aut aliam aliquam infirmitatem obtingere: Quod in Davide accidit, & aliis nonnullis Dei viris verè regeneratis.* Hic consensio videtur, sed non est: Etsi enim hæc penè ipsissima Remonstrantium verba sint, tamen non nisi mutila & imperfecta sunt. Fatentur ii quidem regenitos aliquando in peccatum aliquod incidere posse, & quando fit, fit autem perrarò, id tantum per errorem, vel obreptionem, vel aliquam mentis obnubilationem fieri, sed addunt per parenthesin, *quamdiu quidem ipsi sunt & permanent vere regeniti:* Eo ipso enim significatum voluerunt, fieri posse ut in grandia multa & enormia peccata incidant, quæ non per errorem, obreptionem aut infirmitatem ab ipsis committantur, sed ex proposito deliberato & contra dictamen propriæ conscientiæ: Et isto casu eos nec esse, nec permanere verè regenitos. Exemplum Davidis instar multorum esse potest, quem mirum est, qua fronte Censor hic scripserit peccasse ex infirmitate in facto Uriæ, imprimis cum eum deliberato animo & consilio curavit interfici: Hoc enorme scelus ex infirmitate factum dicere, est eorum, qui nigrum in candida vertunt, & sceleri vix sine scelere patrocinantur: Deus ipse peccatum istud tanti fecit, ut Davidem, quem *alioquin non declinasse ait ab omni eo, quod ei præceperat, cunctis diebus vitæ suæ*, in *hoc uno facto Uriæ Hitthæi peccasse*, id est, enormiter peccasse affirmaverit, 1.Reg.15.5. Quod & horrenda pœna, Davidi propterea inflicta, testatum fecit, 2.Sam.12. Quin & ipse David se propter adulterium cum exore Uriæ commissum, & Uriæ cædem gravissimæ pœnæ per Nathanem indicatæ reum fatetur: *Peccavi*, inquit, *Domino* 2.Sam. 12.13. quasi dicat, peccando reum mortis me feci, & sine dubio mortis plagam singulis momentis expectasset, nisi Nathan ei dixisset, *Deus transtulit peccatum tuum, non morieris.* Sed hac de re alibi latius. Deinde, quando *consuetudinem peccandi sic sumtam* in regenitis abolitam esse concedit, non obscurè indicat, consuetudinem peccandi sic non sumtam in iis adhuc locum habere, quod & disertè postea explicat, cum ait, *quamvis enim possint esse* (Nota benè, possint esse, inquit) *sine sceleribus aut criminibus, non sunt, tamen sine peccato eoque frequenti justi*, id est, vel non sine sceleribus aut criminibus, vel si sine iis sint, non sine aliis frequentibus peccatis, quam-

Regeniti ex infirmitate peccantes, regeniti manent, at non quando ex proposito & contra conscientiam peccant.

Davidis adulterium & homicidium ex infirmitate commissa fuisse falsò adserit Censor.

Regenitos non esse sine sceleribus & criminibus falsissimum est.

quam

quam non sunt scelera aut crimina. Dura oratio, & quæ impietatis pulvinar est. Loca quæ ad eam confirmandam allegantur, planè sunt impertinentia. Locus Proverb. 24. 16. hilum non habet de peccandi consuetudine, uti nec de peccato: *Cadere* enim isthic non est cadere in peccatum, sed in afflictiones & calamitates, uti ex scopo loci, ex opposito membro, *impii autem corruunt in malum*, & versu seq. 17. *si ceciderit inimicus tuus*, *&c.* manifestum est; imò toto libro Proverbiorum, *cadere* nunquam significat peccare, sed semper in afflictiones aut pœnas incidere, vide caput 11. 5. 8. 13. 17. 27. 20. 28. 18. ubi Salomon ait, *Qui ambulat integrè salvus erit; perversus autem viis cadet semel.* Similis huic locus est Job 5. 19. *In sex angustiis eruet te & in septima non tanget te malum.* Deinde in textu non est Beïom *in die*, quod mirum est hunc Censorem aut non vidisse, cum jam id alii sæpius monuerint, aut videre noluisse. Supinæ certe hujus socordiæ & negligentiæ in Scripturarum citatione, doctorem hunc merito hic pudere debet. Denique, Nec sensus verborum horum Salomonis est, quasi fieri non possit, aut non fiat quin justi omnes ac singuli in calamitates varias cadant. Nihil minus: Contrarium enim experientia docuit, imprimis sub v. lege, sed tantum, quando fit ut justus incidat, & frequenter quidem (septies enim hic idem est quod frequenter) in varias calamitates, ejus aliam longè esse conditionem, quam est injustorum. Ille semper divina providentia ex iis liberatur, & toties, quoties incidit in eas: At injusti & impii in iis tandem pereunt atque intereunt, uti ex vers. 20. aliisque infinitis manifestum est: vide imprimis Ecclesiastæ cap. 8. 11. 12. 13. Locus ex Psal. 19. 13. citatus, arguit fieri facilè, ut quis imprudenter laboret quibusdam vitiis, aut ut quædam minus rectè fecerit ad quæ animum non advertit: at non arguit neminem esse qui vitiis istis non laboret. *Ab occultis itaque munda me*, non necessario significat, ab iis, quæ certum est in me esse, etiamsi in specie aut individuo ea mihi occulta sint, sed significare potest, ab iis, quæ in me fortè sunt, quamquam ego ea ignoro. Quis enim errores, in quos incidere potest, aut in quos aliquando imprudenter incidit, intelligat aut comprehendat? Locus Proverb. 20. 6 *Quis potest dicere, mundavi cor meum, mundatus sum à peccato meo?* non habet istum sensum, quasi nemo mundus corde esse possit, aut dicere se mundo corde esse: Contrarium docet iste ipse, quem huic statim subjungit Censor, locus ex 1. Cor. 4. 4. ubi Apostolus dicit, *Nullius rei mihi conscius sum*, quod quid aliud est, quam dicere mundavi cor meum?

Locus Proverbiorum 24. 15. vindicatur à prava Censoris interpretatione.

Similiter locus adductus ex Psal. 19. 13.

Similiter locus Proverb. 20. 6.

Job dicit cap. 31. verſ. 4. *Nonne Deus videt vias meas, & omnes greſſus meos dinumerat? appendat me in ſtatera juſtitiæ & agnoſcet perfectionem meam: Si declinavit greſſus meus è via, &c.* Sed hunc videtur habere ſenſum, vel, Non ſatis eſſe ad hoc, ut quis à peccato *ſuo* (N B) quod commiſit, mundatus ſit, ſi dicat mundavi cor meum,& interim duplici pondere & duplici menſura, uti pergit,&c.vel,paucos admodum tum fuiſſe, qui corde à peccatis mundati erant: Quem libet penè in eo, cui deditus erat peccato (id enim vocat *peccatum meum*) hæſiſſe, adeò ut quæri merito jure tum potuerit, quis hodie eſt, qui ſe mundet à peccato ſuo? Sic enim quæſiverat antea ipſe Salomon verſ. 6. *Multitudo hominum prædicat uniuſcujuſque miſericordiam: virum autem veracem*, id eſt, uti verſ. ſequenti exponit, *ambulantem in perfectione ſua juſtum, quis inveniet?* Tales querelæ plures ſunt & variis in locis. Locus ex 1. Cor. 4. 4. citatus, *Nullius mihi conſcius ſum: ſed non in hoc ſum juſtificatus: Deus eſt qui me dijudicat* (ſi eum de tota vita hominis Chriſtiani accipere velimus,ac non,uti accipiendus tamen videtur,de miniſterio,quod Paulo, ut Apoſtolo concreditum fuerat) arguit manifeſte, fidelem eò uſque pervenire poſſe, ut nullius peccati, aut culpæ (*nequitiæ* vocem inſeruit Cenſor de ſuo,ſine ulla autoritate aut ratione) conſcius ſibi ſit, quæ ſanè ingens,ſi non ſumma perfectio eſt in hac vita. Quando autem dicit Apoſtolus ſe *in eo*, vel idcircò *non eſſe juſtificatum*, eo non ſignificat ſe peccatis & vitiis tamen multis laborare, quæ remitti à Deo neceſſe ſit, ut coram eo juſtus ſit, ſed tantum ſibi ſupremum & peremtorium de ſe judicium non competere; ſed Deo judici & agonothetæ,qui cum certiſſima ſcientia,& ſine gratia,ſine odio judicabit ſuo tempore:fieri quippe poſſe, ut quamquã conſcientia propria ſua ei non dictet, quod in aliqua re officio ſuo defuerit,ſecus tamen quædam,quam oportet,fecerit.Unde contrarium elici manifeſtum eſt.Nam cum Apoſtolus ſignificat fieri poſſe ut id verum ſit,non obſcurè etiam ſignificat,fieri poſſe,ut verũ non ſit;imò id non ſignificat tantum, ſed clarè ſatis exprimit, cum ait, *Tunc laus erit unicuiq; à Deo*.q.d.cum Deus idem pronunciabit,quod nunc mihi dictat mea conſcientia,tum demum vera laude ac gloria ornabor & coronabor.

Similiter locus ad Corinthios 4.4.

Sectionis VII. cenſura examen non meretur. Tota magiſtralis & pœdagogica potius eſt cenſura, quam rationalis. Prolixè in ea exponitur quæ ſit ſententia Remonſtrantium de quinto, quem vocant, Articulo, id eſt de perſeverantia Fidelium, ſive eorum, qui ſemel crediderunt: Iſti deinde Remonſtrantium ſententiæ, ſuam ſuorumque

opponit Censor. Neutrum sanè necesse erat, nedum tam operose fieri: Res nota est. Lippi & tonsores eam jam tenent. Summa huc redit, uti in conclusione Censor ipse indicat; Nulla peccata (solum peccatum in Spiritum S. excipe) quamtumvis gravia, quamtumvis multa, quamtumvis diuturna *effectivè, etsi demeritoriè*, tollere electorum adoptionem & justificantem gratiam. Juxta hanc summam sic procedit. In omnibus electis dicit esse I. Innatam concupiscentiam, quæ fomes & fons peccati & ipsa peccatum est. II. Per eam fieri ut in omni bono opere semper aliquid omittant, quod peccatum omissionis est. III. Ut leviora peccata sæpè committant. IV. ut aliquando incidant in atrocia peccata, Deo sic permittente, id est, uti ex antecedentibus liquet, Deo ad tempus gratiam suam, quæ concupiscentiam eorum antea frænavit, iis subducente sine qua eos in peccata ista incidere necesse est. V. Quando id fit, semper in electis istis manere internum principium, sive justificantem fidem, & in Deo specialem amorem erga eos, quo fit, ut morti nunquam sint tradendi, sed per actum pœnitentiæ in viam reducendi, quando id Deo ita videbitur. Hæc summa est eorum, quæ sectionis hujus membro primo prolixè disserit, quæ jam pueri norunt, tanquam ungues digitosq; suos. Rationem nullam pro iis adducit, sed omnia ista colligere se dicit ex locis Scripturæ, quæ in cumulum coacervavit, tam indistinctè & confusè, ut vel numerare pœniteat: Sed quia de iis agendum esse dicit in Censura cap. 18. ad sect. 5. 6. & 7. nos eo etiam lectorem remittimus. Tantum hic nota Censoris confidentiam, cum veluti Orthodoxam sententiam inculcat; *Electos nunquam ex gratia Dei excidere nec totaliter nec finaliter*. Nam hæc adsertio directè repugnat non tantum Scripturis, & rationi rectæ, uti suo loco videbimus, sed Reformatis pluribus confessionibus, Augustanæ, cui Calvinus volens ac lubens, ut ipse testatur, subscripsit Artic. 2. *Damnamus Anabaptistas qui negant semel justificatos iterum posse amittere Sp. Sanctum*; & alibi, *Qui vero obtemperant pravis cupiditatibus & agunt contra conscientiam, nec justitiam bonorum operum retinent*. Saxonicæ Art. 9. 10. 16. 18. Bohemicæ Art. 7. 8. & Anglicanæ Art. 16. quæ disertè *Anabaptistas damnat, & post acceptum Spiritum S. posse homines recedere à gratia data & mortaliter peccare*, docet, prout eam citat Richardus Thomsonus in diatriba sua de intercisione Iusti. cap. 27.

Sententia Censorum de perseverantia fidelium totali & finali.

Sententia ista Censorum de perseverantia, repugnat pluribus Reformatis Confessionibus.

Post hæc colligit ex eo, quod Remonstrantium declaratio statuit *fieri posse, ut fideles, per atrocia peccata, totaliter, tandemque etiam finaliter, nisi serio in tempore resipiscant, divina gratia excidant, Remonstrantes*

ſtrantes agnoſcere ſaltem per conſequentiam, fideles qui in atrocia peccata aliquando labuntur ſi in tempore reſipiſcant, antequam reſipuerint, à gratia divina non modo non finaliter, ſed nec totaliter excidere. Imperitè admodum, & perperam: Nam Remonſtrantium Confeſſio non refert verba illa, *Niſi ſerio in tempore reſipiſcant*, ad vocem totaliter, ſed ad vocem *finaliter* tantum. Dicit enim fideles illos, qui ita peccant, totaliter excidere divina gratia, & niſi ſeriò atque in tempore reſipiſcant finaliter etiam tandem excidere. Et qui poſſent aliter verba iſta accipi? Cum enim reſipiſcentiæ locus eſſe poſſit, etiam ſub finem vitæ hujus ex ſententia Remonſtrantium, dicendum utique foret Remonſtrantes credere fideles non excidere totaliter, niſi cum finaliter etiam excidunt, id eſt, cum ſine reſipiſcentia moriuntur aut reſipiſcentiæ ſpes nulla amplius eſt. Quod deinde Cenſor ſubjungit *incongruè* locutos eſſe Remonſtrantes cum addiderunt. Neque *interim negamus, dicendum enim fuiſſe. Neque enim abſolutè negamus*, id leve ac futile eſt: Remonſtrantes idcirco voce iſta *interim* uti voluerunt, quia ſciebant iſtam orationem veluti coccyſmum ſemper occini à contra-Remonſtrantibus, Reprobatos ſalvari poſſe, ſi credant in Ieſum Chriſtum; fideles perire poſſe, ſi peccent in Spiritum S.; quamquam negant fieri poſſe ut reprobi credant, aut fideles in Spiritum S. peccent. Ne quis autem ſimiliter locutos crederet Remonſtrantes, idcircò uſi ſunt voce *interim.* Non enim bona eſt juxta Cenſorem conſequentia: Si Fideles finaliter Dei gratia excidant niſi reſipiſcant, ergo poſſunt ea excidere; Aut ſi infideles reprobi ſalvabuntur, ſi reſipiſcant, ergo poſſunt reſipiſcere. Sed hoc ſatis eſt obiter tetigiſſe.

Quid ſibi velint verba declarationis: *Niſi ſerio in tempore reſipiſcant*, quæ mala fide detorquet Cenſor.

Quid voce *Interim* Declarationi inſerta ſignificetur.

Acceptio vocis *poſſe*, cum quæritur, *an ii, qui verè ſemel crediderunt fide juſtificante, poſſint relabi ad priſtinam vitæ profanitatem & Spiritum S. amittere*, valde eſt inepta, quam hic adſignat Cenſor: Nam cum quæritur an fideles poſſint relabi ad priſtinam profanitatem, tum non quæritur, an fideles, qua homines ſunt infirmi, per infirmitatem ſuam poſſint labi, ſed an fideles, qua ad vitam electi, & juſtificante gratia ſemel donati ſunt, iſta infirmitate laborare permittantur à Deo, ut relabi poſſint ad priſtinam vitam, ſive potius, an infirmitati iſti humanæ, quæ in fidelibus eſt, Deus tale ponat remedium, ut in actum non poſſit exire, aut ut in actum nunquam exeat: ubi id fieri dicitur, ibi dicunt Remonſtrantes ineptè aſſeri fideles *poſſe adhuc relabi*: Infirmitas enim infirmitas non eſt, quæ aliunde ſic roboratur & ſtabilitur, ut is in quo ea eſt ſuccumbere nequeat.

Quid verbum *poſſe* ſignificet, cum quæritur an Fideles poſſint relabi ad priſtinam vitæ profanitatem.

Quid requiratur ad hoc ut quis dicatur vere posse agere aut non agere.

queat. Tum ut aliquis dicatur vere posse agere aut non agere, non sufficit, quod possit aliter agere si talis aut talis circumstantia, adsit aut absit, sed requiritur, vel, ut nulla ei adsit aut absit circumstantia, cum qua non possit consistere ipsum non agere: vel ut habeat in potestate sua omnem talem circumstantiam, prout libuerit, tollere: Sic ut quis dicatur posse currere aut cadere, non sufficit ut locomotiva facultate præditus, aut ut gravis sit: Quis enim facultatis illius usus est, imo quæ facultas seu potestas illa est, si pedes ferreis & adamantinis vinculis ligatos constrictosque habet? Et quid est gravitas ista, quæ impeditur summa efficacitate ne causa sit lapsus? Adde, quod inepte etiam dicat Censor, fideles relabi posse ad pristinam vitæ profanitatem, quantum in ipsis est, sive per infirmitatem suam. Nam sic juxta ipsum, fideles non tantum possunt aliquando relabi, sed necessario & semper ad eam relabuntur, non aliter quam molare saxum pondere suo ex alto ruere necesse est.

Serio & intelligibiliter à Censore adseri non potest, Fideles per peccata Spiritum S. amittere, ut ad tẽpus nullo iis usui aut effectui sit.

Quod deinde addit Censor, *Fideles Spiritum S. fidem & caritatem aliquando etiam amittere, ut ad tempus nullo iis usui aut effectui sint*, id dicis tantum caussa additum ab eo videri debet, & ut ut sit, nunquam facile explicabit, ut intelligi possit: Dicis caussa inquam, id ab eo additur, quia si congruenter loqui velit, fideles non amittunt Spiritum S. per peccata, sed ante peccata sive antequam peccant: Nam subtrahitur iis Spiritus S. nulla culpa eorum, tantummodo quia liberrimo Deo sic consultum videtur, *ut isto experimento discant*, ut Censor ait, *soli Deo in Iesu Christo totam salutis suæ laudem tribuere*: Exinde peccata sequuntur, & peccare eos necesse est. Hæc subtractio à Censoribus molliore vocabulo vocatur *permissio*, quæ auxilii ad non peccandum necessarii subductio est, uti jam sæpius inculcatum est: Inepte itaque etiam judicat Censor *per peccata fieri ut fidelibus Spiritus S. & fides nullo usui aut effectui sint*: Nam contrarium affirmandum illi est, tum & idcirco fideles peccare, quando & quia Spiritus S. ipsis nullo usui aut effectui est: Prius enim desinit Spiritus S. in iis agere, quam ipsi peccent. Permissio enim divina prior, saltem natura, est volitione peccandi in fidelibus. Deinde nunquam facile explicabit Censor, quomodo fideles Spiritum S. fidem, & caritatem sic amittant, ut ad tempus nullo iis usui aut effectui sint. Nam quid est fides, quæ sine usu est? usus fidei est fides ipsa, sicut usus virtutis est ipsa virtus, & usus actionis ipsa actio est: fides est fiducia firma juxta Censorem: quæ fides ergo est, quæ fiducia caret, vel sine usu fiduciæ est? usum autem fiduciæ effectus fiduciæ sequitur,

ſequitur, id eſt, lætitia & pax animi. Dicere, peccata eodem modo ſe habere ad fidem, *quo pellicula interjecta ad oculum, quæ oculum actu videndi tantum privat, non autem virtute aut facultate*, eſt diſſimilia inter ſe comparare. Fides enim non cum oculo, ſed cum viſione ipſa comparari debet: fides enim eſt ipſa fiducia, non id in quo fiducia eſt, nec diſtinctum aliquid à fiducia, per modum potentiæ, inſtrumenti, aut ſubjecti, uti oculus eſt diſtinctum quid ab ipſa viſione, quæ in & ab oculo eſt. Nemo adeò fatuus eſt, ut dicat virtutem manere in eo, qui actiones virtuti contrarias facit, aut actiones virtuti contrarias, veluti pelliculā interjectam, impedire quidem virtutis uſum, ſed non tollere virtutem ipſam. Tùm meminiſſe debebat Cenſor ejus quod pag. 107. dixerat, juſtitiæ eam eſſe rationem, ut per actum injuſtitiæ deſinat eſſe, quia accidens eſt: Cur non eadem eſt ratio fidei & caritatis? Niſi fortè hæc accidentia eſſe neget, quod nimis ſtultum foret.

Similitudo qua peccata ad fidem ſe habere dicit, uti pellicula interjecta ad oculum, refellitur.

Addunt, inquit, *raro fieri ſolere, & difficulter poſſe, ut divinæ gratiæ beneficio renoventur & ad frugem redeant, qui ſemel verè crediderunt, & ad priſtinam vitæ profanitatem relabuntur. Id ſi intelligant de verè juſtificatis, falſum eſt. Id enim non fit raro, ſed ſemper & quotidie, nec in uno aliquo, ſed in omnibus & ſingulis.* Audax aſſertio, quam nec ratione nec experimento ullo muniri à Cenſore mirum eſt. Sed id impoſſibile ei fuit. Tantum dicit, *Hoc planè neceſſarium eſt, ut propoſitum Dei, quod eſt ſecundum ipſius electionem, id eſt, non ex operibus, ſed ex vocante, firmum maneat, Rom. 9. 11. Et verum ſit, Quod bonus paſtor Ioan. 10. verſ. 28. aſſerit, Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam de manu mea.* Miſerrimæ ſanè rationes tam ingenti Coloſſo fulciendo. Nam in primo loco ad Rom. 9. per *propoſitum, quod eſt ſecundum electionem* (pronomen enim *ipſius*, quod Cenſor hic, ad exemplum Bezæ, inſeruit, non eſt in textu) intelligi propoſitum, quo Deus nominatim & peremtoriè hunc aut illum ſaluti æternæ deſtinat, probandum fuerat. Hoc enim aſſumere tanquam confeſſum non debuerat, cum id apertè negari à variis interpretibus, & nominatim ab iis, contra quos diſputat, non ignoraret: Sed & falſum eſſe ſuo loco probabimus. In ſecundo verò loco non affirmatur à Chriſto, qui bonus Paſtor eſt, fieri non poſſe ut oves ſponte ſua oves eſſe deſinant, aut in lupos, porcos, aliaſve beſtias degenerent, ſed tantum fieri non poſſe, ut oves, qua tales, pereant, id eſt, ut fideles, qui Jeſu Chriſto per veram fidem conſtanter adhærent, potentiæ & manui Ieſu Chriſti per vim eripiantur, quo

Defenditur ſententia Remonſtr. qua dicunt raro fieri ſolere & difficulter poſſe fieri, ut fideles relapſi ad priſtinam vitæ profanitatem, ad frugem redeant.

minus salventur. At de isto quæritur, non de hoc. Aliud est seduci, aut voluntate propria exire, deficere, deserere Pastorem, aliud Pastori omnipotenti fideliter adhærentes per vim Pastori eripi aut à Pastore abduci: hoc impossibile est; Istud fieri posse docet, ut alia jam non allegem, diserte Apostolus Petrus 2. Epist.cap.2.vers.18. cum dicit *esse qui per lascivas carnis cupiditates inescant eos qui* (NB) *VERE effugerant eos, qui in errore versantur*, adeo ut *implicentur, & superentur ab iis, &* (NB) *regrediantur à sancto mandato sibi tradito, accidatque iis, quod proverbio dici solet, canis reversus est ad suum vomitum, & sus lota ad volutabrum cæni.*

Si vero adversarii, inquit, *ægram illam & difficilem lapsorum restaurationem referant ad eos, qui ad tempus crediderunt, &c. non solum dicimus id raro fieri solere, et difficulter admodum, sed, cum Apostolo, fieri non posse ut renoventur per pœnitentiam. Cui certe ex diametro se opponunt, qui quod fieri non posse dicit, fieri posse docent, etsi raro aut difficulter.* Speciosa oratio, sed prorsus ab omni vero inanis. Nam per eos, quos isthic describit Apostolus, intelligi eos, qui non fuerunt prædıti nisi fide temporaria, ut vocant, quæ specie à fide vera justificante sit distincta, alienissimum est à textu: quod præter alia indicia non pauca, nec levia, duo hæc argumenta docent. I. Quia de illis diserte dicitur quod impossibile sit, ut *renoventur* non *per pœnitētiam*, ut Censor legit, sed *ad resipiscentiam* sive eis μετάνοιαν: Illa itaque μετανόια præditi fuerint necesse est, ad quam eos renovari impossibile esse dicit Apostolus: Vera autem ac salutaris illa μετάνοια fuerit necesse est: Nam alioquin I. Cur ad eam renovari non possent quæ impiis & profanis aut hypocritis etiam communis esse creditur? II. Quid in eo positum magni momenti foret, si Scriptor dicatur affirmasse eos non posse ad istam resipiscentiam renovari, ad quam, etiamsi renovarentur, tamen æternum damnandi non minus forent, quam si ad eam non renovarentur? II. Argumentum est, quia Scriptor de iis diserte affirmat, quod *sibi iterum crucifigant Filium Dei, & ignominiæ exponant*, vel παραδειγματίσωσι: Ii itaque intelliguntur, pro quibus Christus semel crucifixus est, quales Censor electos tantum esse vult. *Iterum* enim sibi crucifigere Filium Dei non possunt, nisi semel pro ipsis, id est, bono ipsorum, crucifixus fuerit, & fuisse agnoscatur: Alioquin, quod malum in crucifixione ista, aut quod ex ea damnum ad eos redit, quod antea ad eos non rediisset, etiamsi prolapsi non fuissent, aut Filium Dei sibi iterum non crucifixissent? Damnandi fuissent perinde uti nunc damnandi sunt. Dices, posito, hoc loco per eos,

Refellitur Censoris expositio, qua locum ad Hebr. 6. exponit de iis qui non nisi fide temporaria præditi fuerunt.

eos, quos hic Scriptor describit, intelligi eos, qui verè crediderunt, nihilominus manet certum, sententiam hanc Remonstrantium è diametro repugnare Scriptoris verbis, *Quia fieri posse dicit, quod Scriptor fieri posse negat.* ℞. Nempe, si verba præcisè urgeas: at vox ἀδυνάτον, qua Scriptor utitur, non semper præcisè urgenda est. Non rarò enim in communi sermone idem significat, quod admodum grave ac difficile est, & Matth. 19. 26. disertè sic accipitur, aliisque locis compluribus: Hoc verò loco etiam sic accipi vocem hanc ratio manifesta arguit. Quia alioquin Censor, nunquam facilè explicaturus est, vim hujus orationis Apostolicæ. Nam si sensu proprio eam accipiat, quomodo quæso impossibile esse ut prolapsi ejusmodi renoventur ad resipiscentiam, affirmari dicet ab autore Epistolæ hujus? Dei respectu id affirmari non concedet: Ut respectu prolapsorum qua prolapsorum, id impossibile esse affirmari dicat, vanissimum est: Nam non magis impossibile est prolapsos qua prolapsos renovari, quam impossibile est irregenitos resipiscere antequam prolabuntur iterum, imò non magis impossibile est tales renovari ad resipiscentiam, quam impossibile est regenitos renovari ad resipiscentiam, quum in gravia & atrocia peccata incidunt. Nulla ratio impossibilitatis major dari potest in prolapsione, qua prolapsio est, ut ita dicam. Quando enim resipiscentiæ & resipiscentiæ renovatio tota à solo Deo, & divina speciali gratia pendere creditur, tota ratio impossibilitatis, ut vel resipiscamus, vel ad resipiscentiam renovemur, ab eadem ut pendere dicatur necesse est. Dicere, impossibile esse ut ad vel per resipiscentiam renoventur prolapsi, quia Deus tales iterum renovare non vult ad vel per resipiscentiam, nihil est. Nam I. sic vox *impossibile* à propria significatione sua detorquetur & eadem, quæ jam indicavimus absurda, hic militant. II. Quæ ratio istius divinæ voluntatis dabitur, si isti, qui sic prolabuntur, non prolabuntur, nisi quia Deus gratiam istam, sine qua eos non prolabi impossibile est, non continuat, prout Censor credit? Certè sic in istis ita prolabentibus nulla culpa, nedum gravior culpa locum habebit, quam in regenitis, quando in peccata atrocia incidunt: proinde non magis respectu illorum impossibile erit ut renoventur ad resipiscentiam, quam respectu horum. Sed desino hic. Cætera loca nauci non sunt: Nam per Satyram potius objiciuntur, quam cum ratione & judicio. Ex his jam satis, ut arbitror, manifestum est, quam parum solida, imò quam vana sit operosa & prolixa hujus totius 11. capitis censura, Tu lector judica.

Quo sensu usurpet author ad Heb. vocem ἀδυνάτον.

AD

AD CENSURAM CAPITIS XII.

De Bonis operibus in ſpecie deque Decalogi expoſitione.

CApitis hujus cenſura Ixionis nubes eſt: Nihil in ea eſt niſi ſuſpicionis vapor, & ægri animi fuligo. Primo loco cenſetur, quod *Remonſtrantes, ea quæ à Chriſto dicta ſunt in monte, Matth. 5. 6. & 7. totis, ita referant ad bona opera Chriſtianis omnibus communia, ut in doctrina trium illorum capitum nullum opus à Chriſto commendatum agnoſcere NB.* videantur *ex illis, quæ certarum vocationum propria eſſe dicunt. In eo hallucinantur,* inquit. Quantum crimen, Cenſor, ſi hoc omninò verum eſt? At unde hoc colligis? Vide Lector quam acutum cernat, acutius ſanè quam aut Aquila, aut ſerpens Epidaurius. Ad marginem Confeſſionis ſuæ notaverunt Remonſtrantes capita Matth. 5. 6. & 7. quibus totis de bonis operibus, quæ Chriſtianorum omnium ſunt communia, agi innuerant. Ex hoc tam exili ovo nata eſt hæc ingens Cenſura, Crocodili inſtar. Nempe hæc hæreſis eſt; *Totis capitibus 5. 6. & 7. Matth. dicunt Remonſtrantes deſcribi bona opera Chriſtianis omnibus communia.* At quis adeò ſeu ignarus ſeu iniquus rerum æſtimator eſt, qui vel neſciat, vel neget ſæpiſſimè dici, totis Epiſtolis aut capitibus aliquid tractari, quod præcipuè & maxima parte in iis tractatur? Decalogus ipſe totus, Lex eſſe moralis, & non niſi moralia præcepta continere dicitur; cum tamen certum ſit quartum ejus præceptum de præciſa ſeptimi diei ſanctificatione purè putè cæremoniale eſſe. Epiſtolæ totæ ad Romanos & ad Galatas de juſtificatione hominis agere dicuntur, cum tamen alia nec pauca nec levia in iis etiam tractari certum ſit. A præcipua & potiſſima parte ſemper fit denominatio. Jam autem Cenſor hic fatetur, pleraque omnia, quæ in ſermone illo tribus Matth. capitibus recenſito dicta ſunt, ad omnium Chriſtianorum vitam informandam facere. Potuerunt itaque jure optimo Remonſtrantes etiam dicere, totis iſtis tribus capitibus Matthæi deſcribi opera, quæ Chriſtianis omnibus ſunt communia: Non enim idcirco negant, aliqua in iis eſſe quæ ſpecialiter ad Apoſtolos pertinent, & quæ certarum vocationum ſunt propria. Hæc enim, quia pauca ſunt, in cenſum non veniunt, & pro nihilo habentur. Et fungi ſane ac fuci habendi

Rectè dictum eſſe in declaratione, totis capitibus 5. 6. & 7. Matth. deſcribi bona opera Chriſtianis omnibus communia.

bendi essent ij, qui quæ in istis capitibus *de divortio & libello repudii* dicuntur, referre vellent ad ea, quæ Christianis omnibus tam cælibibus quam conjugatis communia sunt. Nec adeò ineptus ipse Socinus videri debet, ut crediderit versiculum, qui de libello repudii agit, ad Christianos omnes etiam non conjugatos pertinere. *Attamen*, inquit Censor, *Socinus unus hodie exortus est qui magno conatu evincere voluit, Christi sermonem totum ad omnes, qui discipuli Christi, id est, Christiani esse velint, pertinere.* Esto: quid tum? An hoc Censura dignum est? Qui sermonem istum Christi ad Christianos omnes pertinere vult, is eum vult etiam ad Apostolos, etsi non quà Apostolos, pertinere. Non contra. An periculum aliquod in eo est? Sanè aliud nullum periculum inde metui potest, quam quod hac explicatione Socini, via ad vitam arctior multò reddatur Christianis omnibus, quam si dicatur sermo Christi ad solos Apostolos pertinere, eosque ad præcepta, quæ in eo continentur, tantum obligare: Hoc periculum si non metuitur, quid censura dignum habet hæc Socini explicatio? Sed quicquid de Socino sit, Remonstrantes sententiam suam hac de re in Confessione hac sua non dixerunt. Id nunc profiteri non dubitant, eos, qui sermonem hunc totum ad solos Apostolos referendum censent, pessimè sentire, & solidè à Socino confutatos esse. Quod Censor hic subjicit, *Socinum falsò id suis impingere, & sententiæ ejus nullum potuisse autorem proferre*, id profectò ingentem Censoris inscitiam arguit. Socino non cum Calvinistis, sed cum Palæologo & qui cum Palæologo sentiunt, lis fuit. Illorum ista fuit, & etiamnum est sententia, uti ex disput. Socini contra Palæologum liquet. Et argumenta, quæ refert Socinus & confutat (accuratiora profectò & speciosiora, quam quæ hic Censor allegat, quæ profectò vix argumenta vocari merentur) non obscurè indicant, autores istius sententiæ esse homines non indoctos, quos nisi cum Socino confutes generali contradictione, id est, quod sermo Christi totus non ad solos Apostolos, sed ad omnes Christianos pertineat, in eas angustias te conjicias necesse est, ut, quid ad solos Apostolos pertineat, quid ad omnes Christianos, præcisè distinguendum tibi sit, quod uti laboris, ita periculi plenũ est, non dico in istis versibus, ubi Christus ait, *vos estis Lux, vos estis sal mundi*, &c. hoc enim leve est; sed in istis, ubi præcepta continentur quibus promissio vitæ, aut regni cælorum, & contrariæ exclusionis à regno cælorum comminatio annexa est. Hæc sola consideratio facit, ut Remonstrantes, quamquam in Confessione sua sententiam suam non interposuerunt, hic

Sine periculo credi ac dici potest, sermonem Christi Matth. 5. ad omnes Christianos pertinere.

Contra quos id asseruerit Socinus.

Sentententia Remonstrantium de scopo istorum trium capitum.

jam affirmare non dubitent, sententiam istam, quæ præcepta Christi omnia hisce capitibus comprehensa, ad Christianos omnes nonnulla autem ad Apostolos qua Apostolos præcipuè, sed non solos pertinere statuit, tutiorem, & paucioribus difficultatibus obnoxiam esse. Nec argumenta vident ulla (quæ enim à Censore hic adferuntur, ea sunt aut prorsus futilia, aut saltem valde exigui usus) quæ contrarium suadere possint.

Secundo loco censetur, quod *Remonstrantes subdividant opera bona Christianis omnibus ex æquo & sine discrimine præscripta in tria capita. I. In dilectionem Dei & proximi. II. In directionem sive abnegationem nostri ipsorum. III. In adsiduam ad Deum precationem, & pro acceptis beneficiis gratiarum actionem. Nam duo posteriora divisionis membra sub primo continentur*, inquit Censor. Quasi verò certum non sit dilectionem Dei & proximi, imò dilectionem Dei, simpliciter sic dictam, aliquando strictius, aliquando latius accipi in Sacris, & docẽdi gratia aliquando accipi posse. Strictè cum sumitur, significat observationem mandatorum illorum, quæ vel Deum vel proximum præcisè, vel cum vox dilectionis soli voci Dei jungitur, quæ Deum immediatè aut tantum spectant. Latè, cum mandata Dei omnia comprehendit, quæ Deum, nos & proximum nostrum spectant. Primo sensu phrasin dilectionis Dei & proximi acceperunt Remonstrantes, in primo subdivisionis suæ membro, & sic contradistingui eam à directione sive abnegatione nostri, manifestum est ex terminis. Nec obscure hanc distinctionem fecit Deus ipse & Christus, cum nos *diligere jubent proximum nostrum sicut nos ipsos*. Hac enim locutione *nos à proximo* distinguimur. Ad dilectionem autem Dei ut id applicetur, absurdum est: quia *Deum diligere* nobis Lex jubet *supra omnia*, proinde & supra nos ipsos: An verò hæc directio sive abnegatio nostri, itemque precatio & gratiarum actio comprehensa dici non possint sub præceptis Legis, si quis ejus verba, aut potius Legislatoris mentem, quo usque extendi potest, extendere velit, inquirendum relinquunt iis quibus id libet ac licet. Operæ pretium id non putant Remonstrantes: Nihil tamen dubitant, quin sub iis comprehendi possint: Sed id non vetat quo minus illa, docendi gratia, distinguere possit qui vult. Simile est id quod subjicitur: *Suspectum meritò esse, quod, ubi Remonstrantes de primo illo capite, dilectione Dei & proximi agunt, non dicunt absolute illud contineri Lege Morali, sed hac addita cautione, quatenus à Christo exposita est.* Hic explicari sibi petit Censor, *quomodo Remonstrantes expositionem illam à Christo fa-*

Dilectio Dei aliquando strictius aliquando latius accipitur in Scriptura Sacrâ.

isto factam velint, an per novorum & Lege non comprehensorum præceptorum additionem, an per interpretationem eorum sensuum, qui verbis Legis continentur. Remonstrantes necessariam non putant, ut hoc explicent. Fruatur quisque judicio suo. Nam quicquid dixeris, semper tamen eo tandem redibit res, observationem Legis Moralis, quatenus à Christo exposita est, nec aliter, Christianis hoc tempore necessariam esse, quomodocunque tandem expositio illa à Christo Iesu facta dicatur. Hoc satis est: Enimvero dato, sed non concesso, Remonstrantes credere expositionem hanc à Christo factam per additionem novorum præceptorum (non quæ præcepta perfectionis aut Consilij à Pontificiis vocantur: Talia enim Remonstrantes non agnoscere certum est; sed quæ perfectiora sunt in genere morum ut loquuntur, quam sunt præcepta Legis Mosaicæ, prout jacent.) quid inde efficietur? *Sic Remonstrantes, inquit Censor, transibunt in Socini castra*: Papæ! quantum crimen! Imo vero, sic cum antiquitate pene tota sentient. Est enim constans & communis veterum pene omnium sententia, Christum Iesum nova quædam & perfectiora præcepta Legis Mosaicæ præceptis addidisse. Docent id *Irenæus* lib.4.cap.27. *Tertull.* libro de Patientia. *Clemens Alexand.* lib.6. stromation. *Hilarius* cap.4. in Matth. *Epiphanius* ad Ptolomaitas Hæresi 33. *Basil.* Homil. in Psal.14. *Chrysost.* Homil.16. in Matth. *Autor imperf.* Homil.11. Ambros. serm.5. in Psal.118. Hierony. in Epist. ad Gerontiam de Monogamia, *Chromatius, Theophylactus,* & *Euthymius* in Comment. ad Matth. cap.5. Et signum hujus rei manifestum est, quod interpretes non pauci Euangelici, qui vocantur, autores veteres non leviter taxent, & culpent eo nomine, quod sententiæ isti, de præceptorum novorum additione per Christum facta, patrocinati fuerint. J nunc & Socinum sententiæ hujus autorem facito, pro qua tota pene Antiquitas stetit. Promissionem vitæ æternæ à Deo sub V. Fœdere factam, aut lege Mosis comprehensam fuisse non solus nec primus Socinus, sed eadem multis retro ante sæculis negavit Antiquitas: utrumque hoc prolixe varii probarunt iique antiquitatum peritissimi scrutatores: Neutrum affirmant Remonstrantes neque ut affirment, necessarium putant, uti jam ante vidimus.

An Expositio à Christo facta sit per novorum præceptorum additionem, an per interpretationem eorum sensuum qui verbis Legis continentur, necessarium non est ut curiose explicetur.

Constans & communis veterum pæne omnium sententia est, Christum nova & perfectiora præcepta, Legis Mosaicæ præceptis addidisse.

Sectione III. censetur, quod *Remonstrantes in explicatione primi mandati dicunt, primum præceptum jubere, ne pro arbitrio nostro comminiscamur, aut per traditionem aliorum*, citra expressum Dei mandatum, *admittamus quippiam, sive verum, sive fictum, &c. cui vel natu-*

ram ac vim divinam, vel proprietates, vel actiones, vel autoritatem & imperium in nos divinum directe aut indirecte tribuamus. Istis enim verbis videntur innuere, posse Deum expresso aliquo mandato jubere, ut admittamus tale quippiam, creaturam aliquam nempe, cui naturam divinam, &c. tribuamus. Qua exceptione videntur cum Socino statuere, filio Dei Iesu Christo, ut homini, divinam potentiam, & divinos honores tribui posse. Ita est; Propter Iesum Christum inseruerunt verba ista, *citra expressum Dei mandatum*; Nam Christo Iesu, ut Mediatori, ac proinde ut homini, à Deo honorem adorationis datum esse statuunt, quia Scriptura id diserte non uno in loco adfirmat: Ioan. 5. Phil. 2. Hebr. 1. &c. Huic adsertioni divinæ frusta opponuntur duo loca, ex 2. Timoth. 2. 13. ubi dicitur *Deus seipsum non potest abnegare*, & ex Esaiæ 42. 8. ubi Deus dicit, *Gloriam meam alteri non dabo.* Nam I. cum ex Scriptura certum ac manifestum sit, Deum honorem & gloriam adorationis dedisse, adeoque gratificatum esse Filio suo, propterea quod Patri suo obediens fuerat ad mortem, imo ad mortem crucis usque, ratio postulat, ut loca, quæ hic ex Paulo & Esaia citantur, dicantur non continere sensum, qui directe isti divinæ adfirmationi repugnat, imprimis, cum loca ista sensum longe alium continere possint. Sed & II. perperam loca ista allegantur, & à sensu suo genuino in alium detorquentur, aut saltem longius, quam par est, trahuntur. Nam quod attinet locum, qui ex 2. Timoth. 2. 13. citatur, cum de Deo dicitur, quod *seipsum non possit abnegare*, certum est ejus sensum alium nullum esse, quam quod Deus, à parte sua semper fidelis & constans manet in servandis promissis suis. Sed posito etiam, quod sensus verborum istorum eo usque quo vult Censor, possit extendi; nihil tamen inde effecerit. Nam Deus seipsum non abnegat, cum Filio suo Iesu Christo, ut homini honorem adorationis concedit. Honor enim iste non est honor, quo Christus, qua Mediator adoratur supra ipsum Deum, aut ut summus ac supremus Deus, cui ex se honor ille debetur. Absit: hunc honorem, hanc gloriam sibi soli integram semper servat Deus, *ex quo per quem & in quem sunt omnia*, prout Apostolus ad Philippenses diserte indicat cap. 2. 10. 11. *ut ad nomen Jesu flectatur omne genu &c. omnisque lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum, ad gloriam Dei Patris.* Sed est honor, quo Christum infra se, & ut Mediatorem inter se & inter homines, adorari jubet, salvo semper supereminentiæ suæ titulo ac jure. Quod ad alterum locum Esa. 42. 8. attinet, manifestum est, eum non agere nisi de Idolis aut sculptilibus, & Deum affirmare in eo, se non

Cur Remonstrantes Declarationi suæ in explicatione primi præcepti Decalogi inseruerint hæc verba, *Citra expressum Dei mandatum.*

Sensus loci 2. ad Tim. 2. 13.

Sensus loci Esaiæ 42. 8.

se non permissurum unquam, ut cultus sibi debitus Idolis istis deferatur, *impune scilicet*, sed se populum suum, ad Idololatriam istam se dantem, severiter puniturum. Id indicant verba posteriora quæ priorum exegesin continent; *Nec gloriam* (aut laudem) *meam sculptilibus:* prout disertè jam olim locum hunc exposuit Justinus Martyr, in dialogo suo cum Tryphone Iudæo, expresse addens, *Deum cum gloriam suam Filio dedit, quem prælucere gentibus voluit, alteri gloriam suam non dedisse.* Verbum itaque *dandi*, quo propheta hic utitur, pro permissione usurpatum est, eodem prorsus sensu quo Psal. 16.10. id usurpatum fuisse legimus (ut jam alia loca non allegemus) *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, Enimverò, ut dicatur Deum hic dixisse, se sponte sua aut ultrò non daturum mutis & brutis idolis honorem istum; cui inquam sano homini fiet verisimile? Quare, per vocem *Alterum* vel *alteri*, non intellexit Deus simpliciter quamlibet seu creaturam, seu personam, quæ Deus summus non est, sed tantum istam, seu creaturam, seu personam, cui citra vel contra Dei expressum mandatum adoratio vel cultus divinus defertur. Talis persona non est Christus, quia Christus non tantum *unum* est *cum Patre*, non tantum *quæ Patri placita sunt facit*, non tantum is est, *in quo Patri complacitum est*, sed etiam is, cui Pater ipse honorem dignitatem ac majestatem dedit, cum expresso mandato, quando vid. eum in orbem terrarum introducebat, *Adorent eum omnes Angeli*, Heb. 1.6. Denique quomodo quæso possibile est, ut locus iste ad Christum etiam referatur, cum Christus ipse petiisse legatur à Patre suo, *ut glorificaret ipsum ea gloriâ, quam habuerat apud ipsum, priusquam hic mundus esset*, Ioan. 17.5.? Quod jam Censor hic interjicit, *Hac ratione Remonstrantes gratificari voluisse Socino*; id sanè ridiculum est. Non voluerunt gratificari Socino, sed apertæ Scripturæ & veritati Sole clariori cedere. Qui id facere nolunt, aut Thesin suam malunt διαφυλάττειν, quam vel hilum concedere veritati, ij Socino impensè gratificantur. Nihil enim prius potiusve accidere ejus sectatoribus potest, quam quod adversarios suos videant ea negare, quæ apertissimæ veritatis sunt & palpari penè possunt. Sic enim fit, ut animum inducere nec velint, nec possint, thesin suam, cui tam aperta veritas adhæret, falsam aut erroneam esse: Atque hic pertinaciæ istius nostræ fructus est.

Iustini Martyris testimonium.

In sectione IV. *nihil habet* Censor *quod ἑτεροδοξίας arcessat: At non debuerunt Remonstrantes*, inquit, *omittere, quæ in Catechismo Ecclesiarum Belgicarum rectè fuerunt ex mandato Legis secundo deducta, &*

Ostenditur vanitas Censuræ, qua dicitur Remonstr. non debuisse omittere *Deum nulla ratione effingi debere nec posse.*

alibi in Scriptura confirmata; quale illud est; Deum nulla ratione effingi debere, nec posse. Nempe, hoc arcanum Theologiæ ex Catechismo Palatino addiscendum erat, & hauriendum. Mirum quod Censor non velit ex eodem secundo mandato deduci debuisse, Artem omnem sculptoriam & pictoriam illicitam esse quia dicitur in eo, *Non facies tibi ullam imaginem aut similitudinem eorum, quæ in cælo, & terra, &c.* prout Tertullianum, aliosque veteres Patres credidisse certum est. Sed, cur quæso Remonstrantes id non debuerunt omittere? *Nisi forte*, inquit, *existiment cum Vorstio suo, Deo etiam corpus adscribi posse.* Quasi vero concedi non posset Deum effingi posse, nisi etiam concedatur Deum corporeum esse; Pontificii certe istud contendunt fieri posse, imo Deum sub variis speciebus effingunt, quos tamen manifestum est constanter adseverare, Deum esse incorporeum: Tum, quasi satis esset ad hoc, ut Deus effingi possi, quod credatur corporeus esse: Hoc sane credi potest, & interim negari, Deum effingi posse. Qui enim corporeum dicit Deum, non statim concedit formam vel speciem corporis divini notam esse, ut pingi possit. Sed Remonstrantes Catechismum & catechisticam hanc consequentiam Doctoribus his Catecheticis relinquunt, certi abunde à se præceptum secundum explicatum esse cum dixerunt, *Nihil neque verum, neque fictum neque creatum neque fabrefactum, neque vivum neque mortuum neque rationale neque brutum admittendum esse, cui divinus honor deferatur.* An simpliciter ac præcise vetitum sit secundo præcepto, Deum sub forma ulla, vel qua ipse sese in visione repræsentavit, vel qua in Scripturis aliquando per ἀνθρωποπάθειαν describitur, vel qua designari Deus creditur, repræsentare aut pingere, si absit cultus intentio aut periculum, id disceptari vident in Scholis. Ac licet Remonstr. in partem negantem maxime inclinent, tamen, ut id in Confessione sua deciderent caussam satis gravem se habere in animum suum inducere non potuerunt. Et sane, si præcise vetitum id credunt Censores, mirum quod non in domibus tantum suis, sed in Ecclesiis templisq; nonnullis (in quibusdam enim id nō fieri observare licet) imagines Dei ullas pictas adhuc tolerent: Praxis ista eorum docet, eos vel Catechismo suo quotidie adhuc opus habere, ut infantes, vel Catechismū suum susque deque habere, ut cibum quem adulti respuunt.

De juramento per Sanctos aut alias creaturas.

In Sectione V. *in qua de juramento agitur (quo consilio nescimus inquit) omittunt quæ in Catechismo habentur, de juramentis per Sanctos aut alias creaturas.* Nempe, Catechismi Palatini instar per omnia sequendum fuerat. Quasi vero nisi ex Catechismo Palatino istud hau-

lissent Remonstrantes, aliunde id habere non potuissent, aut quasi, quia de eo dubitabant, idcirco ejus mentionem nullam fecissent? Nimis hoc vernile est; Mirum verò meritò alicui hic videatur, cur hic disputationes Episcopii non consuluerint, quas archetypas hujus Confessionis penè ubique faciunt. In istis enim disertè hæc verba leguntur, quæ hic omissa esse dicit Censor: Disput. 17. Thes. 3. *Qui itaque per sanctos, per Euangelia, aliave similia jurant, gravissime peccare nobis videntur*; Sed hic studio cæcutiit Censor. Verum enimverò, tantum abest ut hoc loco Remonstrantes studio istud de juramentis per sanctos, aut alias creaturas omiserint, ut id tanquam vanissimum, & apud Reformatos jam exoletum neglexerint. Patet id ex eo, quod nullius nisi unius ac solius Dei reverentem mentionem in juramento, quod licitum sit, aut quod Deus probet, faciendam esse, apertè satis declaraverint. Et qui possent sanctorum aut aliarum creaturarum mentionem in juramento admittere cum ex una parte certum apertumque sit Servatorem Matth. 5. juramenta omnia, quæ *per cælum, terram*, aliasve creaturas meras fiunt, prohibere: ex altera verò parte, non minus certum sit sanctos mortuos testes vindicesque invocari non posse, eo ipso, quia mortui sunt, & non ignari tantum rerum istarum, quæ sub Sole geruntur, sed etiam viribus omnibus ad vindicandum perjurium destituti: Quare ut mentionem eorum facerent operæ pretium non putarunt. *Sed hic etiam videntur*, inquit, *noluisse in Magistrum suum Socinum ferre sententiam, cum non ignorarent, inter alia ejus dogmata, hoc haberi, sanctitatem & religionem, quæ in juramento fit, non necesse esse ut proficiscatur ab aliqua re sancta & religiosa, quæ in ipsa affirmatione, seu cum ipsa nominetur, sed satis esse ut talis affirmatio fuerit, qua quis multò magis, quam si simplex ea esset, profiteatur, se non mentiri, nominando in ea aliquid, cujus ipse merito summam rationem habere debeat*, &c. O cæce, dicam, an perverse Doctor! Socini sententiam aut non intelligis, aut manifestariam vim ei facis: Nam Socinus cum istud, quod citas, affirmat, non significat eo ipso, quod juramenta ista, *in quibus res aliqua nobis cara & nullo modo nobis spernenda aut vilipendenda, nominatur, etiamsi res sancta & religiosa non sit*, sint juramenta Christianis licita, aut quæ Deus approbat. Nihil minus! Contrarium à Socino significatur in terminis pag. 127. cum ait: *Apud Hebræos quidem, quod attinet (N B) ad id, quod Deus approbaret, neque usus erat, neque legitur quod alius aliudve nominaretur in jurejurando, præter ipsum Deum, aut aliquid, quod tantundem valeret*. Quid ergò, inquies, vult Socinus? Tantum significat, istam speciem

Mala Fides Censoris.

ſpeciem & modum jurandi, quo quis multò magis quam ſimpliciter affirmat, ſe non mentiri, nominando non rem ſanctam & religioſam, ſed aliquid, cujus ipſe merito ſummam rationem habere debeat, etiam ad juramentum in genere conſideratum, (Nam is ſcopus Socini eſt, ut ex pag. 126. liquet) quod religioſa affirmatio dicitur, referendum eſſe, ſi uſum & conſuetudinem, non licitam, aut à Deo approbatam; ſed receptam tantum inter varias gentes conſideremus, uti ex pagina 127. manifeſtè patet, cum ait; *Apud alias gentes jusjurandum tunc eſſe cenſebatur, cum numen aliquod nominabatur, & uſus etiam obtinuit, ut non numen aliquod, ſed quippiam aliud nominetur, ad quod Chriſtus reſpexit, cum vetat Iuramentum per caput noſtrum, quod cum ſit, tum certe nec numen ullum nominatur, neque id quod tantundem valere ullo modo dici queat.* Hac Socini aſſertione, quid verius certiuſque eſſe poteſt? Mirum ni hic expalleſcat calumnia, & exanguis fiat.

Sectio octava inquit Cenſor, *in eo tantum nobis ſuſpecta eſt, quod non dicant ſub parentum nomine comprehendi omnes qui tales ſunt, puta Dominos, heros, Magiſtratus, Tutores, Curatores, &c. ſed tantum poſſe ac ſolere comprehendi: Hoc enim ſatis non eſt ad ingenerandum erga tales perſonas, ex vi præcepti hujus, reverentiam.* Quis non miretur tam ſubtilem & Seraphicam cenſuram? Cum enim Remonſt. affirmant non *poſſe tantum, ſed ſolere etiam ſub voce parentum comprehendi, Dominos, heros, Tutores, Magiſtratus, &c.* non ſignificant eo, quaſi, id fieri poſſit ſi quis velit, & non poſſit ſi quis nolit; aut quaſi, id ab interpretibus tantum fieri ſoleat; ſed quod id jure aut recte fieri poſſit & in Sacris Scripturis atque à Sacris Scriptoribus fieri ſoleat: Atque his vocibus uti maluerunt Remonſtrantes quam phraſi iſta, qua Catechiſmus Palatinus utitur, *quod id Deus nobis præcepto iſto injungat.* Nam nullo invicto argumento evincet unquam Cenſor, Deum intentionem illam, cum præceptum iſtud daret, habuiſſe, aut ex vi præcepti iſtius, quoad intentionem divinam, iſtud neceſſario colligi. Neque enim unquam, cum de honore & reverentia Magiſtratibus, Dominis, aliiſque exhibenda in Scripturis agitur, præceptum iſtud divinum adduci legimus veluti fundamentum, cui hortatio ad reverentiam iis exhibendam innitatur. Sufficit autem ſi ratio recta & analogia juſta adferatur, quæ doceat præceptum iſtud ad iſtos tales etiam extendi poſſe: Si verò etiam addatur, id non rarò ita fieri ſolere, quid reſtat quod ad reverentiam erga perſonas iſtas ingenerandam facere poſſit?

Sub parentum nomine Remonſtrantes comprehenſos etiam voluiſſe Dominos, Heros, Magiſtratus, tutores, Curatores, &c. oſtenditur.

Non

Non satis etiam se explicant, inquit Censor, *in pœnarum, quas Magistratus sontibus irrogare possunt aut debent declaratione, præsertim in capitali pœna & sanguinis effusione.* Atqui tamen disertè affirmant *Magistratum posse ac debere subditos suos fideles defendere ac tueri, etiam gladio, adversus omnem injustam vim: At hoc non sufficit*, inquit Censor, *ad Socinianum dogma præcavendum.* Sanè inquam, si quis nuda voce *gladii* pugnare velit. Nam vox *gladii* quemlibet defensionis modum, etiam qui sine sanguine fit, significare potest, & solet aliquando in Sacris, sed non, si quis naturam rei velit pensiculatius observare. Nam defensio contra injustam vim, quæ sine potestate effundendi sanguinem est, non est defensio, sed defensionis larva terrendis pueris. Actum est de autoritate publica, de salute subditorum, ubi jus necis eripitur Magistratibus; Pauci scurræ evertendæ toti humanæ societati sufficerent. Atque hoc, etsi sic se habere credant Remonstrantes, maluerunt tamen generali voce *gladii*, quam suppliciorum capitalium, uti; quia, si qui adeò teneræ, aut sic à teneris imbutæ conscientiæ sint, ut credant Christiano nulli, ne quidem Magistratum gerenti, licere sanguinem effundere, aut capitalibus suppliciis insontes animadvertere, eos libenter tolerare parati sunt, dummodò secus sentientes non damnent ut intolerabiles, & manifestè appareat eos, nulla alia caussa adductos, ita sentire, quam quia ab animo suo contrarium impetrare non possunt, parati interim rationes vicissim dare & audire, sine caritatis ruptura aut fraternitatis renuntiatione. Quod interim sententiam talem Socinianam vocat Censor, id sanè perridiculum est: Nam certum est, complures multò ante natum Socinum fuisse, qui sententiam istam publicitus professi sunt, homines sane cæteroquin probos piosque, inter quos Waldenses & Albigenses, primos principesq; Reformatorum, adeoque ipsum etiam Lutherum fuisse in principio nonnulli adserunt; & incertum est an Socinus istam ipsam sententiã tenuerit. Sane si quis legat verba ejus quæ extant in Epistola Socini, quam ad *Martinum Berzevecium* per Transsylvaniam Cancellarium scripsit, caussam dubitandi non levem se habere comperiet. Exstat autem Epistola ista in libro Epistolarum F. Socini pag. 683. 684. &c. verba hæc sunt: *Non ante in hominum conspectum me dare constitui, exq; his quasi latebris, quas mea sponte jam dudum subii, prodire, quã certo sciam maximum Stephanum Regem, quem mihi, post Deum meumq; Principem ac Dominum Franciscum magnum Etruriæ ducem, summa perpetuaq; veneratione colendum delegi, pro incredibili bonitate sapientiaque sua, eam o-*

De capitali pœna & sanguinis effusione.

Vox gladii quo sensu à Remonstrantibus usurpata sit.

Dissentientes in hoc capite tolerandos putant Remonstrantes.

Sententia Socini de Magistratu desumta ex Epistola ejus ad Martinum Berzevicium Transsylvaniæ Cancellarium.

pinionem deposuisse, quam per malevolorum, aut certè errantium hominum calumniam de me, ut audio, suscepit, quod librum scripserim, qui ad Magistratus autoritatem convellendam ac labefactandam pertineat, quo nihil est, nec esse potest à veritate magis alienum. In eo siquidem libro (hunc enim isti sine dubio intelligunt) quo Iacobo Palæologo pro Racoviensibus respondetur, cujus me scriptorem fuisse nemini unquam negavi, nec de Magistratus autoritate revera agitur, sed de Christianorum hominum privatorum officio, & tamen ea dicuntur, quæ ad eam quam maximè confirmandam pertinere possunt. Nec sanè quemquam esse hodie existimo, qui Magistratui plus tribuat, quam vel ego tribuo, vel in eo libro à me tributum fuit. Id mihi compertissimum est me plus illi, ex Sacrarum Literarum (ni fallor) sensu, deferre, quam vel jure gentium aut civili, vel etiam communi Theologorum sententia deferendum sit. Sed parum refert quid hac de re sit. Quod de Clariss. viro M. Episcopio subjicit id vanissimum est. Tractatus ejus quem inscripsit, *An Christiano homini Magistratum gerere liceat*, in quo prolixè disputat Christiano Magistratum gerenti licere etiam capitalibus suppliciis uti, satis ipsum tuetur contra hanc criminationem, quam sola genuit suspicandi libido, & cavillatio nullo fundamento nixa fovit aluitque.

M. Episcopii Tractatus, *An Christiano homini liceat gerere Magistratum.*

IN CENSURAM CAPITIS XIII.

De directione & abnegatione nostri ipsorum, deque tolerantia crucis Christi.

IN hoc Capite 13. nihil in specie censetur, sed generatim tantum hoc unum, *Quod, cum Remonstrantes antecedenti Cap. explicarint omnes virtutes, quas ad Decalogum referendas judicant,* Censor nescire se dicat, *Quid sibi velint, quod hoc capite alia virtutum Christianarum genera proponant, quæ præter hæc (ut loquuntur) præcepta, Decalogo nimirum comprehensā requiri adserunt.* *Nisi fortè*, inquit, *ut cum Anabaptistis & Socinianis ostendant, se sentire legem Decalogi non esse perfectam vitæ Christianæ normam, sed Christum sub Euangelio perfectiorem vivendi regulā discipulis suis tradidisse.* At I. Censura hæc non tam in Remonstr. eorumq; Conf. quā in plerosq; Refor-

Ostenditur Censurā hanc non in Remō-

Reformatos, ac nominatim in Calvinum ipsum, directa videri debet. strantes tantū, sed in ipsum Calvinum quadrare.
Nam & hic in libris Institutionis suæ, postquam Decalogum & virtutes omnes Decalogo comprehensas explicaverat, prolixè nihilominus quinque integris capitibus lib. 3. à cap. 6. ad cap. usque 12. de vita hominis Christiani agit, ac speciatim de his ipsis Virtutibus, puta, *de abnegatione nostri*, *de crucis tolerantia*, *de futuræ vitæ meditatione*, *de usu bonorum vitæ hujus*, de quibus hoc capite etiam agunt Remonstrantes. In capite verò 7. ubi de abnegatione nostri agit, simili penè præfatione, qua hic Remonstrantes, utitur, cum ait, *Etsi optimam & aptissimè dispositam constituendæ vitæ methodum habet Lex Domini, visum tamen est cælesti magistro, accuratiore etiamnum ratione ad ipsam, quam in Lege præscripserat, regulam suos formare.* Eat nunc Censor, & Calvinum suum cum Anabaptistis, & Socinianis sentire dicat, Legem Decalogi non esse perfectam vitæ Christianæ normam, sed Christum sub Euangelio perfectiorem vivendi regulam discipulis suis tradidisse. Dices fortasse, Calvinum, cum ista tractat, agnoscere interim *Legem Dei habere optimam & aptissimè dispositam constituendæ vitæ methodum.* At nec istud in Confessione sua negant Remonstrantes. Et quis id neget, si ad præcepta legis referre velit, quicquid ad eam, sive per analogiam, sive per prolixam consequentiam referri aliquo modo potest? Deinde, cum hoc crediderit Calvinus, nihilominus tamen affirmat *cælestem magistrum accuratiore ratione suos formare ad regulam, quam in Lege præscripserat*, idque per horum, quæ hic tractantur à Remonstrantibus, præceptorum traditionem.

II. Censura hæc non inutilis tantum, sed admodum etiam est inepta. Ostenditur Censurā hanc inutilem simul atque ineptam esse.
Inutilis est, quia, quid ad rem facit, sive Christianus credat Legem Decalogi perfectam vitæ Christianæ normam continere, sive id neget, & contra credat, Christum sub Euangelio perfectiorem vivendi regulam discipulis suis tradidisse? Nam, sive hoc, sive istud credat, secundum istam regulam ipsi vivendum est, quam Christus tradidit, sive ea sit perfectior vivendi regula, quàm Lex tradit, sive non sit. *Inepta* etiam est, quia Lege Decalogi apertè tradi aliud quippiam, quam quod Deum & proximum spectat, manifestè falsum est: de nostri directione aut abnegatione, de crucis tolerantia, de bonorum ad vitam hanc usu, ne γρῦ quidem in eâ est, nisi quatenus directio nostri refertur ad observationem præceptorum quatuor, quæ ad Deum, & sex, quæ ad proximum pertinent. *Atqui*, inquit Censor, *Dilectio Dei super omnia in ea traditur ac jubetur: Qui autem Deum supra omnia diligere tenetur, etiam se ipsum, ut*

Deo obediat, virtute hujus dilectionis tenetur abnegare, & qui Deum ejusq; obedientiam supra omnia diligit, etiam ad non diligendum mundum ejusq; cupiditates satis obstringitur. Mira sanè & prolixa collectio. Sic quidlibet ex quolibet quis deduxerit, per consequentiarum infinitas & pro arbitrio concatenatas trochleas. Dilectio Dei, quæ Lege Decalogi jubetur, non est nisi observatio mandatorum istorum, quæ Lege ista expressa sunt, & Deum solum spectant. Ista itaque præcepta supra alia omnia ex animo præstare aut observare, est Deum supra alia omnia diligere. Id Deus ipse & Servator noster non obscurè indicant, cum dilectioni isti, qua Deus diligi jubetur ex toto corde, tota anima, &c. conjungunt dilectionem proximi, quem nos diligere jubent ut nos ipsos, proinde infra Deum. Quare si quis ex eo, quod Lex Deum diligere jubet supra omnia, per Logicam & Scholarem quandam ratiocinationem colligere velit, ergo Lex etiam, ex vi istius præceptionis, jubet ut mundum ejusque cupiditates non diligamus, ut crucem toleremus; is profectò ineptissimè fecerit. Nam præceptionis istius vis & summa continetur præceptis istis, quæ Deum solum spectant. Alioquin enim cur adderetur, *& diliges proximum tuum, sicut te ipsum?* Nam & hoc ex vi ejusdem præceptionis concludi posset. Unde efficitur, sub ista præceptione, qua Deus diligi jubetur supra omnia in Lege Decalogi, non necessario contineri præcepta, quæ vel nos, vel proximum nostrum spectant. Proinde videndum esse quid præcepta ista, quæ Deum spectant, in se contineant, & quousque per evidentem consequentiam extendi possint, alioquin in infinitum ibitur, & nuspiam consistetur. *Quid ergo?* inquit Censor, *Lex nobis non vetuerit, mundum diligere & cupiditates ejus? non prohibuerit nobis avaritiam, immunditiem & carnis concupiscentiam? non præscripserit nobis crucis tolerantiam? Qui ita censet, nescio utrum inter Christianos sit habendus.* Promta spongia est. Quasi verò res Græciæ in eo sitæ sint, si Christianus id neget, & interim à Christo severissimè vetita esse credat, ea omnia quæ Lege vetari dicuntur. An propter istam opinionem ex albo Christianorum expungendus statim est? Tum, quid si quis id credat, & simul credat vitia ista aliis, quamquam quæ Decalogo continentur, præceptis vetita olim fuisse? An hoc tantum crimen foret, & non nisi lustralibus aquis piandum? ô promptos excommunicatores! Remonstrantes quod attinet, ii nihil dubitant, quin vitia illa omnia, quæ ferè cum læsione proximi aliqua sunt conjuncta, qualia sunt avaritia, ambitio, concupiscentia carnis, Lege vetita censeri debeant: Ea autem,

Sub præcepto diligendi Deũ supra omnia non necessario continetur, præceptum de directione nostri ipsorum quæ hoc capite describitur.

Redarguitur Censoris inclementia & confidentia in damnando.

quæ ſine ulla proximi læſione aut mandatorum iſtorum, quæ Deum ſpectant, tranſgreſſione eſſe poſſunt in nobis, qualia fere ſunt ea, quæ noſtri amorem & crucis declinationem ſpectant, Lege Decalogi, qua dilectio Dei & proximi ſummatim continetur, vetita non eſſe: Eadem tamen aliis legibus, quæ ſub V. fœdere viguerunt, vetita eſſe nihil prohibet. Sed id hic jam non agunt Remonſtr. Hoc tantum aſſerunt, perperam colligi à Cenſore, idcirco cenſendum eſſe, quod Lex vetuerit iſta omnia, quia Deum diligi jubet ſupra omnia. Qui ſic colligit, neſcio utrum inter ſanos ſit habendus. Cætera jam ante ſæpius ſunt ventilata. Actum non agemus. Interim hoc notandum ſedulo hic venit, quod Cenſor admodum ſolicite, tum hic, tum alibi ſæpius, id cautum velit, ne Chriſtus Dominus noſter credatur Legiſlator, aut Euangelium ejus credatur Lex eſſe, quæ opera ulla ſancta, inſtar Legis alicujus, præſcribat ac jubeat. Quid ſibi velit, haud difficile eſt conjicere, quamquam ſententiam ſuam adeo ſolicite tegit, ut vix appareat, quo tendat. Nempe, Euangelium non vult, ex intentione divina ultima, Legis inſtar, quicquam præſcribere, ſed tantum indicare ac promittere, quid Deus velit efficere in iis, qui nominatim electi ſunt ad vitam æternam, & quid in cæteris efficere nolit. Præcepta itaque omnia, quæ in Euangelio extant, per modum præceptorum quidem tradita eſſe, ſed tamen præcepta proprie dicta non eſſe reſpectu eorum, qui electi ſunt, ſed mera promiſſa. Fidem enim, quæ Euangelii præceptum primarium eſt, promitti potius, quam præcipi. Cætera vero opera in fidelibus per Spiritum Dei ſic effici, ut nec plus nec minus operari poſſint, quam Deus in ipſis efficit, & quidem ea vi, cui reſiſti ab iis non poteſt. Huc redit hæc ſolicita Cenſoris cautio, quam non diſſimulant alii, cum diſerte ajunt, *Nullum præceptum Euangelio proprie tradi, Legis eſſe præcipere, Sola promiſſa ad Euangelium, qua tale, pertinere.* Quæ ſententia, uti ex abſolutæ Prædeſtinationis maligna opinione ortum habet, & neceſſario conſequitur, ita valde periculoſa eſt & noxia. Vix credo periculoſiorem aliquam concipi poſſe. Quid enim eſt univerſam vim præceptionum Euangelicarum ſimul ac ſemel everſum ire, & præcepta in promiſſa, totumque adeo hominis officium, in puras putas Dei actiones transformare, ſi hoc non eſt? Quis ſenſus erit enunciationum iſtarum, *Si credideris, dabo tibi vitam æternam: Si remiſeritis alii aliis offenſas, remittet quoque vobis Pater veſter omnia peccata veſtra*, ſi fides, ſi caritas inter illas actiones referuntur, quas Deus promittit & quas ipſe ſolus in nobis ſine nobis efficit? Ridi-

Peſtilens doctrina Cenſorum, quam ubique in hac Cenſura inculcatam voluerunt.

Christum novæ Legislatorem esse & jure sic vocari ostenditur.

cula sane hæc Theologia est, & quæ non potest sapere, nisi quibus mens læva est. Quid vero etiam est, quod clarius, disertiusque in Euangelio traditur, quam Christum Legislatorem nostrum esse? An non ipse passim dicit; *Hoc est mandatum meum : Mandatum novum do vobis : Vos discipuli mei eritis, si feceritis quæcunque ego mandavi vobis : Audistis dictum fuisse Veteribus: Ego vero dico vobis?* An non ipse mandata sua sancit promissionibus præmiorum & pœnarum comminationibus? Et quid aliud quæso est Legislatorem esse? Adde : An non judicium peragendum dicitur *secundum ejus Euangelium?* an non ipse judex erit & judicem se futurum affirmat eorum, qui vel Euangelio obediverunt, vel ei obedire detrectaverunt? Certe hoc plus est quam Legislatorem esse. Quod si quis velit huc adducere omnia ea loca, quibus Dominus Iesus cum Euangelio suo confertur Mosi, imo ei longe præfertur in legislationis dignitate, ut Act.7.Hebr.2.1.2.3.& 3.c.v.5.6. aliaque similia plura, is facile intelliget, nihil insulsius unquam excogitari posse, quam quod Censor adeo solicite negandum putat, Christum, videlicet, N. Fœderis, seu Novæ Legislatorem esse. Sed ex Prædestinatione fatali, veluti ex Lerna quadam, omnia hæc perversa placita oriuntur, atque oriri necesse est : ubique indicia non obscura videre est, unde patet ex isto fonte Censuras plerasque & acerrimas imprimis manare.

IN CENSURAM CAPITIS XIV.

De Precatione & Gratiarum actione, & speciatim de oratione Dominica.

QUæ hoc Capite censentur, ea pauca sunt, & quæ maximam partem dependent à quæstione de Prædestinatione, quæ per totam hanc Censuram pene utramque paginam facit. Nos ea libabimus. Non enim tam censet Censor, quam quærit, ut habeat quod censere possit. *Necesse est*, inquit, *ut Remonstrantes in iis se clarius explicent, si pro orthodoxis haberi velint.* Audiamus ergo quæsitorem. *Quærimus*, inquit, *quid sibi velint, cum dicunt, ideo precationem fidelibus esse necessariam, quia ipsa hominum fidelium vita, & præsertim ipsa fidei obedientia, &c. non paucis necessitatibus obnoxia est; cur fidem ipsam*

ſam omittunt, & ſolam fidei obedientiam his neceſſitatibus & aſſultibus expoſitam referunt? Bone Deus, quam imperite! Fidei obedientia hic non modo non ſignificat obedientiam, quatenus à fide diſtincta eſt, ſed præcipue ipſam fidem, quæ obedientia fidei dicitur, quia præſtatur Legi fidei, Rom. 3. 27, & obedientiam, quatenus ex fide fit & ſine fide fieri non poteſt: quod ex ipſis verbis Remonſtrantium colligere Cenſor debuerat, ac potuerat. Nam univerſam hominum fidelium vitam & *præſertim ipſam fidei obedientiam*, dicunt expoſitam & obnoxiam eſſe variis periculis, tentationibus & aſſultibus. Mirum autem cur id non aliunde etiam collegerit. Nam Remonſtrantibus antea attribuit, quod ſolam fidem liberam faciant, obedientiam autem plane neceſſariam. Hoc ſi ita eſt, an ergo obedientiam periculis expoſitam eſſe & aſſultibus obnoxiam dixiſſent, non autem fidem? Contra dicere debuiſſent. Et ita eſt. Fides ipſa præcipue & ante omnia impetitur à Satana. Iſta arce ſalva, omnia conſtant. Fide quaſſata, cætera facile nutant ac vacillant: Fidei vis magna eſt, nec tam facile eſt credere, ut quidam ſomniant. Magno conamine opus eſt, ut Deo & Chriſto firma fide adhæreas, ut credas quod non vides, imo ut videre nolis, ſed credere: Levi momento impellitur animus, in hoc carnis paradiſo, & ſenſuum diverſorio. Hinc vigili cura & aſſidua precatione opus eſt, ut in credendo perſeveret. Atque hæc Remonſtrantium mens etiam eſt in ſecundo membro, cum dicunt; *ſe unius Dei auxilio & gratuito beneficio præſtare poſſe, imo reipſa præſtare, quæcunque ad obtinendum felicitatem, factu aut præſtitu ſunt neceſſaria.* Inter ea enim, quæ factu aut præſtitu neceſſaria ſunt, fides principē locum tenet. Hæc enim primo & ante alia omnia, nedum minus quam alia omnia, mandatur nobis. Quod autem nobis mandatur, id præſtare ac facere noſtrum eſt. Hinc fides dicitur *opus Dei*, Joan. 6. 29. & credere, *operari opera Dei*, ibid. *Operari non cibum qui perit, ſed qui permanet*, verſ. 27.

Redarguitur Cenſoris inadvertentia, quod Fidei obedientiam contradiſtinctè ab ipſa Fide in declaratione poſitam crediderit.

Fides præcipue variis Satanæ aſſultibus expoſita eſt.

Sed quomodo, quæſo, inquit, *Remonſtrantes hic adſerunt, ſe per implorationem divini auxilii agnoſcere, quod Deo tanquam ſummo & primo authori univerſam felicitatem ſuam debeant, qui eam magna ex parte libero ſuo arbitrio deberi volunt*, &c.? Quaſi vero libero ſuo arbitrio quicquam deberi, nedum maximam partem deberi poſſit credere, qui Deo, ut ſummo & primo authori, univerſa quæ habet, accepta referre debet. Id ſane tantundem eſt, atque ſi quis de mendico omnium rerum egeno dicat, eum Regi ac Principi, à quo ditatus & locupletatus eſt, non debere univerſam felicitatem iſtam ſuam, ſed magna

Liberum arbitrium non impedit, quo minus Deus, primus & ſolus author ſit, univerſæ noſtræ fœlicitatis.

magna ex parte sibi ipsi, quia libero arbitrio divitias illas è manu Regis accepit, cum eas potuisset adspernari ac respuere. Apagesis tam manifestas ineptias, quæ idcirco in hac materia videri debent majores, quia Deus felicitatis omnis, quæ in homine est, autor, ipsi homini seriò & cum promissione ac comminatione præcipit, ut felicitate ista se non præstet indignum, & quæ offeruntur dona non respuat. Deinde, cum hic de imploratione divini auxilii agitur, non agitur utique de imploratione primi istius auxilii, quo fides primum in homine efficitur, sed de imploratione auxilii, quo is, qui jam credit, opus habet, in periculis imprimis & gravibus tentationibus. Quare, quæ de sententia Remonstrantium, quod attinet primam fidei ingenerationem, hic prolixè differuntur, ea sunt extra oleas, & suis locis examinabuntur. Id tantum hic libet annotare, Nihil inanius adferri posse ad probandum, quod homo Deo, ut summo & primo authori, universam felicitatem suam non debeat, si libero arbitrio dona Dei dicatur recipere aut respuere, *quia alioquin se ipsum discriminaret*; quod tamen argumentum penè Herculeum creditur, & ubique in Scriptis Calvinianorum proram penè & puppim facit. Nam quid in eo positum est, quod homo dicatur *discriminare* se ipsum? Nihil verius. Qui Deo præcipienti fidem habet, is discriminat se ab eo, qui Deo præcipienti fidem habere non vult, & contra. Fieri aliter non potest. Et Deus ipse id indicat, cum *laudem & gloriam* istis tribuit, his verò *ignominiam & infamiam æternam* vult inurere: cum istos *gloriationem in seipsis habere* asserit, hos verò *se indignos judicare vita æterna, & consilium Dei contra se aspernari*. Discriminatio tamen hæc non est causa, nedum adæquata fœlicitatis causa nisi ex hypothesi. I. Divinæ gratiosæ voluntatis, qua decrevit ut peccatores seipsos ita discriminantes à peccatis ad sanctimoniam, felicitatis participes fiant. II. Ex Hypothesi divinæ operationis, tum prævenientis, tum adjuvantis, citra quam discriminare seipsum peccator nullo modo posset. Quæ duo sufficiunt ad hoc, ut homo discriminationem istam suam Deo, ut summo & primo, etsi non unico & solitario authori, acceptam ferre debeat. Locus, qui ex 1. Cor. 4. 7. contra hanc sententiam adferri solet, *Quis enim te discernit?* alienissimus est ab eo, de quo hic agitur: In eo enim de gratiis gratis datis, ut loquuntur, agi, clarius est quam ut probari oporteat. Non enim comparat ibi Apostolus fideles cum infidelibus, sed fideles inter se, quia unus adversus alium inflabatur, ut potioribus donis instructus, sive intelligentiæ Scripturarũ, sive Prophetiæ, sive linguarum

Refellitur objectio à Censore mota, quod homo discriminaret seipsum, si libero arbitrio dona Dei acciperet aut respueret.

Ostenditur locum ex 1. Cor. 4. 7. perperam solere allegari à variis.

guarum, sive discretionis Spirituum, &c. sive quod unus esset melioris Apostoli & Magistri discipulus, quam alius, &c. Et ratio manifesta est, quia Apostolus hic non permittit homini gloriationem, cum alibi disertè eam permittat, ubi de discretione, quæ per bona opera fit, agitur: Gal. 6.4. Deinde, posito etiam in loco isto agi de gratiis gratum facientibus, sive de discretione inter credentem & non credentem, nihil aliud inde sequeretur, quam credentem, cum credit & libero quidem arbitrio suo, cum potuisset velle non credere, non propterea tamen seipsum discernere à non credente, ita ut gloriari contra non credentem jure possit, eo quod non propriis suis viribus, nec proprio suo instinctu credit, sed indebito prorsus favore & gratia divina præventus, quod etiam libenter agnoscunt Remonstrantes. Sed non hærebo in hujus loci examine, quia eum Censor hic non citavit, quod facere sanè, aut saltem alium locum adducere debuisset, ut consequentiæ suæ vim adstrueret.

Falsum etiam est, inquit, *quod dicunt se unius Dei auxilio non modo posse præstare* (hoc transeat) *sed etiam reipsa præstare, quæcunque ad felicitatem præstitu sunt necessaria; nam nullam actionem gratiæ in voluntate agnoscunt, quæ ipsam ad bonum spirituale præstandum determinet.* Quasi verò auxilium Dei, quo fit ut regeniti reipsa præstent bonum spirituale, dari non possit, nisi sit determinans. Tantum abest, ut id verum sit, ut ne quidem auxilium sit, quod vi sua determinat voluntatem. Auxilium determinans voluntatem, oppositum dicit in opposito. Determinatio voluntatis, est libertatis ejus destructio. Auxilium morale, verum est auxilium & quod solum voluntati liberæ, ut auxilium, dari potest. Quare, qui præter potentiam credendi, auxilium insuper morale (quocunque demum modo id Deo subministrare libeat) accipit à Deo, eoque auxilio motus præstat, quod Deus præcipit, is cur non possit, imò cur non debeat Deo acceptum ferre totum id, quod actu præstat & præstando consequitur? Hujusmodi auxilium fideles à Deo petere & fidelibus à Deo ordinariè dari dicunt Remonstrantes. Quare, cum Remonstrantibus Censor tribuit, quod auxilium divinum, quod à Deo precantur, nihil aliud sit, quam potentia & propensio libera ad benè agendum, nescit sanè quid dicat. Potentia enim benè agendi in precantibus jam supponitur, imò ipsa precatio actio bona est, & quæ ex fide fit. Auxilium itaque quod petitur, non est potentia benè agendi libera, imò ne quidem actus ipse fidei, sed omne id, quod ad animandum, stimulandum & roborandum voluntatem ejus, qui jā credit, facere

Quæcunque ad fœlicitatem præstitu sunt necessaria, ex divino auxilio accepta referenda esse docent Remonst.

Auxilium divinum quod à Deo Fideles petunt, non est, nedum tantum est, potentia & propensio libera ad agendum.

poteſt, ut cauſas habeat graviſſimas, cur in actu fidei, quo jam imbuta eſt, perſeverare velit, contra omnia blandimenta & deliniamenta mundi ac carnis. An Deus aliquando non ſubminiſtret piis, in magna tentatione poſitis & obnixè precationi inſtantibus, auxilium majus aliquod, & (voce auxilii impropriè ſumtâ) determinans voluntatem eorum, nec aſſerere nec negare audent Remonſtrantes. Ordinariè quidem id fieri negant: Extraordinaria ſecreta ſunt Deo noſtro. At hic quærit Cenſor, *quum rogamus ſanctificetur nomẽ tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, &c. an non rogamus ut Deus voluntatem noſtram ad hæc ipſa promovenda aut præſtanda determinet, quæ ſub his precationibus continentur?* At hoc non eſt diſputare, ſed quærere. Probandum hoc erat. Tum mirum meritò alicui videatur, quomodo id quærere audeat Cenſor. Nam contrarium non obſcurè ratio ipſi ſua dictare debebat. Etenim, ſi cum oratur Deus iſta ratione, tum orari eum credit pro auxilio determinante, ſtatuendum ei neceſſariò eſt, Chriſtum Dominum juſſiſſe fidelibus omnibus orare Patrem, ut voluntatem non modò noſtram, ſed omnium omninò hominum determinet ad ſanctificandum nomen ejus & ad faciendum voluntatem ejus, *non minus promtè & alacriter, quam Angeli eam faciunt in cælo.* Verba ſunt Catecheſeos Quæſt. 124. ſive Dominica 49. *Da ut nos, & omnes homines, &c.* Hoc autem Chriſtum juſſiſſe, quomodo credere poteſt Cenſor, cum credat Chriſtum optimè ſciviſſe conſilium Dei, quale ipſe cum ſuis ſtatuit, de reprobanda maxima generis humani parte ab omni gloriæ & gratiæ ſalutaris ſpe? Deinde, quomodo credere poteſt fideles, quos idem illud de reprobatione credere & pro vero habere ſtatuit, Deum ſeriò rogare debere, imò quotidie rogare ut iſto auxilio determinante dignari velit omnes homines? Sciunt Deum hoc nolle facere, ac proinde ſe nunquam exauditum iri, cum ſic orant. Profectò, nec Dei ſapientiam decet præcipere, nec fideles decet concipere tam inſulſam orationem. Simili incommodo laborat exemplum Davidis, quod adfert Cenſor, cum David orat Pſal. 119. 36. *Flecte animum meum ad ſtatuta tua.* Nam ſi dicat Cenſor, Davidem iſta oratione petiiſſe à Deo auxilium, ut vocat, determinans, tum neceſſe eſt, ut dicat, eundem Davidem petiiſſe eadem illa oratione, ne Deus determinaret voluntatem ejus ad malum, puta, ad avaritiam. Sic enim habet integer textus, quem callidè Cenſor truncatum attulit, *Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad avaritiam.* Hoc ſi nolit Cenſor Davidem potiiſſe, ne Deum faciat autorẽ peccati eodem modo, quo author eſt boni, penè cogitur

Cum fideles precantur, Sanctificetur nomen tuum, non orant pro auxilio determinante.

Perperam allegatum eſſe locum ex Pſal. 119. 36. à Cenſore oſtenditur.

gitur fateri hanc Davidis orationem contrario ſenſu interpretandam eſſe. Eadem eſt ratio loci ex 1.Reg.8.57. deſumti. Nam in eo non tam continetur precatio, quam votum, quod Salomon poſt abſolutam precationem facit pro populo: aut, ſi precationem eo contineri velimus, non tamen dicitur id, quod Cenſor Salomonem dicentem facit. Non enim dicitur in textu, *Sit Iehova Deus noſter nobiſcum, &c. inclinando animum noſtrum ad ſe*, prout verba citat Cenſor, ſed *ad faciendum inclinare animum noſtrum*, quod ſignificare poteſt finem non effectum divinæ beneficentiæ, uti Vatablus, Pagninus, aliique textum hunc exponunt. Imo etiamſi in textu legeretur, uti verba textus citat Cenſor, nihil tamen inde pro ſententia ſua efficeret, quia inclinationis modus, de quo hic proprie agitur, non exponitur à Rege Salomone. Non enim ſtatim determinando voluntatem inclinat, quiſquis voluntatem inclinat. Imo modus iſte determinandi voluntatem, non obſcure redarguitur à Salomone ipſo in præcedente, quam pro populo fecit, oratione, cum dicit verſ.46.47.&c. *Si peccaverint tibi, & iratus fueris contra eos, tradideriſque eos coram inimicis, iique captivos duxerint eos in terram inimici longinquam vel propinquã: &, Et reverſi fuerint ad cor ſuum in terra, in quam captivi ducti fuerint, &c.* Nam eo ſignificat fieri poſſe, ut populus averſus à Deo & captivus ductus ob peccata ſua, captivitatis tædio ac dolore inclinetur à Deo ad reſipiſcentiam. Quod ſi vero etiam addatur verſ.39. apparebit Salomonem indicare, fieri poſſe, ut illa ipſa re, ſive occaſione, qua movetur hic ad reſipiſcendum, ſive qua hujus cor inclinatur ad timendum Deum, alius non moveatur, atque ita Deus moveatur ad *dandum unicuique ſecundum vias ſuas*. Quod non obſcurum indicium eſt, modum inclinationis, de quo Salomon agit, non eſſe determinationem voluntatis, qualem Cenſor hic urget. Senſus autem horum verborum Salomonis per ſe clarus eſt hic; Deus benefaciat populo huic, ſicut benefecit Patribus noſtris, ut ab iſtis beneficiis cauſſam habeat, cur Deo ſuo indivulſe adhærere & præcepta ac ſtatuta ejus perpetuo ob oculus habere & cuſtodire ultro ac libenter velit. Beneficiis enim adjunguntur animi, & corda inclinantur ad ſpontaneum obſequium. *At nemo fidelium*, inquit Cenſor, *hac mente unquam vota apud Deum concepit*. Audax aſſertio, & quæ Cenſoribus his perquam familiaris eſt. Fideles omnes ex ſuo ingenio atque animo æſtimant. Alioquin unde id Cenſoribus conſtat, quod nemo fidelium unquam hac mente vota apud Deum concepit? De ſua mente certi eſſe poſſunt; at de mente Fidelis ullius, nedum

Idem oſtenditur in citatione loci 1.Reg. 8.57.

Fidelium omnium, ut certi aliquid statuant, impossibile est. Quare, temeritas hæc videri debet castigatione potius digna, quam refutatione. Alterutrum ex ea sequitur, aut falsum esse quod hic dicit Censor, aut eos omnes, quotquot vota concipiunt ista mente, fideles non esse, adeoque, uti statim subjicit, sacrilegos. Atque hic temeritatis hujus apex & terminus est.

In secunda sectione censetur, *quod Remonstrantes præter conditionem hanc*, ut preces fiant secundum Dei voluntatem, *etiam volunt ut accedat* debita precantium dispositio, *ac si nimirum debita precantium dispositio sub precatione secundum Dei voluntatem non comprehendatur*. Perperam. Ad locum 1. Ioh. 5. respicitur in confessione. Aliud autem ibi est, *secundum voluntatem Dei precari*, aliud recte dispositum esse eum, qui precatur. Ratio manifesta est. Nam Iohannes de iis, qui jam credunt & recte dispositi sunt, cum precantur, affirmat, quod impetraturi sint omne id, quod à Deo secundum voluntatem ejus petunt: quasi dicat, præter istam debitam dispositionem necesse est ut accedat hoc etiam, ut, quod petitur, sit secundum Voluntatem Dei. Et sane, ut quis certo exaudiatur, non est satis, ut, cum orat, debite in orando dispositus sit, sed requiritur insuper, ut voluntas Dei non obstet, quominus exaudiatur, sive ut id, quod petit, non repugnet Dei Voluntati, id est, non sit tale quid, quod Deus, vel jam ante cõstituit aut decrevit non dare, vel quod consultum non judicat tum dare, cum petitur, propter causas, quas ipse solus novit, aut quæ precantibus ignotæ sunt. Sic precari quis potest scientiam rerum quarundam spiritualium pro se, aut pro aliis, & tamen, etiamsi rectissime sit dispositus, non exaudiri à Deo, quia Deo visum non est, vel quia Deus non vult eam dare, sive quia peccata quorundam visitare decrevit, sive quia precantes ipsos probare & explorare vult, sive aliis de causis. Si quis tamen velit sub precatione quæ secundum Dei Voluntatem est debitam precantis dispositionem comprehendi posse, is fruatur judicio suo. Remonstrantes aliter censent, & natura rei, ut id non fiat, omnino postulat.

Quomodo distinguantur Secundum voluntatem Dei precari, & recte dispositum esse ad precandum vel in precando.

Sed majus est, inquit Censor, *quod dispositiones suas ex libero arbitrio profectas respiciunt, & cum Pharisæo Luc. 16.9. propriam justitiam, non solius Christi per fidem apprehensi, hic coram Deo adferendam sentiant.* Hæc acris, sed inanis est calumnia, quæ se ipsam redarguit. Eo ipso enim, quod dispositiones in precante necessarias esse statuit Censor, & inter illas ipsas dispositiones fidem etiam requirit, qua Christus apprehenditur, quæ sine dubio actio hominis est, quæ ab homine,

libera voluntate, Deo mandanti & præcipienti præstatur, amplius aliquid quam justitiam Christi coram Deo adferendam esse à precantibus, concedat, necesse est. Et cum fiduciam firmam, de gratia Dei per Christum parta, inter dispositiones ipsas quoq; referant Remonstrantes, quid est cur Censor ab iis negari dicit justitiam solius Christi per fidem apprehensi coram Deo adferendam esse? *At hoc ambiguum est*, inquit Censor, *quum gratia Dei per Christum parta à Socino intelligatur de potestate sola, quam Christus accepit, ut ipsum debitè invocantes eique obedientes exaudiat*. Quid hoc ad Remonstrantes? Ne mica quidem hujus opinionis in tota confessione est, imò ex cap. de Persona & Officio Christi manifestum est, Remonstrantes de gratia Dei per Christum parta, longè aliter quam Socinum sentire ac loqui. Sed hoc non est, quod Censorem malè habet. Aliud est. Gratiam Dei per Christum partam non volunt Remonstrantes pertinere ad paucos quosdam, nominatim & absolutè ad vitam æternam electos, exclusis cæteris aliis omnibus; sed ad omnes indiscriminatim: Hoc eum malè habet, & tamen ex eo ipso constat, quanto rectius saniusque de merito Christi Remonstrantes sentiant, quam hic Censor cum suis Calvinistis. Quod autem *meritum Christi fide apprehensum, sive fiduciam illam, qua justitia ac meritum Christi apprehenditur, idcirco in precantibus prærequirit, quia personæ nostræ per fidem in Christum Deo placere debent*, priusquam eum rectè possimus invocare, id uti non negant Remonstrantes, ita non vident quomodo consentaneè à Censore dici possit. Nam personas à Deo electas Deo placere antequam Christus gratiam iis meruerit, pro certissimo habet. Christum etiam satisfecisse & satisfactionem Christi à Patre acceptatam esse loco earum, priusquam crederent, adeoque credere possent, firma fide statuit. Quid itaque est fides illa, per quam personas istas Deo placere credit? & quid facit fides illa in personis istis, ut Deo placeant, quæ jam primò per electionis beneficium in summo gradu placent Deo, & deinde per meritum Christi in gratiam cum Deo reductæ esse creduntur? Si consequenter loqui velit, certè fides illa non facit ut personæ tales Deo placeant, sed ad summum, ut personæ istæ se Deo placere intelligant ac sentiant. Quomodo verò hæc fides, imprimis cum eam Censor à Deo solo in homine sine homine effici velit, ita ut, cum fides in nobis efficitur, patiamur potius, quam agamus propriè, uti pag. 285. disertè dicitur, inter conditiones, quas Deus ab homine requirit, ut ab eo rectè invocetur, referri possit, sano cuilibet considerandum relinquimus. Non

A precantibus amplius aliquid quam justitia Christi coram Deo adferenda est.

Consentaneè suis principiis non loquitur Censor, cum dicit meritum Christi, fide apprehensum idcirco in precantibus requiri, quia personæ nostræ per fidem in Christum Deo placere debent, priusquà eum rectè possimus invocare.

monstrosa tantum, sed & fatua pene hujusmodi placita videri debent. Et hæc omnia soboles sunt impuræ istius Calvinianæ Prædestinationis, quam Censores hi ubique velis remisque propugnant.

Sectione quarta verba Orationis Dominicæ, *Qui es in cælis*, exposuerunt Remonstrantes per hæc, *Qui in ipsis dumtaxat altissimis cælis gloriose habitat. His verbis*, inquit Censor, *palliatur procul dubio hæresis Vorstiana, &c.* Itane? & quidem procul dubio? ô impudentiam! Christum ipsum, si auderet, procul omni dubio ejusdem hæreseos, ut vocat, Vorstianæ insimularet Censor, quod dixerit, *Pater noster qui es in cælis*. An ergo hæresis est dicere Deum gloriose in cælis dumtaxat altissimis habitare? Hæretici ergo sunt quotquot unquam fuerunt Theologi, verumque erit, Deum non habitare tantum, sed gloriose etiam habitare, non modo in cælis altissimis, sed etiam in inferno, idolis, diabolis & cloacis. Cælum itaque tandem in inferno erit, & infernus in cælo. *At vox gloriose hic inserta est*, inquit, *ut velum aliquod obducatur blasphemiæ, qua negatur Deum extra cælum sua essentia ubique præsentem esse*. Profecto gnaviter impudentem esse oportet eum, qui semel pudoris limitem transiliit. Veritas itaque manifesta, velum erit non erroris tantum, sed & blasphemiæ. Si micam aliquam pudoris habuisset Censor, contrarium potius conclusisset, idcirco verbo *habitandi* & voce *gloriose* usos fuisse Remonstrantes, ne occasionem cuiquam darent suspicandi, quasi errori aut blasphemiæ isti, ut vocat, adsentirentur, & ut verba Christi, quæ sine dubio sensum istum, quem adsignat Confessio, habent, ex mente omnium, quotquot sunt, interpretum, clare exponerent. Hoc sane æquissimum fuerat. Sed æquum an iniquum aliquid sit, susque deque habet Censor, dummodo Remonstrantes suspicionis alicujus stigmate inurat.

Defenduntur verba Declarationis, quibus asseritur, Deum in ipsis dumtaxat altissimis cælis gloriose habitare.

Simile est quod subjicit Censor, *quod videlicet Remonstrantes paragrapho sexto ad explicationem primæ petitionis, Sanctificetur nomen tuum, vocem* Tuum, *ad personam solam Patris restringant*. Quomodo enim aliter potuissent, nisi precationis Dominicæ verba violenter detorquere, & ad hypothesin suam inflectere voluissent? Filius ipse Dei ad Patrem suum & nostrum dirigere nos jubet orationem nostram: Idem faciunt Remonstrantes: An vox Patris essentialiter hic accipiatur, an personaliter, non inquirunt: Quæstionem illam inter difficiles & nimis abstrusas disquisitiones ponunt, quæ audacius à multis deciduntur, quam aut tuto asseruntur aut solide probantur. Ad simplicitatem redeundum est, aut in difficilibus consenescendum,

In precatione Sanctificetur nomen tuum, an vox Tuum, ad personam Patris solam restringatur.

nescendum. Nunquam finis erit, nec modestia contentionis. Et tua illa, Censor, non dico Cõfessio, quæ hujus rei ne γρῦ quidem habet, sed quam toties crepas, Catechesis, ostende ubi, quibus verbis istam vocem *Patris* ad Filium & Spiritum S. extendat.

Paragrapho septimo inquit, *Adventum regni Dei exponunt de vera ac plena Christianæ Religionis notitia, &c. omissa Spiritus S. in hoc toto negotio, operatione, quam Catechesis nostra ex Dei verbo ei adjungit, &c.* Quasi vero necesse sit semper Spiritus S. mentionem facere, cum de Christianæ Religionis plena ac vera notitia agitur, aut dubitare quisquam possit, an cum Spiritus S. mentio non fit, operatio Spiritus S. ad notitiam istam consequendam necessaria non esse credatur. Nemo tam parum versatus est in religione Christi, qui de ea re dubitet, nedum qui eam neget. De modo operationis Spiritus S. inter eos controvertitur quidem, at de operatione ejus consensus universalis est. Remonstrantes quod attinet, ii diserte vocationem effici & perfici dicunt *per prædicationem Euangelii, & ei adjunctam virtutem Spiritus S.* cap. 17. parag. 2. Sed apparet Censorem hunc rudem esse rerum nostrarum, & Catecheticæ sive infantilis suæ doctrinæ retinentissimum Doctorem. In iis, quæ censet, bonus vir, Catechesis Palatina Lydius lapis est, ad quem probat sectiones & paragraphos pene omnes. Nempe Catechesis Palatina Doctori Academico Apellis pictura est: ex omni parte absoluta & perfecta est: Pueri, qui eam tenent, Theologi sunt, quibus nihil deest. Quare, aut cum ea loquendum fuerat Remonstrantibus, aut silendum. Id risu ubique dignum est. Inepta Censura.

Quæ paragrapho decimo, inquit, *annotant Remonstrantes ad precationem quintam, Remitte nobis debita nostra, ea à Catechesi quoque nostra* (en jecur Censoris) *non parum recedunt.* Mire non tantum amat, sed deperit Catechesin suam Censor hic, quam puer forte didicit. Fruatur pupa sua, an pupula dicam, per nos id quidem ei licet. *Sed & non possunt non esse suspecta pio Lectori,* inquit. Cur? *Nam cum Catechesis sanguinem Christi, propter quem peccata non imputentur, exprimat, illi gratiose in Christo ea condonari volunt.* Eheu! an non crimen læsæ Majestatis est istud Catecheticum omisisse? Pudet dicam, an pœnitet? An itaque falsum est quod dicunt Remonstrantes? imò, an non eundem sensum, non dico, habere possunt, sed reipsa habent etiam hæc verba Remonstrantium? *Sane,* inquit Censor, *veruntamen etsi orthodoxum sensum habere possunt, nihilominus quantum Socinianis faveant, quilibet facilè videt.* Itane? Ortho- Inepta Censura & ridicula.

doxus

doxus ergo ſenſus Socinianis favere poteſt? Mirum: *Verba*, inquit, *favere poſſunt*. At quid ſunt verba ſine ſenſu? *At verba ſenſum alium poſſunt habere*. Imò, inquam ego, & orthodoxum ſenſum habent, fatente Cenſore. Quomodo itaque quilibet videre poteſt, quod Socinianis faveant? Nam ſic favere poſſunt non minus Orthodoxis, quam Socinianis. *At favent*, inquit Socinianis, *ſi cum aliis Hypotheſibus Remonſtrantium comparentur*. Quænam illæ ſunt, mi Cenſor? Da unam, & viceris, ac Catecheſin tuam velut tropæum erige, lubentibus, volentibus Remonſtrantibus. Ridenda ſanè hæc ſunt, non ſeriò confutanda. Meritum enim ſanguinis & mortis Chriſti à Remonſtrantibus adſeri, tam clarum eſt quam Lux Solis. Sed Cenſori huic non obtigiſſe videtur illa Confeſſionis portio, in qua iſtud adſeritur Ignoſcendum eſt. Spartam ſuam, quam nactus eſt, ornare voluit, ſed eam ornavit valdè infeliciter.

Similis quoque ratio eſt, inquit, *omiſſionis ejus, qua non tantum præteritorum, ſed etiam adhuc inhærentium peccatorum remiſſionem hic orari Catecheſis docet, pro quibus illi ſubſtituunt peccata unquam commiſſa*: Quid? an inhærentia itaque peccata, quæ Cenſor vocat, ſunt peccata, quæ nunquam commiſſa ſunt? Sanè ſi unquam commiſſa ſunt, cur ſub iſtis non cenſentur? Deinde, Catecheſis non docet orare remiſſionem peccatorum adhuc inhærentium. Hæc Cenſoris audacia eſt. *Pravitatem illam* (quæ in Cathecheſi Belgica peſſimo vocabulo *boosheyt* vocatur) *quæ nobis etiamnum adhæret*, remitti orat. Aliud autem ſunt peccata inhærentia, aliud pravitas inhærens. Walæus vocat pravitatem iſtam, reliquias peccati originalis, in Dedicatione Cenſuræ Belgicæ, non minus ineptè, quam impropriè. Nam quomodo in nobis manent reliquiæ peccati originalis, ac non potius ipſum peccatum originale? Tum, reliquiæ iſtæ, aut ſunt peccata actualia, aut non ſunt: Si actualia, jam inter ea, quæ unquam commiſſa vocant Remonſtrantes, cenſeri debent: Si non ſunt actualia, originalis igitur pravitas hic etiam remitti petitur. Itane? Aliter ergo tum huic, tum illi loquendum fuerat. Originale enim peccatum quis vocaverit peccata inhærentia? Sed & Remonſtrantes originalis pravitatis rationem hic habitam à Chriſto eſſe, cum nos orare juſſit, *Remitte nobis debita noſtra*, non poſſunt in animum ſuum inducere: Cum appareat Chriſtum juſſiſſe, ut quiſque fidelis debitorum ſuorum propriorum remiſſionem petat; Pronomen *noſtra* id indicat & ſubjuncta ratio, *ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris*, non obſcurè id confirmat; niſi fortè ſub *debitis hiſce* etiam comprehenſam velimus

An in precatione, qua oratur, Remitte nobis debita noſtra, ſub voce debitorum intelligantur peccata inhærentia ſive originalis pravitas.

iſtam

istam pravitatem, quæ nobis etiamnum adhæret, qua malè erga nos affecti sunt debitores nostri, sive, ut Catechesis habet, qua sunt *propensi naturâ ad odium non Dei tantum sed & proximi*, proinde etiam nostri: Ita ut sensus sit, remitte nobis præter actualia peccata, originalem etiam pravitatem, quæ facit, ut natura propensi simus ad odium non tantum tuum, sed & proximi: sicut & nos remittimus debitoribus nostris non tantum injurias actuales, quas nobis fecerunt, sed etiam pravitatem originalem illam. Qui ita censent, ii viderint quomodo sententiam suam probent: Quod ad actualia peccata attinet, Remonstrantes uti non affirmant quemquam sub Sole vivere, qui sine omni peccato actuali sit, ita negare etiam nolunt, quin imò cum Augustino affirmare non dubitant lib. 2. de peccator. mer. & remiss. cap. 3. & cap. 6. & cap. 43. & 69. & alibi variis in locis, quod id fieri possit divinæ gratiæ auxilio. Saltem sententia, quæ hoc statuit, tutior aut minus periculosa ipsis videtur, quam quæ id negat: Illa utrique tum desperationi, tum securitati obicem ponit: Hæc dum desperationi obviam ire vult, latissimam portam securitati aperit, quæ frustra distinctionibus quibusdam aliisque quæsitis exceptionibus deinde obturatur atque obstruitur.

Cum Augustino credunt Remonstrantes, pios de exauditione precum suarum certos esse, & tamen de finali sua perseverantia incertos esse.

Ultimo loco dicit Censor, *Remonstrantes sibi non constare, quum initio paragraphi 13. asseruerunt, pios Dei cultores de exauditione precum suarum, quas juxta Dei voluntatem fundunt, certò persuasos esse, quum tamen alibi asserant verè fideles de sua in fide & pietate perseverantia certò persuasos esse non posse:* Mirum est, si Censores hic Augustinum suum, quem tantum non adorant in hoc de Prædestinatione articulo, à se peti non sentiant. Nam eum utrumque istud credidisse tam est certum, quam quod certissimum. Historia Pelagii & Disquisitio, An Pelagiana sint Remonstrantium dogmata, fidem faciunt satis luculentam: Alios jam non cito. Sed hic jam Augustinus Censoribus his Orthodoxus esse desinet. Ita nummi instar est, valet quantum ipsi eum valere volunt: *Hæc tamen*, inquit Censor, *non constant, nisi dicatur vel perseverantiam in fide & pietate à nobis in precibus non peti, vel non secundum Dei voluntatem peti:* Perseverantiam in fide & pietate petere ambiguum est: Perseverantiam in fide petere dici potest, qui auxilia ad perseverandum non necessaria tantum, sed commoda atque utilia à Deo petit; Et Perseverantiam in fide & pietate petere dici potest, qui petit effici in se, sine se, actum ipsum perseverandi ea efficacitate, qua fiat, ut non possit non perseverare ad

Quid sit perseverantiam in fide & pietate orare à Deo.

finem uſque. Iſto ſenſu rectè petitur perſeverantia: Sed inde non conſequitur eos, qui id petunt, de perſeveratione ſua perſuaſiſſimos eſſe: Sed bene de eorum, quæ ad perſeverandum neceſſaria & utilia ſunt auxiliorum impetratione, pro iſto tempore quo petunt & indigent auxiliis iſtis. Hoc ſenſu quiſquis perſeverantiam à Deo petit, is non petit ſecundum voluntatem Dei, quia Deus mandat & præcipit homini ipſi quam poteſt maximè ſeriò, ut perſeveret in fide & pietate, ut à propria *ſtabilitate ſua non excidat, ut electionem & vocationem ſuam firmam faciat, ut videat ne cadat*, &c. Non patitur autem Dei ſapientia, ut velit mandare homini, ut ſtudeat in fide perſeverare & ſimul in eodem homine velit operari irreſiſtibili efficacitate perſeverationis actum & perſuaſionem firmam de futuro perſeverationis actu. Nec video quomodo Cenſor continuò poſſit à Deo petere, ut iſtam perſeverantiam Deus in ipſo efficiat, & ſimul perſuaſus eſſe de eo, quod perſeveraturus ſit, ſive quod Deus iſtam perſeverantiam in ipſo effecturus ſit. Nam ſi perſuaſus eſt de eo, quod Deus iſtam perſeverantiam in ipſo effecturus ſit, quorſum eam continuò petet? ut perſuaſum eum dicas ſub conditione, ſi petere pergat, ineptum eſt, quia ſic perſuaſus non eſſet, niſi de ipſa conditione perſuaſus eſſet: At ſi hoc dicas, tum eadem quæſtio redit, an de ipſa conditione perſuaſus ſit ſub conditione alia, an ſub nulla. Si ſub alia, in infinitum ibis. Si ſub nulla, precari itaque non eſt actus officii hominis, ſed merus divinæ operationis effectus: Et quid tum eſt hoc precari Deum? quorſum precari aut de precando ſolicitum eſſe, ſi Deus ſine ulla conditione precationum pro perſeverantia, perſeverantiam & perſuaſionem de perſeverantia efficit in ſuis, cum Deum primo orare incipiunt? Capiat hæc qui poteſt.

Oſtenditur locum Lucæ 22. 32. perperam à Cenſore allegatum eſſe contra præcedentem ſententiam Remonſtrantium.

At hæc res, maximam divinæ voluntatis ignorantiam arguit, ait Cenſor, *quum Chriſtus ipſe pro Petro rogaverit ne deficeret fides ejus, Luc. 22. 32.* Atqui pone hoc de Petro verum eſſe, quæ conſequentiæ ratio, Chriſtus pro Petro rogavit, ergo pro omnibus fidelibus ſimiliter ac ſemper rogat? Deinde, non dicitur in textu objectum precationis Chriſti pro Petro, fuiſſe hoc ipſum, ut Petri fides non deficeret, nedum ut ea nunquam deficeret, quod tamen eſt illud, quod probandũ erat. Ipſa phraſis arguit, iſtum fuiſſe finem precationis vel precantis Chriſti, non autem ejus objectum. Dicitur enim, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ: non autem, ὥστε. Etſi verò negare nolim ἵνα aliquando pro ὥστε accipi, tamen rariſſimè id fit, &, etiamſi crebrò fieret, tamen idem hoc in loco factum eſſe, probandum nihilominus foret. Nihil

autem

autem eſt,quo id probetur. Senſus autem verborum manifeſtus eſt,Ego pro te Patrem meum oravi, Petre, ut in tam præſenti periculo ſuccurrere tibi vellet,& auxilium quod alioquin forte tibi non dediſſet,& non dare jure merito potuiſſet, tibi ſubminiſtraret, idque eo fine, ne fides tua, quæ jam conſternata erat, omnino deficeret, tuque ad miniſterium meum ineptus plane non fieres. Quo ipſo non ſignificatur fieri non potuiſſe, ut præbito iſto auxilio fides Petri non deficeret, ſed tantum factum fuiſſe, ut cauſſæ ad defectionem impellentes, aut omnino ceſſarent, aut non ita vehementer Petrum impellerent, ne plane ſuccumberet: atque ita Petrus luculentam occaſionem haberet evadendi periculum,in quo erat. Confirmatur hæc res non parum ex eo, quod Cenſor, ipſe, ex vi electionis Petri ab æterno factæ, ſtatuat fieri non potuiſſe, ut Petri fides deficeret. Hoc enim ſi verum eſt, quomodo ſtatuere poteſt objectum precationis Chriſti ſuiſſe ut Petri fides non deficeret? Nam ſive oraſſet Chriſtus, ſive non oraſſet, fides tamen Petri deficere non potuiſſet,ob decretum Electionis immutabile, quo Deus Petrum ad vitam æternam elegerat, nulla habita ratione orationis I.Chriſti: Decretum enim iſtud præceſſerat non modo actualem Chriſti orationem, ſed decretum ipſum de Chriſto Mediatore aut interceſſore pro Petro aliiſque mittendo. Dicere hic,decretum divinum de Petro eligendo habere aut habuiſſe ſibi conjunctum decretum dePetro ſuſtentando,ne deficeret fides ipſius, nihil eſt. Nam decreto divino, quo jam conſtituerat Petrum peremtorie & irrevocabiliter ſalvare, non poterat ſubordinari Decretum de Chriſto mittendo ut oraret Patrem ne deficeret fides Petri.Orando enim Chriſtus tum impetrare à Patre non poterat, ut non vellet ſinere deficere fidem Petri, quaſi antea id non voluiſſet, aut, non niſi poſita oratione Chriſti,id voluiſſet Pater. At,inquies,quia Pater voluerat non deficere fidē Petri,voluerat etiam utChriſtus pro Petro intercederet: At,inquam ego,eo ipſo,quia id antea voluerat, non poterat deinde velle ut Chriſtus intercederet pro Petro, ut non deficeret fides Petri, ſive ut orando id à Patre impetraret. Eadem hæc ratio militat in loco, qui huic ſubjicitur ex Epiſt. ad Philip. 1.6. *Perſuaſum habens fore,ut qui cœpit in vobis bonum opus, perficiat uſque ad diem Jeſu Chriſti*: Nam perſuaſionem illam Apoſtolus expreſſe fundamentum eſſe dicit, quod preces ſuas cum gaudio pro Philippenſibus faceret: At preces ipſæ quorſum erant, aut quam vim habebant, ad impetrandum à Deo pro Philippenſibus perſeverantiam,ſi jam certum ac perſuaſiſſimum Paulo erat,

Oſtenditur eandem eſſe raionem loci à Cenſore citati ex Epiſt. ad Philip. cap. 1.6.

fieri non posse, ut Philippenses non perseverarent? Sive enim pro Philippensibus orasset Paulus, sive non orasset, decretum illud irrevocabile tamen effectum suum habuisset. Quare ex eo ipso, quod Paulus pro Philippensibus oravit, ut perseverarent in fide, concludendum omnino est, decretum de perseverantiæ actu in Philippensibus, sic ut vult Censor, efficiendo, non præcessisse, ac proinde persuasionis illius, de qua loquitur Paulus, sensum alium plane statuendum esse, eumque hunc; Persuasum habens Deum, qui ex indebita gratia vos ad tam grande bonum vocavit, à parte sua facturum id omne, quod ad vos in fide ista ad finem usque stabiliendos facere possit. Nunquam ille, imprimis rogatus à dilectis suis servis, deerit iis, quos ad participationem æternæ hæreditatis suæ vocare semel dignatus est, &, qui vocationi ejus aures & animos suos præbuerunt. Quæ præter hæc duo loca ex Psalmis citantur, ea tam sunt frigida & aliena, ut qua consequentia ex iis eliciat Censor, quod intendit, ne conjectura quidem adsequi quisquam possit. Nam versu octavo in Psal. cxix. dicitur, *statuta tua observabo*, non uti Censor legit, *ne derelinquas me:* Sed, *ne derelinquas me diutius*, id est, ne affligi & opprimi me sinas diutius. Quis inde efficiat Davidem petiisse perseverantiam actualem in fide? vers. 40. dicitur, *Ecce desidero mandata tua, in justitia tua vivifica me*, i.e. secundum promissa tua (quæ justitia sæpe vocantur in V. Testamento) libera me, qui Legis tuæ studiosus sum, ab iis qui me ad mortem sine caussa persequuntur, & vitæ meæ insidias struunt: Vers. 133. dicitur, *Pedes meos dirige in verbo tuo, & ne dominetur nihil ulla iniquitas*, id est, non uti vult Censor, ne peccatum mihi dominetur (id enim ex Censoris mente fieri non poterat, proinde ut id peteretur necesse non erat) sed ne iniqui oppressores & hostes mei prævaleant mihi, sive uti statim subjicit versu sequente, *Redime me ab oppressione hominum*. Quis ex hisce versibus extuderit, Davidem id petiisse, quod vult Censor? Certe maxima hæc est Scripturæ aut ignoratio, aut detorsio, quæ ferri vix debet in eo, qui iis, contra quos disputat, maximam divinæ voluntatis ignorantiam adeo leviter audet improperare, aut potius exprobrare.

Ostenditur verba Ps. cxix. perperam à Censore citata esse contra sententiam Remonstrantium.

IN

IN CENSURAM CAPITIS XV.

De ſpecialibus Vocationibus, deque præceptis ac traditionibus humanis.

CEnſura Capitis hujus crambe eſt non bis ſed ſæpius recocta. Quilibet Cenſor eam reponit. Quot Cenſores, tot iteratæ Cenſuræ, ſine cauſſa ſæpe ulla aut occaſione: Id hic liquet. Dixerant Remonſtrantes tranſeuntes ad novi Capitis tractationem: *Et hæc quidē ſumma eſt illorum mandatorum, quæ à Ieſu Chriſto communiter nobis præcepta ſeu Chriſtianis omnibus ex æquo ad æternam ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt.* Ex his verbis novus hic Cenſor, quaſi ignarus quid cenſitum fuerit præcedente Capite, aut quod Cenſura hujus rei ad præcedens caput pertineat, cum tamen id ex tranſitione ipſa non obſcure pateat, prolixam cenſuram & quidem eandem, quæ ante ſæpius facta fuerat, venatus aut aucupatus eſt. *Ambigue & periculoſe in eo loquuntur Remonſtrantes*, inquit, *quia omnino videntur cum Socinianis ſtatuere, principalem adventus Chriſti finem fuiſſe, ut nobis hæc præcepta, Legalibus etiam perfectiora, proponeret, ut per eorum obſervationem æternam ſalutem conſequeremur, atque ita Chriſtum in novum Moſem ſeu Legis-latorem transformant.* Obſecro te Lector, quis ex innoxiis, ſimplicibuſq; iſtis Remonſtrantium verbis, etiamſi ea in mortario contundat compilletque, elicuerit quippiam horum, nedum iſta omnia, quæ hic Cenſor elicuit? ne jota quidem eſt in iſtis Remonſtrantium verbis de fine adventus Chriſti, nedum de principali fine: Non enim dicunt Remonſtrantes finem adventus Chriſti fuiſſe, ut iſta mandata nobis ferret, noſque per eorundē obſervationem ſalvatum iri doceret, ſed tantum Chriſtum, qui venit in mundum, mandata illa nobis dediſſe, eaque ad obtinendum æternam ſalutem obſervatu neceſſaria eſſe. Nemo Chriſtianus id, uti arbitror, negaverit, aut merito ſugillaverit: Deinde, in his verbis nulla fit comparatio inter præcepta Legis & Euangelii, an hæc illis ſint perfectiora: ne γρῦ quidem ejus in verbis iſtis eſt: Denique, non dicitur à Remonſtrantibus, nos per *plenam, rigidam & præciſam*, ut Cenſor loquitur, *præceptorum Legis obſervationem ſalutem conſequi*: Ne ſyllaba quidem horum Epithetorum in verbis eſt. Quod ſi vero Cenſor hæc omnia ex iſtis Remonſtrantium verbis recte colligi putet, tum

Oſtenditur Cenſoris prævaricatio in detorquendis Remonſtrantium verbis, non uno modo.

tum velim mihi probet hanc consequentiam suam; Qui dicunt Christianis omnibus communiter & ex æquo præcepta ista, quorum summa cap. præced. exposita est, à Iesu Christo tradita esse, eaque præcepta sic à Christo exposita sive proposita, omnibus ex æquo ad æternam salutem consequendam observatu necessaria esse, illi omnino videntur statuere principalem adventus Christi finem fuisse, ut nobis hæc præcepta, Legalibus etiam perfectiora proponeret, ut per eorum plenam, rigidam & præcisam observationem salutem æternam consequeremur. Citius ex pumice aquam elicuerit, quam hanc consequentiam ex istis verbis. Interim, quod attinet ad rem totam: Remonstrantes quæstionem, An Christus mandata dederit, Legalibus perfectiora, Christianis non necessariam, adeoque inutilem statuunt. Mandata Christi præstari à Christianis plane necessarium est: Nisi enim ea præstent, non possunt ingredi regnum cælorum, Matth. 5.20. At scientia, An mandata Christi, sive N. Testamenti, perfectiora sint Mandatis Legis, seu V. Testamenti, necessaria non est; &, quia quæstio hæc magnis animis inter Christianos agitatur, periculosa etiam & noxia videri debet. Non enim tenentur Christiani mandata ista præstare sub ea ratione, quod perfectiora sint, nec scientia ista, quod perfectiora sint, necessaria est ut mandata melius aut libentus à Christianis præstentur. Qui enim obedire paratus est præcipienti, obedire paratus est quomodocunque præcipiat: obligatio ex præcepto est, non ex præcepti perfectiore aut imperfectiore conditione seu indole. Persuasio obligationis ad parendum ex præcipientis authoritate dependet, non ex qualitate præceptionis perfectiore aut imperfectiore. Quod interim Censor hic affirmat, *præcepta hæc eadem non minus perfecte in V. Testamento jam ante Christi adventum proposita fuisse*, id sane nescio qua fronte aut mente affirmet. Nam si per vocabulum *perfecte* intelligit idem quod *clare*, nihil falsius est: Certum enim est præceptum fidei in I. Christum nuspiam in V. Testamento clare traditum extare, uti neque in terminis promissio vitæ æternæ in eo extat. Si v. per τὸ *perfecte*, intelligit idem quod æque late aut extense, ita ut velit ista omnia, quæ nunc in N. Testamento à Christo clare proposita sunt, in V. Test. etiam sive sub lege, licet obscure, proposita fuisse, aut potius sententia Legis contineri, id sane (ut jam non ventilem hanc controversiam, quæ magnis utrimque autoribus & argumentis se tuetur, per singulorum præceptorum, prout à Christo sunt proposita, collationem cum præceptis prout Lege tradita fuerunt) falsissimum etiam ex alia parte censeri

censeri debet. Nam primò certum est, præceptum Legis quartum de præcisa diei septimi sanctificatione, nunc sub N. Test. per Christum sive Apostolos ejus clarè abrogatum esse. Secundò certum est præceptum septimum, *non mœchaberis*, sub lege non adeò latè se extendisse, ut I. Polygamiam etiam vetitam esse ea lege censeri deberet: II. ut divortium ob aliam nullam causam, quam ob adulterium comprehenderet: At hoc pacto nunc præceptum istud accipiendum esse non obscurè fatentur penè omnes Christiani. Denique certum est, multa olim permissa fuisse sub V. Test. quæ tum sine peccato aut violatione Legis divinæ fieri poterant, quæ nunc vetita sunt, & sine certo salutis æternæ periculo fieri non possunt: Quod attinet quæstionem, An finis adventus Jesu Christi inter alios etiam fuerit, ut hæc præcepta nobis proponeret, incertum est quid Censor quærat, & quid ipse de ea statuat. Nam aliquando videtur id negare simpliciter, aliquando concedere quidem, sed ita, ut finis ille non fuerit principalis, sic enim concludit, *Finis ergo principalis adventus Christi hic non fuit*. Remonstrantes quod attinet, illi non dubitant, quin finis Jesu Christi adventus inter alios etiam hic fuerit: an principalis fuerit, & quid vox principalis significet, scrupulosè inquiri operæ-pretium non putant. Scilicet is Christianis labor est, ea cura pios solicitat. Habeant sibi hæc & alia Vitilitigatores Academici, quibus libet ex mustaceo isto laureolam petere, & in enucleandis ejusmodi quæstionum arcanis, ingenium simul ac tempus suum dilapidare. Denique; An Christus mandata hæc dederit eum in finem, ut per eorum plenam ac præcisam observationem salutem æternam consequamur non ineptè tantum quæritur, sed & falsò additur id à Remonstrantibus affirmari. Nunquam id, ne per transennam quidem à Remonstrantibus indicatum aut affirmatū est: quin imò ubique sic statuunt: Præcepta ista omnia pariter observatu necessaria esse, si quis salutis per Christum particeps esse velit: At præcepta ista omnia observare non esse ea adeò plenè, rigide ac præcisè observare, ut nunquam in ullum eorum impingas, sive per inadvertentiam, sive per subitam aliquam passionem, sive per aliam aliquam improvisam ὁρμὴν; imò credunt hoc fieri posse, &, si modò accedat pœnitentia, Deum talem censere eodem loco, ac si præcepta omnia, prout oportet, plenè ac rigide observasset. Et hac in re observatio præceptorum Euangelica differt à Legali, quod hæc plena, rigida & præcisa esse debeat, & si unum modò interveniat peccatum, nec remissioni nec pœnitentiæ locus sit; illa verò, ut plena,

Plenam ac præcisā mandatorum omnium Legis observationē necessariam esse ad salutē, falsò tribuitur Remonstrantibus.

præcisa

præcisa & rigida sit observatio, non requirat, dummodo adsit voluntas nihil unquam faciendi quicquam contra ullum Legis seu præceptum, seu interdictum & in melius semper proficiendi: Si enim fiat, ut is in quo voluntas ista est, incidat in grave aliquod peccatum, interveniente pœnitentia, peccatum istud non imputatur à Deo, & præcedens mandatorum divinorum observatio propter Jesum Christum habetur pro observatione, quæ Deo accepta & grata est.

Quæ subjicitur censura, nescio an ab inscitia, an ab impudentia notari mereatur: *Quum*, inquit Censor, *Remonstrantes illas vocationes referant, quæ unicuique fidelium peculiares sunt, nempe Magistratuum, Subditorum, Parentum, Liberorum, &c. non immerito quisquam admiretur, quare Ecclesiasticas vocationes inter eas non recenseant.* Itane? merito magis jure quisquam miretur, cur Censor, aut non videat, aut videre nolit, vocationes istas Ecclesiasticas, non tantum comprehendi posse sub signo *& cætera*, expressè à Remonstrantibus addito, sed etiam revera comprehensas ab iis fuisse sub voce *parentum*, cum disertè post signum, *&c.* addiderint hæc verba, *de quibus jam ante in Expositione Decalogi aliqua ex parte actum fuit.* Nam cap. 12. in explicatione præcepti quinti Decalogi, apertè satis declaraverunt, sub voce *parentum*, *Pastores & Seniores* etiam comprehendi posse ac solere: atque idcirco se eos etiam sub ista voce comprehensos velle. Cui adde, quod, ut Censor ipse fatetur, Remonstrantes Cap. 21. toto suæ Confessionis declaraverunt functiones sive Vocationes illas Ecclesiasticas à Deo vel Christo per Apostolos ordinatas fuisse in Ecclesiis. Supina autem sive inscitia, sive impudentia censenda est, cum Censor, ut hoc argumentum per se clarum ac solidum enervet, subjicit: *Nisi fortassis aut hanc designationem Apostolicam non esse veram ac divinitus institutam vocationem sentiant, aut saltem in Ecclesia Christi non semper necessariam.* Nam disertè addunt Remonstrantes Sectione IV. Apostolos non tantum ordinasse vocationes istas, *ne cœtus per ipsos semel collecti iterum diffluerent ac dilaberentur*, *atque ita doctrina hæc divina & salutaris paulatim evanesceret*, sed etiam eos, *ut idem semper & ubique in cœtibus omnibus fieret, expressè monuisse*: & concludunt deinde sect. V. his verbis, *unde nata est totius ministerii Ecclesiastici perpetua necessitas & multiplex utilitas.* Poterat-ne quippiam clarius à Remonstrantibus dici ad reprimendam aut diluendam tam insulsam exceptionem aut quæsitam calumniam? αὐτὸ τὸ πρᾶγμα βοᾷ.

Sub voce Parentum, declaratione etiam comprehensos voluisse Pastores & Seniores ostenditur.

IN

IN CENSURAM CAPITIS XVI.

De cultu & veneratione Iesu Christi, unici Mediatoris, deque invocatione Sanctorum.

IN hoc Capite non censetur nisi hoc unum, Quod *Remonstrantes eos rectè facere statuunt, qui Jesum Christum, quatenus Mediator noster apud Deum est, sanctè ac religiose colunt, id est, adorant, invocant, spem & fiduciam suam in eo collocant, eique suppliciter gratias agunt ac benedicunt.* Fatetur Censor Christum nobis agnoscendum & colendum esse, non tantum ut unigenitum Dei Patris Filium & verum Deum, sed etiam ut θεάνθρωπον ac Mediatorem inter Deum & homines. Atqui nihil aliud dicunt Remonstrantes in Confessione sua. *At*, inquit, *cultum hunc constituunt Christo Mediatori proprium, ex ratione solius officii ipsi à Patre impositi, aut gloriæ ipsi à Patre concessa.* Sanè: Qui possunt aliter, si est cultus, qui Christo, ut Mediatori, contradistinctè ut est unigenitus Dei Patris Filius, gratiosè à Patre collatus est, quod ipse Censor agnoscit? *At hoc Socinianis manifestè favet*, inquit: favet ergo, inquam ego, Censor ipse Socinianis, dum id, quod diximus, iis concedit: Et ubi veritas hæretico favet, hæreticus ea parte hæreticus non est. *At*, inquit Censor, *hoc viam aperit Socinianis ad omnia argumenta orthodoxorum eludenda, quæ pro vera & æterna Deitate Christi, ex hujus divini cultus communicatione, ab Ecclesia veteri & recente, semper invictè sunt petita.* Eheu! quantum periculum! Alterutrum ergo dicendum est; Aut falsum esse, Christo, ut Mediatori, cultum & honorem hunc à Deo attributum & gratiosè communicatum esse, aut si hoc falsum non est, uti Censor hoc falsum non esse concedit, æquissimum omnino esse, ut argumento isto plumbeo non amplius pugnemus. Ferendum utique non est, ut res certissima præsidio nitatur frigidæ probationis. In argumenta jurandum non est: Candoris & ingenuitatis est illis non uti, si Adversarii occasionem inde arripiant in errore permanendi: Et, quod periculum est, etiamsi argumentum istud concidat, salva veritate principali? *Atqui*, inquit Censor, *eodem modo argumenta illa, quæ à nominibus, proprietatibus & operationibus divinis, pro divinitate Filii petuntur,*

Diluuntur frivolæ aliquot exceptiones contra id, quod Remonstrantes statuunt, Christo, quatenus Mediator est, cultum adorationis religiosum competere.

 tur,

tur, per eandem gratiosam communicationem poterunt enervari. Nihil minus, nisi ex Scripturis eodem modo probetur, nomina, proprietates & actiones istas gratiosè Christo Mediatori communicatas esse. Si enim id non probetur eodem modo, quo probatur ex Scripturæ locis compluribus, Christo honorem cultus gratiosè communicatum esse, quomodo obsecro probabitur? Quum vero etiam ex Scripturis manifestum sit, Christum quoque naturâ, sive per naturalem & veram atque ineffabilem generationem Dei Filium esse, constat aliam esse rationem hujus rei, quam illius. Tota enim vis argumenti in eo posita est, quod Deus Pater Christo ut Mediatori gratiose, adeoque ex promisso, honorem & dignitatem hujus cultus communicaverit. Hoc fatetur Censor, & quidem respectu naturæ tantum humanæ. *At, inquit, eam gloriam negamus esse absolutè divinam, etsi tanta sit, quanta ulla Creatura est capax.* At hoc non quæritur, an absolute divina gloria sit; sed, an non sit vera adorationis gloria. Si non, quæ itaque ista gloria est, qua *omnes honorant Filium sicut honorant & Patrem*, qua Christo *nomen tale datum* est, ut *ad illud flecti debeat omne genus terrestrium, cælestium & subterraneorum*, &c.? *Non est*, inquit, *nisi adjunctum proprium illius personæ, in qua fiducia nobis locanda est.* Imo vero est ratio, propter quam Scriptura passim Christum ut Mediatorem colendum esse dictat, uti ex Epist. ad Philipp. 2. 9. clarissime liquet; *διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων.* Joan. 5. 26. *Sicut Pater vitam habet in seipso, sic dedit & Filio vitam habere in seipso: Et autoritatem ei dedit judicium faciendi, quatenus, vel quia Filius hominis est.* Deinde, quid hoc est honorem istum adjunctum proprium esse personæ illius, in qua fiducia nobis locanda est? An in persona ista, in qua fiducia locanda est, gloriam istam requiri ut proprium adjunctum in subjecto, ita ut sine ista gloria persona ista adorari non debeat, aut adorari non possit? Hoc non dicet Censor: An gloriam istam Christo Mediatori jam competere, ut adjunctum proprium, quod ab ea separabile, aut separandum non est, absque ullâ relatione ad cultum, qui ei propterea debeatur? Hoc vero diserte repugnat Scripturis, quas jam citavimus, aliisque compluribus. Quæ porro hic prolixe disserit Censor, de objecto formali adorationis, & objecto considerationis, ea sunt plane extra rem. Quæritur enim, an honor adorationis, qui Christo gratiose communicatus est, ut Mediatori, non sit verus honor adorationis? Si enim verus est, & Christo communicatus ratione naturæ

Gloria adorationis quæ Christo Mediatori competit, vera adorationis gloria est, etsi non absolute divina.

turæ

turæ humanæ, ut vult Censor, tum sanè natura humana non venit tantum ut objectum considerationis, cum Christus Mediator colitur & adoratur. Si non est verus honor adorationis, tum quis honor iste sit explicandum fuerat, alioquin aër cæditur, & frustra disputatur. Remonstrantes cum Scripturis loqui amant, & quælibet argumenta, quæ humanis & Metaphysicis quibusdam conceptibus ex aëre haustis, & Scripturæ tantum non è diametro repugnantibus nituntur, negligere adeoque respuere malunt, quam propter ea manifestis Scripturis vim facere. Christo Mediatori honorem adorationis à Deo Patre gratiosè communicatum esse Scriptura disertè, & non uno in loco, adfirmat: Quo respectu, aut quomodo communicatio illa facta sit, inter arcana divinæ sapientiæ ponere malunt, quam curiosè inquirere, aut contentiosè ventilare: Hoc enim ut definiatur aut intelligatur, necessarium non est: Istud sine periculo negari aut ignorari non potest. Neque verò Socinianum hoc videri debet, cum certum sit Lutheranos, multò ante Socinum, idem non credidisse tantum, sed publicis scriptis ac colloquiis adservisse ac propugnasse, prout testatur Wolfgangus Frantzius in disputationibus, quas contra Pontificios, Calvinianos, & Antitrinitarios edidit, Disput. 3. de Persona Christi, sect. ultima. Thes. 195. verba hæc sunt; *Christi carni non in abstracto per se, in se, secundum naturæ suæ principium simpliciter, sed in concreto in unione, per unionem, & propter unionem hypostaticam, & propter* NB. *communicatam omnem divinam potestatem, majestatem & gloriam etiam cessit, debetur & tribuitur cultus adorationis divinæ.* Gemina dicit Iacobus Andreas in Colloquio Mompelgartensi habito Anno 1586. aliique penè omnes Lutherani: Verba Concilii Ephesini, quæ Censor citat, talia sunt, ut Patres idem definivisse videri possint, quia dicunt, *se non agnoscere duas naturas in Christo, unam adorandam, alteram non adorandam: Sed unam naturam divini verbi incarnatam, quæ simul cum sua carne una adoratione adoratur.* Etenim natura divini verbi incarnata, nihil aliud est quam persona Iesu Christi, quatenus mediator est: Eam autem una adoratione adorare, & quidem simul cum carne sua ut adoranda, quid aliud est quam Christum, etiam quatenus homo est, objectum formale adorationis statuere? ut enim dicas verba sensum hunc habere, naturam Christi divinam, quæ simul cum carne sua est, una adoratione adorandam esse, ratio non sinit. Sic enim naturam unam in Christo adorandam, alteram non adorandam, licet naturæ isti conjunctam & unitam, statui à Concilio dicendum foret, cum disertè

Wolfgangus Frantzius.

contrarium à Concilio statuatur. Sed nos hoc argumento pugnare noluimus. Neque enim nobis tanti est quæstionis istius cognitio, ut propterea magnopere laborandum putemus, cum de re ipsa ex Scripturis constat, prout hic constare manifestum est.

AD CENSURAM CAPITIS XVII.

De beneficiis & promissis divinis, ac primo de Electione ad gratiam, seu vocatione ad fidem.

Controversia quinque Articulorum ventilatur in hoc capite ex professo.

IN hoc capite & sequente XVIII. controversia quinque Articulorum, qui vocantur, ex professo ventilatur. Hæc jam propria arena nostro est, in qua pes propius figendus est. Hoc itaq; nunc agamus, cũ bono Deo.

Primo paragrapho duo, ut ait Censor, *effata Remonstrantium censentur:* Prius est: *Quod Remonstrantes gratiam universalem peccatori à Deo concedi statuant, per quam aptus & idoneus sit ad omnia præstanda, quæ Euangelio postulantur, sub quo etiam Decalogi præcepta comprehenderunt, cap 12.* Posterius est, *quod eam aptitudinem ad omnes omnino homines extendant. Quod ad prius effatum attinet, in eo videntur*, inquit, *veterem Pelagianorum cramben reponere, qui statuebant hominem per gratiam, quam Deus ei præstat, præcepta omnia divina complere posse.* Quo sensu Remonstrantes dixerint peccatorem per gratiam divinam præcepta omnia Euangelii præstare posse, ex antecedentibus liquet: Quam longè eorum sententia à Pelagii sententia distet, ibidem non semel indicatum & demonstratum est. Sed quia hujus rei tractandæ sedes hic propriè est & Censor hic de novo controversiam hanc movet, agè videamus quid de re tota sit: Timidè, &, pro more suo, ingeminat hic Censor suam voculam, *videntur*, non obscurè innuens, se non audere apertè impingere Remonstrantibus Pelagii hæresin: Atque hoc fortasse pro responsione hic sufficere posset Remonstrantibus: sed tantum abest ut Remonstrantes pro sui defensione aliud nihil habeant, ut contra probandum sibi sumant Censorem causam non habuisse, cur Remonstrantibus tribuerit, quod ista eorum sententia *veterum Pelagianorum cramben*, ut ait, *videatur reponere.* Atque hoc quidem ut demonstremus, sic procedimus. Falsum est sen-

Hominem auxilio gratiæ divinæ præstare posse mandata Iesu Christi, non esse Pelagianum demonstratur.

est sententiam istam, quæ statuit hominem peccatorem (nam de eo loquimur, uti Censor ipse fatetur: Quæstiones enim cæteræ, quæ Catholicis cum Pelagio erant: An homo virtute naturæ implere possit legem, sic ut à prima nativitate nullum in omni vita peccatum admittat: An per gratiam possit transigere vitam omnem sine peccato, &c. huc non pertinent: de peccatore enim agimus) per gratiam Dei præcepta omnia divina præstare aut complere posse, Pelagii cramben aut hæresin esse; nedum hæresin damnatam in Concilio Carthaginensi aut Milevitano. Prius membrum sic evincimus. Certum est Augustinum, quem Pelagii acerrimum hostem fuisse Censor ubique inculcat, & cum eo complures Episcopos Africanos sententiam istam diserte tenuisse, & cum Pelagio ea in re consensisse, ut prolixe satis id probat Clariss. vir *Gerardus Vossius* in historia sua Pelagiana lib. 5. par. 1. Thes. 5. & diserte legere est apud August. lib. de Gr. & lib. Arbit. cap 6. & 7. *Aliud est quærere, An lex possit observari in hac vita in ea parte quæ est sub præcepto: Aliud an de facto illo à quoquam observetur integre & sine ulla unquam prævaricatione. Primum asserimus; aliud negamus.* Quo pertinet quod Augustinus non dubitat fateri, Deum possibilia mandasse, & quidem isto sensu, quod & singula & omnia singuli & omnes fideles per gratiam Dei implere valeant, usque adeo ut in sermone cxcj. de tempore dicat, *se execrari blasphemiam eorum, qui dicunt, Impossibile aliquid homini præceptum esse à Deo, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.* Nec dubium est quin Patres priores in eadem omnes fuerint sententia. Basilius *impium* ait *esse asserere præcepta Spiritus S. impossibilia esse observatu:* Chrysostomus affirmat, non possibilia tantum, sed *σφόδρα εὔκολα valde facilia esse si modo vigilemus:* Vide eundem Vossium ibid. Antithes. 6. Quare, cum Censor *Pelagianos in voce Potentiæ argutatos esse, idemque hic fortasse Remonstrantes facturos dicit,* convitium videri debet, quod Augustino cæterisque Patribus omnibus potius impingitur, quam Pelagio vel Remonstrantibus. Quod vero etiam, non obstante eo, sententiam istam nihilominus condemnatam esse adserit in Synodo Carthaginensi & Milevitana, id (quod secundo loco probandum sumsimus) falsissimum est: In Synodo Carthaginensi III. sive universali Africæ Synodo, quæ vulgo Milevitana vocatur, nihil aliud damnatum fuit in Pelagio, hanc rem quod attinet, quam quod Pelagius statueret, *hominem posse in hac vita præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium*

[Margin: Augustinus Pelagii hostis credidit hominem per gratiam divinam præcepta Christi implere posse.]

[Margin: Idem crediderunt Patres priores, Basilius, Chrysostomus &c.]

[Margin: Sententiam istam in Concilio Milevitano damnatam non esse evincitur.]

bitrium pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere, dimitte nobis debita nostra, ut ex Epistola quam Patres Concilii Carthaginensis & Milevitani ad Innocentium scripserunt, manifestissimum est. Canones autem Concilii istius, qui circa hanc rem fuerunt, ii omnes, non de posse, sed de esse loquuntur: Fuerunt autem ii tres; I. *Vnumquemq; debere dicere, dimitte nobis debita nostra.* II. *Neque id pro aliis solum, sed etiam pro se.* III. *Neque id ex humilitate dumtaxat, sed etiam verè.* Tantum verò abest, ut Patres decreverint expresso aliquo Canone, Legem Dei per gratiam Christi impleri non posse, ut contra disertè contrarium decreverint, *Quod gratia Dei præstet, ut Lex impleatur, non, sicut ait Pelagius, facile, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri. Quod per gratiam Dei sciamus quid facere debeamus & diligere ut faciamus.* Idem in Synodo Arausicana decretum fuisse hic Canon indicat: *Omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, possunt & debent quæ ad salutem pertinent (si fideliter laborare voluerint) adimplere.* Quare, cum hæc tam crude effutiit Censor, temeritatem sane suam cum ἀνιστορησίᾳ conjunctam non leviter prodidit. Quod vero addit sententiam istam à *Scriptura* etiam non obscure damnari, *quippe quæ non tantum utatur vocibus, quæ significant neminem ita justum esse, ut non peccet, ac proinde & divina præcepta non transgrediatur, sed etiam, quæ indicent ne esse quidem hic posse, propter carnis adhuc inhærentis reliquias*; id sane arguit justam ei probationem ex Scriptura deesse. Et si probationis modus videatur, nec antecedens nec consequentiam probat uti oportebat. Antecedens ut probaret, allegandæ utiq; fuerant voces & modi loquendi Scripturæ familiares, qui indicarent, neminẽ in hac vita mandata Dei præstare posse. At hic Censor non allegat nisi unum locum ex lib. Iobi, eumq; obscurum & controversum; & alterum ex Epist. ad Rom. cap. 7. In re tanti momenti clariore & prolixiore locorum citatione opus fuerat: Locum enim Jobi quod attinet, certũ est Iobum isthic non loqui nisi de perfectione ejusmodi, qua homo cum Deo confertur & comparatur, tanquam Deo & divina perfectione longe inferior: quod ex eo liquet, uti supra ostendimus, quia Iobus ipse diserte, cum amicis suis contendit, se, quanquam divina perfectione longe inferiorem, proinde non expertem vitiorum & imperfectionum variarum, quæ mortalitatis nostræ conditio est, nullius tamen culpæ aut criminis contra mandata Dei commissi, propter quod tam graviter affligi meruerit, reum esse. *Appendat me Deus in statera justitiæ*, inquit cap. 31. vers. 6. *& agnoscet perfectionem meam.* II. Certum est, Iobum de actu non de po-

Canones Concilii Milevitani.

Canones citãtur quibus sententiã Remonstrantium aperte adstrui etiam esse ostenditur.

Locum Iobi cap. 9. 2. perperam citatum esse à Censore, ostenditur.

de potentia loqui. III. Certum est, Enunciationes ejusmodi imprimis hyperbolicas communiter, non autem universaliter, accipiendas esse, nisi infinitas alias quæ in Scriptura occurrunt, damnare ut falsissimas velimus. Sed esto, Antecedens transeat; Quæ ratio consequentiæ est? Sanè si consequentiam illam valere Censor vult, similem & contrariam consequentiam concedat necesse est: Hanc vid. Quod Scriptura non tantum utatur vocibus quæ significant mandata Dei præstari posse à nobis, sed etiam quæ disertè affirmant (quod sanè majus quid est quam *indicant*) ea præstitu *facilia* esse, 1. Joh. 5. 5. neque hoc tantum, sed ea à variis sub V. & sub N. Test. & quidem *omnia*, & quidem *cunctis diebus vitæ eorum*, & quidem *ex tota anima, ex toto corde & ex omnibus viribus*, & quidem *in conspectu Dei*, præstita actu esse, sicut de quibusdam dicatur quod *quæsiverint Dominum in toto corde & tota anima sua*, ut de Aza Rege & populo toto dicitur. 2. Paral. 15. 12. *de Aza, quod cor ejus perfectum fuerit coram Deo*, 1. Reg. 15. 14. De Davide, quod *custodierit præcepta Dei*, 1. Reg. 11. 34. quod *secutus Deum fuerit ex toto corde, faciens quod placitum erat in conspectu ejus*, 1. Reg. 14. 8. Quod *non declinaverit ab omnibus quæ præceperat ei Deus, excepto sermone* (1. facto) *Uriæ Hitthæi*, 1. Reg. 15. 12. de Josia, quod *non declinaverit ad dextram aut sinistram*, 2. Reg. 21. 2. quod *reversus fuerit ad Deum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta* NB. *omnem Legem Mosis*, 2. Reg. 23. 35. de Zacharia & Elizabeth, quod *incedebant in omnibus mandatis & constitutionibus Domini inculpatè*, & *justi erant ambo coram Deo*, Luc. 1. 2. de cæteris regenitis & fidelibus, quod *mortui sint peccato*, quod *consepulti cum Christo*, quod *carnem crucifixerint cum concupiscentiis suis*, quod *purificent seipsos, sicut Deus purus est*, quod *malus ille non tangat eos*, quod *oderint tunicam quæ à carne maculata est*, denique quod *non peccent, & non possint peccare*, aliaque in eandem sententiam plura, Quæ sanè talia sunt, ut, si phrasin istam Scripturæ respicias atque urgere velis, multò justius concludere liceat, Scripturam, Sententiam istam. Quod per gratiam Dei possimus mandata omnia divina præstare, utroque, quod dicitur, pollice approbare. Et sanè, ut jam alias rationes non allegemus, nihil est quod sententiam contrariam apertius damnat, quam locus iste Scripturæ, quem citavimus ex 1. Joh. 5. 5. ubi dicitur; *Hæc est caritas Dei ut mandata ejus servemus, & mandata ejus gravia non sunt.* Si enim gravia non sunt, ergo multò minus impossibilia. Facile enim multo plus dicit quam possibile, Imo si gravia non sunt, ex eo penè

Scripturæ Phrases arguunt, mandata Dei per gratiam divinam posse præstari,

Rom. 6. 2. 3. 4.
Col. 2. 11. 12. 13.
Gal 5. 24.
1. Ioh. 2. 3.
1. Ioh. 5. 18.
Iudæ 23.
1. Ioh 3. 9.
1. Ioh 5. 18.

penè necessariò concluditur, multò minus mirum fore, si essent qui ea actu præstarent, quam qui non præstarent. Multò enim magis admiratione dignum est, facilia non fieri, quam fieri. Locum qui à Censore ex cap. 7. Epist. ad Rom. citatur, mirum est in contrarium allegari. Certum enim est eum saltem controversum esse; An vid. in eo de homine regenito, an irregenito agatur; ut jam nihil dicamus de eo, an rectè hic allegetur. Quod enim Censor eum rectè & meritò allegatum esse à se probari existimat, nuda citatione loci ad Gal. 5. 17. id quam futile sit, ex antecedentibus, ubi locum illum excussimus, patere potest, & per se cuivis manifestum est. Ut ut sit, certum etiam est hunc ad Gal. locum, non minus quam alterum illum, controversum esse. Hoc nunc satis est. Concludo itaque Sententiam istam Remonstrantium, Pelagianam & Conciliis ac Scripturis contrariam immeritò censeri. Summa enim ejus hæc est, Divinæ gratiæ auxilio fieri posse, ut *quis vivat sine omni peccato, neminem tamen* ut Augustinus ait, *in quantacunque justitia, sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore vivere.* Gratiæ id tribuunt quod sufficiat, non tantum ad peccatorem plenè instruendum de eo quod facere debet, sed etiam ad eundem roborandum, ut faciat id omne quod debet. Veruntamen, Deum miseratorem generis humani adeò præcisè cum peccatoribus agere nolle, ut damnare eos velit, si vel in minimum delictum aliquod incidant, vel non in summo perfectionis gradu Deum ament: Deum pro paterna sua bonitate & indulgentia omnia infirmitatis delicta condonare velle, & crimina etiam gravia, si modo seria pœnitentia & propositum studiumque ea vitandi, non leve, non desultorium, non inaccuratum, sed quale Deo ipsi probatur interveniat. Quo circa eos gravissimè errare credunt, qui statuunt, fieri non posse ut quisquã in hac vita sic vivat, ut non ut plurimum peccet: II. Ut licet sanctissimus sit non habeat tamê nisi exigua tantũ initia ejus obedientiæ, quam Deus à nobis postulat. Utrumq; hoc ipsius diaboli aut diabolicæ securitatis pulvinar est.

Duo securitatis carnalis pulvinaria.

Alterum effatum, inquit Censor, *non minus Pelagianum est, in quamcunque partem se vertant Remonstrantes, ac proinde & à Scriptura atque experientia alienum, Deum sc. statuisse ejusmodi conferre gratiam peccatoribus, per quam idonei & apti redduntur, ad præstandum id omne quod ab illis in Euangelio postulatur.* Censura hæc I. meram habet elenchi ignorationem. Nam Remonstrantes planè non agunt hoc in loco de eo, quod Deus gratiam sufficientem conferat peccatoribus omnibus & singulis, quocunqne tandem tempore vixerint, aut victuri sint.

Manifesta elẽchi ignoratio in Censore redarguitur.

Nihil

Nihil minus. Imò contra, non agunt hic nisi de gratia, quæ datur & confertur iis, qui per Euangelium vocantur, prout luce clarius patet ex ipsis verbis eorum, quæ hic Censor citat. Dicunt enim peccatoribus à Deo gratiam conferri, *per quam idonei & apti redduntur ad præstandum id omne, quod* (NB) *ab iis in Euangelio postulatur*. De iis itaque agunt ad quos *Euangelii postulata* pertinent: Et clarius adhuc idem patet ex verbis sequentibus, ad finem usque; deinde, ex parag. 2. quo duorum membrorum, præcedenti paragrapho propositorum, prius expposituri, dicunt, *Deum gratiam sufficientem largiri peccatoribus, cum eos* (N B) *ad se per Euangelium vocat, ipsisque sub promisso vitæ æternæ & contraria mortis æternæ comminatione fidem & obedientiam seriò præscribit*. Vana itaque & prorsus aliena est parenthesis Censoris, quam post vocem *peccatoribus* inseruit (*Nempe omnibus & singulis, hoc enim est de quo hoc loco controvertitur & quod passim in scriptis suis statuunt Remonstrantes*) Sed esto: Demus etiam hanc esse verborum istorum sententiam (quamquam certum est eam verborum istorum sententiam hic non esse, Neque enim vel Verbulo hic de gratiæ universalitate agunt Remonstrantes, ut ex antedictis liquet.) Esto inquam, demus hanc esse sententiam hujus paragraphi, eam tamen Pelagianam esse tam notoriè falsum est, ut necesse non habeant Remonstrantes in omnes partes se vertere, prout Censor ridiculè loquitur, ad hoc demonstrandum. Demonstrarunt id satis prolixè Gerard. Vossius Historiæ suæ Pelagianæ lib. 7. part. 1. Thes. 3. & 4. Marcus Anto. de Dominis lib. 7. de Repub. Eccles. cap. 11. aliique complures, ut verbum addere tantundem esset, atque Soli lucem fœnerari: Nempe innumeris Sole clarioribus testimoniis evincunt, sententiam istam Patres primorum sæculorum omnes in universum tenuisse, ipsumque adeò Augustinum variis in locis eam tenere videri voluisse. Prosperum verò eandem non tantum tenuisse, sed & Augustino cæterisque omnibus Catholicis Episcopis attribuisse. Ad objectiones etiam istas ipsas, quas hic Censor movet, ex Scriptura & experientia, quid respondeant iidem Patres, ex professo ibidem recitant. Vide pag. 693. Hist. Pelag. &c. ut ad eas responderi hic à nobis jam non sit necesse. Tantum expendemus exceptionem quam Censor ipse hic fieri posse ait, quia ex responsione ad illam tota hujus litis decisio pendet. *Si dicatis*, inquit, *ut dicere soletis, Deum tamen eos non reliquisse sine testimonio, sed dedisse legem naturæ, nos id libenter concedimus*. Nempe, magnum est beneficium hæc tam liberalis & ultronea concessio. *Sed quod additis, Si ea rectè usi fuißent, Deum illis gratiam Euan-*

Sententia Remonstrantium de gratia sufficiente & universali communis veterũ Patrum omnium sententia est.

gelicam fuisse revelaturum, tum vos necessario statuitis Legem naturæ esse partem Euangelii. Quis adeo Lynceus, qui hanc Academicam consequentiam videat? Contrarium potius sequitur. Ergo Lex naturæ non est gratia Euangelica: Nam quomodo aut quorsum gratiæ Euangelicæ revelatio succederet, si Lex ipsa naturæ gratia Euangelica esset? Tantum sequitur, Ergo usus Legis naturæ rectus prærequiritur ut gratiæ Euangelicæ revelatio à Deo obtineatur. Deinde ait, *Sic necessariò statuitis gratiam Euangelicam dari secundum merita, vel bonos motus voluntatis humanæ, quod in Pelagio olim damnavit Ecclesia vetus.* Nec hoc sequitur; Nam rectus Legis naturæ usus, non idcirco dicitur fieri naturæ viribus, quia prærequiritur ad obtinendum gratiam Euangelicam. Imò contra, quotquot unquam fuerunt Patres, qui statuerunt (penè autem omnes in eo consenserunt) Deum iis, qui Lege naturæ rectè utuntur, gratiam Euangelicam revelaturum, ii statuerunt rectum illum legis naturæ usum, non fieri auxilio virium naturalium, sed beneficio communis & generalis gratiæ, quam virtutem supernaturalem & gratuitam vocant, per quam naturales vires, per se alioquin ineptæ & inidoneæ ad Legem naturæ præstandum, aptæ & idoneæ redduntur ad eam præstandum, sive, ut Scholastici loquuntur, in actu primo sufficientes ad benè operandum. Sic enim statuunt, hominem non posse seipsum disponere viribus naturæ, sive per actus liberi arbitrii sui ad gratiam regenerationis, ita ut faciendo viribus naturæ, quod in se est, supernaturalem gratiam mereatur, id est, ut Patres voce meriti utuntur, pro mercede consequatur, si non ex condigno, saltem ex congruo gratiam supernaturalem, sed opus habere ut præveniatur à gratia sive virtute aliqua supernaturali & gratuita, qua potens reddatur ad viribus naturæ rectè utendum, & vocationi divinæ, quomodocunque illa fiat, non repugnandum. Ex hoc autem sequitur immediatè, ipsum salutis initium tribui debere divinæ gratiæ: proinde *gratiam non dari secundum merita nostra*, sed, ut Concilium Palæstinum loquitur, *ab ea originem ducere merita nostra.* Atque hac ratione evertebatur funditus sententia Pelagii, Cælestii & Juliani, qui in eo consentiebant, quod nos promereamur gratiam supernaturalem, qua adjuvamur in operibus bonis, per opera solius naturæ viribus præstita, saltem per desiderium & imperfectam cupiditatem boni, prout prolixè & variis in locis Historiæ suæ Pelagianæ probat Clariss. vir Gerardus Vossius, & nominatim lib. 3. part. 2. Thes. 11. Ex his quam sit inanis hæc Censoris consequentia constare satis potest:

Qua ratione funditus evertatur sententia Pelagii, Cælestii & Iuliani.

test: Sed Remonstrantes, uti dictum est, litem hanc consulto hic & per totam declarationem suam subterfugerunt, rati abunde sufficere, si intra vocatos starent, & assererent atque evincerent, gratiam sufficientem conferri omnibus, qui per Euangelium vocantur, ut divinæ vocationi parere & ex præscripto voluntatis ejus obedire possint; relinquentes Deo & divino arbitrio dispensationem gratiarum suarum circa cæteros homines, qui per Euangelium non vocantur, & malentes interim cum tota Antiquitate credere: I. Gratiam communem & generalem omnibus istis à Deo collatam esse & conferri, per quam idonei facti fuerunt & fiunt, ut Deo vocanti in suo statu pareant. II. Eos qui beneficio gratiæ istius Legi naturæ obsequuntur, Deo gratos esse, & vel salute æterna per extraordinariam gratiam donari, vel beneficiis majoribus gradatim à Deo affici, ut ad salutem æternam pervenire possint. III Deum semper jus istud sibi reservare, ut indignos etiam, & qui gratia ista communi non recte utuntur, gratia Euangelii sui donare possit, ubi, quando & quos vult. Hæc inquam malentes credere, quam cum Prædestinatoribus confidenter adserere, Deum nullis eorum, nisi nominatim ad id electis, gratiam ullam, aut fecisse, aut facere, per quam idonei facti sint; aut fiant ad Legem naturæ præstandum & ulteriorem gratiam divinam consequendum.

Sententia Remonstrantium de generali & communi gratia.

Paragrapho II. ait Censor, *speciatim de vocatione quæ per Euangelium fit, agitur.* Inepte; non agitur speciatim hic de ea, quasi paragrapho I. de alia aut generali actum fuisset. Nihil minus: Sed tantum prius membrum paragrapho I. propositum, ex ordine tractatur ac deducitur. Quare, quod de vocatione, quæ per Legem fit, Censor hic addit, impertinens & futile est. Quod subjicit æque impertinens atque ineptum est: *Eam vocationem in Scripturis interdum appellari electionem ad gratiam* inquit, *nos recte intellectum non negamus; Sed quod ad hanc vocationem referunt loca, 1. Cor. 1. 26. 2. Tim. 1. 9. & 1. Pet. 2. 9. per quam gratia sive externa sola, sive interna offertur tantum, id perperam faciunt Remonstrantes.* Inepte, inquam; Nam quomodo hæc vocatio, sive electio fiat, an ita ut offeratur tantum gratia, an vero ut etiam conferatur, an sit vocatio cum effectu, an sine effectu, hic non definiunt Remonstrantes, imo diserte in fine paragraphi negant se ejus rei rationem habere, cum de electione ad gratiam, sive de vocatione hic agunt: Tantum dicunt, electionem, sive Vocationem hanc, significare in citatis locis electionem, quæ electio ad gratiam dicitur sive ea cum effectu sit, sive sine effectu, non

Inepta allegatio loci ex 1. Cor. 1. 26. redarguitur.

vero eam,quæ contradiſtinčte ab ea vocatur electio ad gloriam. Quare, cum Cenſor multis probare conatur in priore loco ad Corinth. non de alia quam de efficace vocatione agi, extra lineam abit. Tantum vero etiam abeſt, ut Remonſtrantes de alia vocatione iſthic agi ſtatuant, ut contra non niſi de ea agi perſuaſiſſimum habeant. Sed, per vocationem efficacem intelligi vocationem,cui illi, qui ſic vocantur, *ex vi vocationis non poßunt non reſpondere*;id vero(quamquam ad rem hic non facit)plane falſum eſt. Nec vel ſpeciem probationis habet, quod pro ſe hic adducit Cenſor. Nam quæ ratio conſequentiæ eſt, Tam ſapientes potentes & nobiles ſecundum carnem,quam ignobiles & infirmi externa vocatione vocantur, quum Apoſtolus tamen dicat, pauperes præ divitibus à Deo vocatos & electos eſſe. Ergo vocatio & electio, de qua hoc loco agitur, eſt vocatio ejuſmodi efficax, ex cujus vi vocati vocationi reſpondent. Quis arenas has connectat? Sequitur quidem ex eo vocationem hic intelligi quæ cum effectu eſt, ſed vocationem intelligi, quæ effectum iſto modo, quo Cenſor vult, producat, ne veriſimiliter quidem ſequitur. Locus Iacobi, qui ad confirmationem adducitur à Cenſore, nec agit de electione ad fidem, quæ cum effectu eſt, ſed de electione ad gloriam, quæ vocationem cum effectu ſequitur, quatenus electio ſignificat (uti cap.ſeq. dicitur parag.2. ubi etiam hic locus Iacobi adducitur) peculari acceptione purum putum actum divinæ voluntatis,quo pauperes, eo ipſo quod credant divinæ vocationi, gratos & acceptos habere vult, & eodem loco cenſere, quo peculia & κειμήλια, ſive electa bona ſua homines cenſere ſolent, ut opponatur electio Dei contemtui illi & contumeliæ, qua pauperes à quibuſdam afficiebantur, cum iis divites & locupletes, licet alioquin parum Chriſtianos, præferrent, & quaſi ex reliquo cætu ſeligerent,uti ex textu manifeſtum eſt.Nec bona fide citatur à Cenſore, cum inſerit verba iſta, *ut ſint* divites in fide: *ut ſint* enim, in textu non eſt, & non niſi abſurde infarcitur textui, quamquam de eo acriter contendere hic nolumus; ut ut enim ſit, ſemper eodem redibit res, An electio intelligatur ejuſmodi,cujus vi fiat, ut,qui eliguntur,electioni ſive ſegregationi,quam Deus à parte ſua facere vult, non poſſint non obtemperare,quamquam nec hujus etiam rei ratio hic à Remonſtrantibus habita fuit uti jam ante diximus. Quare,cum diſtinctionem Electionis ad gratiam ab ea, quæ electio dicitur ad gloriam, quam Remonſtrantes hic fecerunt, Cenſor carpit, aliena agere videri voluiſſe, aut egiſſe ſaltem,dicenduseſt.

Perperã citatio loci ex Epiſtola Iacobi cap.2. 5.redarguitur.

Poſthæc

Posthæc sequitur cavillus ad id, quod Remonstrantium declaratio asserit, *vocationem effici & perfici per prædicationem Euangelii, & ei adjunctam virtutem Spiritus*, quem nos ut indignum responsione, quippe ex mera suspicandi libidine natum, hic præteribimus. Constat enim Remonstrantes in publicis scriptis suis communi nomine editis, nominatim in Actis & Scriptis suis Synodalibus, (quod enim hic aut ille statuat statuerit ve ad rem hanc non facit) credendi potentiam in iis, qui vocantur, à Deo immediate productam semper præsupponere. Negare autem potentiam omnem irresistibilem, seu immediate & distinctè à verbo actum fidei in voluntate efficientem, sive (quod tamen inimaginabile & inexplicabile est) verbo ipsi adspiratam, & cum verbo simul (aut, ut ineptissimè hic Censor loquitur *distinctè*) eam producentem: Per eam enim, quomodocunque concipiatur, verbi totius, quatenus præcipit fidem sub promisso præmii & pœnæ comminatione, naturam, proprietatem, & vim atque efficaciam tolli necesse est. Fidem enim serio præcipere, & simul cum præcepto isto irresistibiliter aut immediatè in eo, cui fides præcipitur, fidem producere, sunt planè ἀσύστατα. Moralis & physica vel meta- aut-hyperphysica fidei productio ut conjungantur plane absurdum & Deo injurium est.

Cavillatio Censoris de Spiritus S. operatione à verbo distincta, cum verbo tamen conjuncta, rejicitur, & vera sententia Remonstrantium indicatur.

Post cavillum hunc sequitur, non Censura, sed quæstio: *Quærimus*, inquit, *An hanc virtutem & quidem profectam ex gratiosa & seria intentione salvandi, eoque ad fidem adducendi eos omnes, qui vocantur, semper verbo externo conjunctam esse statuatis, & sine ullo hominum, qui vocantur, discrimine? Hoc ex vestra hypothesi statuere cogimini, & verba sequentia, eos omnes qui vocantur, hoc postulant.* Ita est, quamquam certum est Remonst. verba ista, *Omnes qui vocantur*, non nisi ad eos, qui primitus ad fidem vocantur, hoc loco restricta voluisse. Agunt enim diserte de vocatione, quæ ad ingenerandum fidem facit, uti ex verbis ipsis liquet: Quæstio enim illa, An Deus cum iis, quos diu gratiosa sua vocatione, dignatus est, & qui longa ac pene invincibili contumacia vocationi isti divinæ restiterunt, eodem modo agat, expendetur in sequentibus, ubi tamen etiam exposuerunt satis aperte sententiam suam Remonstrantes, non quod damnent secus sentientes, sed quod cum iis non sentiant, nolentes cum iis acriter idcirco contendere. Alia enim ratio videri potest contumacium & præfracte longoque tempore divinæ vocationi obluctantiũ, seq; ipsos indignos divinæ vocationis beneficio propria & diuturna sua culpa reddentium, quam eorum, qui primitus ad fidẽ vocantur, Esto itaq;, generalis

Spiritus S. virtus an semper verbo externo conjuncta statuatur à Remonst. sine ullo hominum qui per Euangelium vocantur, discrimine.

neralis hæc sit sententia Remonstrantium hoc in loco, uti revera eorum est sententia. *Quid est ergo*, inquit Censor, *quod paragrapho 8. ubi hæc repetuntur, quædam adjungitis, quæ hanc universalitatem evidenter restringunt, quando dicitis, Spir. S. omnibus & singulis sufficientem gratiam conferre*, quibus verbum fidei ordinariè prædicatur? *Quid enim significat illud*, Ordinariè, *nisi statuantur à vobis aliqua exempla extraordinaria, in quibus Spir. S. hanc virtutem non adjungat?* Nulla hic restrictio est. verba illa, *Quibus verbum fidei ordinarie prædicatur*, addita sunt à Remonstrantibus, non eo, quo Censor conjicit fine, sed planè contrario, ut significarent se extraordinarias Dei vocationes in computum hunc recensere nolle, in quibus fieri potest ut Deus excellentiore & nobiliore aliqua virtute quosdam vocatos dignetur, imprimis eos, quorum opera ad aliorum hominum conversionem uti vult. Extraordinarias ejusmodi actiones Deo liberas semper manere indicatum voluerunt, ex iisque de ordinaria Dei vocatione judicium faciendum non esse. Supremus enim & nulli juratus Dominus ac Legis-lator, non ponit sibi ipsi legem, sed semper jus sibi suum integrum reservat extra ordinem agendi, prout libet. Deinde, addit Censor, *Quid etiam significat illud, aut confert gratiam, aut saltem conferre paratus est? Nam qui semper & in omnibus virtutem suam verbo adjungit, ille non tantum paratus est ad gratiam illam sufficientem, ut hic vocatis, conferendam, sed revera confert?* Idcirco hoc posterius additum est, quia fieri potest, ut, quibus hæc gratia sufficit pro hoc tempore, pro alio tempore, puta, in gravibus aut diuturnis tentationibus, non sufficiat. Virtutem itaque hanc dicunt à Deo non statim aut quolibet momento conferri, sed Deum paratum esse ad eam conferendam, id est, ad virtutem intendendam aut augendam, ut pro virium ac temporum ratione sufficiens sit. Quare, quod hic Pelagianismi venam latere posse dicit Censor, vana conjectura, & mera suspicandi ærugo est. Nec minus imperita hariolatio est, quæ sequitur; *Video*, inquit, *ubi vobis aqua hic hæserit, Manifesta quædam exempla S. Scripturæ, quorum vim hoc modo declinare voluistis, in quibus perspicuè adseritur, Deum aliquando, ad judicia sua exercenda, mittere præcones, & ad homines ingratitudinis & contumaciæ suæ convincendos.* Quin Deus aliquando præcones mittat, ad judicia sua exercenda, & ad convincendos homines ingratitudinis & contumaciæ, nihil dubitant Remonstrantes. Loca allegata id non obscurè arguunt: Veruntamen, tantum abesse arbitrantur Remonstrantes ut Deus judicia sua exercere & homines ingratitudinis & contuma-

Quorsum addita sint à Remonstrantibus verba, *Quibus verbum ordinarie prædicatur.*

Quorsum addita sint in declaratione verba hæc, *Aut confert gratiam aut conferre paratus est.*

ciæ per præcones ſuos, quos ad eos mittit convincere, aut velit, aut jure poſſit, ſi ex ſeria & gratioſa intentione ſalvandi eoſque à rebellione & contumaciâ aut impediendi, aut revocandi, præcones iſtos non mittat, ut contra indubiè ſtatuant, idcirco homines ingratitudinis & contumaciæ à Deo convinci, aut judicia contra eos, ut ingratos & contumaces, exerceri non poſſe, quia cum ſeria intentione homines iſtos ſalvandi, eoſque à rebellione aut contumacia liberandi præcones iſtos ſuos non mittit. Quæ enim ingratit do locum habere poteſt contra eum, qui beneficium facere non vult, ſed facere tantum videri vult? Quæ contumacia contra eum, qui non vocat cum intentione ſalvandi, aut benefaciendi? Contra hypocritam crudelem nemo ingratus eſſe poteſt. Contra immiſericordem illuſorem nemo contumax. Atqui crudelis hypocriſis & immiſericors illuſio eſt, ingratitudinis aut contumaciæ convincere videri velle eos, quos Deus jam ante ob nullam propriam eorum culpam, æternum perditos & à ſpe ſalutarium omnium beneficiorum ſecluſos voluit. Dicet fortaſſe Cenſor, Se loqui de ingratitudine & contamacia, reſpectu præcedentium Dei beneficiorum, quæ homines iſti contemſerunt. At fruſtra, Socinus & qui cum eo ſentiunt ita ſtatuunt, Deum circa eos, qui longa & diuturna contumacia ſua ſ dignos reddiderunt propria ſua culpa quovis Dei ſupplicio, ejuſmodi admirandis judiciis occupari, ut eos nonnunquam *incitet, impellat, imò cogat* ad peccandum & rebellandum, ſicque ingratitudinem & contumaciam eorum publicè quaſi traducat, uti variis ejus ſcriptorum locis videre eſt: & hæc ſententia ſpeciem ſanè aliquam juris ac veri habere videtur, ſaltem tolerabilior eſt. Sed, ut idem Cenſor dicat, non ſinunt ejus dogmata. Nullum ſalutare beneficium, quod Deus vocatis iſtis fecerit aut facere voluerit, præmittit ingratitudini & contumaciæ eorum: Deus, juxta Cenſorem, nunquam eos ſalvare seriò intendit, imò intendit eos ab æterno non ſalvare, ſed perdere, & ab omni ſalutis ſpe & ſalutarium beneficiorum communione relinquere ſecluſos: Vocat eos, non quia ſalvare eos vult, aut quia ſalvatos eos cupit, ſed ut, cum perditos eos cupiat, ſalvare tamen velle videatur. Ingratitudo itaque & contumacia eorum alia nulla eſt, quam quod, cum non poſſint nulla ſua propria culpa grati eſſe, grati non ſint, & cum non poſſint non contumaces manere, contumaces ut ita dicam, ſint; adeò ut in primo vocationis momento, non minus contumaces ſint, quã ſi per annorũ aliquot myriadas vocarentur, & variis vocationibus à Deo afficerentur. Ingratitudo & con-

Deus neminem ingratitudinis aut contumaciæ arguere jure poteſt, quem ſerio propoſitum ſibi non habuit à comtumacia & ingratitudine immunẽ præſtare.

& contumacia eorum nuda nomina ſunt. Peccatum Adami,&,quod ex eo, nulla ſua propria culpa contraxerunt, peccatum Originis, eos adamantinis vinculis tenet conſtrictos, ut non poſſint non, tam in principio quam in medio & fine, Deo vocanti obluctari. Atque hæc eorum ingratitudo contumacia vocatur, eodem, credo, jure, quo rupes aut ſcopulus contumax vocatur, qui reſpuit aquas, à quibus alluitur. Pudet hæc tam turpia, tam fœda, tam inſana multis refellere.

Loca quæ citat Cenſor perperam citantur. Non enim agunt de fine, quem Deus propoſitum ſibi habet, cum præcones ſuos ad ejuſmodi homines mittit, etiamſi verba ita ſonare videantur; ſed de eventu, qui præter intentionem & contra, ut cum Scripturis loquar ſpem atque expectationem Dei, Eſaiæ 5. ex libera ac non prorſus invincibili contumacia, & ſic verè propria culpa eorum exſtitit, proinde qui potuerat ac debuerat non exiſtere, &, qui ut non exiſteret, Deus à parte ſua, quantum in ſe erat, ex animo adlaboraverat, pro ut ex loco Ioan. 16. verſ. 8. quem hic Cenſor citat, clarè liquet: *Spiritus Sanctus*, inquit textus, *arguet vel convincet mundum de peccato, eò quod non credunt in me.* Non credunt enim hic aliud nihil ſignificare poteſt, quam non volunt credere, cum debeant & poſſint in me credere, & ego omni ope adnixus fuerim ut in me vellent credere. Agitur enim de peccato omnium maximo, quodque graviſſimo ſupplicio Deus vult afficere, id eſt, de infidelitate, quæ Spiritus Sancti diſtributionem ſecutura erat, & peccatum in Spiritũ Sanctum vocatur, quo niſi ſtatuatur eos carere potuiſſe, quæ ratio tam grandis punitionis? Quod ſi velimus de infidelitate in genere, aut de peccandi conſuetudine ex infidelitate nata hic agi, nihilominus τὸ *non credunt* exponendum eſt, per, Non volunt credere, cum poſſint ac debeant credere. Id enim diſertè patet ex cap. 5. 34. *Hæc dico ut ſervemini*, Sed verſ. 40. *vos non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Non veni*, ait Servator cap. 12. 47. *ut condemnem mundum, ſed ut ſervem mundum. Qui rejicit me, nec recipit* (id eſt recipere non vult, cum debeat ac poſſit recipere) *verba mea, habet qui condemnet ipſum. Sermo quem locutus ſum illi, damnabit eum ultimo die.* Sermo enim iſte Chriſti damnare eum non poſſet ingratitudinis & contumaciæ, niſi ſupponatur eum potuiſſe recipere ſermonem iſtum, & tamen noluiſſe. Cæcus enim nulla ſua propria culpa, (quid dico aliena?) cæcus natus, non poteſt ingratitudinis & contumaciæ damnari nedum convinci, quod Solem in meridie lucentem, non adſpiciat, aut colores à luce

Conſilium & eventus diſtinguuntur.

Locus Ioannis 16. verſ. 8. adſeritur à prava Cenſoris interpretatione.

à luce illustratos non contempletur. Hinc patet quam sit frivolum quod sequitur. *Neque verò*, inquit Censor, *quicquam ad rem facit hæc exceptio, quod Deus quidem antea paratus fuerit gratiam eam conferre, & efficaciam Spiritus ad eos convertendos idoneam verbo suo conjungere voluntate antecedente, sed contumacia & ingratitudine hominum eorum esse factum, ut Deus alium sibi finem proposuerit voluntate consequente; quia, qui hoc dicit, fatetur nihilominus aperte Deum non semper in eum finem verbum suum proponere, ut homines per illud convertantur, sed nonnunquam in alium finem, nempe, ut suæ contumaciæ magis ac magis convincantur, &c.* Nequaquam sane. Non enim fatetur idcirco, nedum ut fateatur aperte, convincere istud, esse finem proprie quem Deus intendit, sed fatetur tantum eventum esse, qui consequitur ex eo, quod Deus, cujus finis propriè est homini isti benefacere, eumque ad gratitudinem excitare, id quod intendit non assequatur. Deinde, esto, fateatur id (ne logica hæc ac scholaris lis fiat) non tamen fatetur id alio sensu, quam quia supponit à parte Dei non stetisse, quo minus iste homo ingratus & contumax esse desineret, id est, quia extra dubium ponit, Deum isti homini sufficientẽ gratiam dedisse, ut ingratus & contumax non esset. Alioquin finem istum habere, id est, convincere eum ingratitudinis & contumaciæ non posset. *Deinde*, inquit, *qui hoc dicit, is necessario fatetur Deum esse mutabilem, &, cum antea intentionem haberet eos convertendi, Deum, fine illo frustratum, alium finem sibi præstituere, idque sæpè & vicissim, prout hominum contumacia, vel augetur, vel minuitur.* Inepta sanè consequentia. Mutabilitatis hic ne species quidem est, Non enim mutat Deus intentionem salvandi, quia non habuit intentionem nisi hypotheticam, si vid. homo ipse sponte sua rebellis & ingratus esse aut manere nolit: Eadem illa hypothetica intentio manet: hypothesi autem non existente manet constans Dei voluntas & jam ante deliberata intentio puniendi ingratum & rebellem. Nisi ita esset, tum demum vere mutaretur Dei voluntas. Hæc res tam clara est ut palpari possit vel à Tyrone, mirum ni ab Academico Doctore. Si aliter credit Censor, explicet itaq; nobis quomodo cũ SapiẽtiaDei cõsistere possit, quod conqueratur toties in Sacris de eo, quod *Consiliũ suum aspernentur* homines, quod *frustra laboret*, quod ad puniendũ homines penè adigatur, *quod cum eos punit*, alienũ opus faciat, aliaq; in eandem sententiam plura. Nam si Deus unicum tantum finem sibi propositum habet, quo frustrari nec vult, nec potest, quemque adsequitur semper, sive homines convertantur, sive non convertantur; sive obediant, sive rebellent, quis querelæ,

Non sequitur Deum mutabilem esse, si finem sub conditione intentum, non adsequatur.

quis lachrimis, quis obtestationi locus est? Sanè, sic ex Deo histrio, & pantomimus fit, qui personam & larvam in theatro sumit & deponit, id est, qui, quod non est, videri vult. Hoc est Deum fingere non tantum mutabilem, sed hypocritam & simulatorem crudelissimum: hoc ipsum enim quod fingit, eo fine fingit, ut majorem damnandi, & gravius puniendi occasionem nanciscatur.

Paragrapho III. expenditur distinctio vocationis in sufficientem & efficacem. Censor admittit distinctionem rectè intellectam. Ac primum sufficientem gratiam quod attinet: *Concedimus*, inquit, *omnes illos, qui per Euangelium vocantur, sufficienter vocari, id est, Deum ex sua justitia non obligari ad eos aliter vocandos, quam revera vocat, & per illam vocationem eos coram Dei judicio, omni excusationis prætextu sufficienter privari, si non convertantur, quia culpa, cur non convertantur, in ipsis solis hæret, &c.* Mira sufficientis gratiæ definitio. Eodem jure insufficientem eam vocaveris. Quid enim hoc ad rem facit, an Deus ex justitia sua obligetur, ad eos aliter vocandos, an non? & si non obligetur, an non sufficienter per illam vocationẽ vocati priventur omni excusationis prætextu, eò quod non obligetur Deus ad eos aliter vocandos? Sufficiens enim gratia non dicitur in ordine ad Deum, sed in ordine ad hominem, cui gratia fit: Alioquin nullam prorsus gratiam facere, aut saltem multò minorem, imò gratiæ guttulam minimam dare, idem esset quod gratiam sufficientem dare. Ratio est, Quia Deus ex justitia sua non obligatur, juxta Censorem, ad ullam, aut saltem ad majorem gratiam conferendam, & per vocationem istam, cum minima licet gratia conjunctam, vocati coram Dei judicio omni excusationis prætextu sufficienter privari dicentur, si nõ convertantur, eodem jure, quia culpa, cur non convertantur, in ipsis peccatoribus hæret. Et sanè, eadem prorsus ratio hic militat. Quævis enim etiam minima gratia tantũdem valet atq; hæc, quam sufficientem hic vocat Censor. Quid est vocabulis ludere, si hoc non est? Sed nil mirum: Revera enim sufficiens gratia nudum nomen est Calvinistis, & titulus sine re. Nulla sufficiens gratia est, quæ nõ ex forma sua efficax est, ut Censor loquitur. Omnis gratia, quæ in actu secundo efficax nõ est, ea insufficiens ipsis est. Et sanè, quis sanus dixerit homini ob crimen suum proprium adamantinis catenis constricto sufficientem gratiam dari exeundi ex carcere, cui carcer aperitur, & qui cum lachrimis, querelis, precibus, rogatur etiam atque etiam, ut ex carcere exeat, manentibus pedicis ac numellis, quibus alligatus est? Atque hæc gratia, si sufficiens vocari non meretur,

Ridicula sufficientis gratiæ definitio quam Censor facit, redarguitur.

retur, ubi culpa ejus, cui ea fit, propria vinculorum ejus caussa est; quomodo jure sufficiens vocabitur, si eadem fiat homini, qui nulla sua propria voluntate, sed prorsus aliena miser est? Sed esto; demus etiam hoc pacto sufficientem gratiam intelligi posse, falsum tamen est utrumque, videlicet Deum non obligari ex justitia ad tales aliter vocandos; & tales ita vocatos, coram Dei judicio, sufficienter privari omni excusationis prætextu. Alterum ex altero sequitur. Deum obligari ex justitia sua ad eos aliter vocandos, aut vera sufficiente gratia donandos, inde patet; quia eos vocat sub promisso excellentioris præmii, si pareant vocationi, & comminatione gravioris pœnæ, si ei non pareant. Repugnat autem justitiæ divinæ è diametro, per vocationem reum aliquem facere majoris pœnæ, cui gratiam vere sufficientem non dedit, ad evadendum pœnam istam, & contrarium promissum præmium consequendum. Nec refert quod is, qui ita vocatur, (per culpam suam an alienam, hic ad rem non facit) impotens redditus sit ad pœnam istam evadendum, aut vocationi divinæ obtemperandum: Hoc ipsum enim, quod per culpam suam impotens factus sit, sufficere non potest ad hoc, ut jure Deus actum istum, qui in eo non potest non locum habere ob impotentiam istam, quæ in eo est, ex.g. non receptionem verbi, rejectionem Euangelii, pro actu ingratitudinis aut contumaciæ censere, hominemque propter actum istum, ut talem actum, reum possit facere gravioris, nedum gravissimæ pœnæ. Iustitia humana non permittit, nedum divina, ut quis eum, qui sibi ipsi contra legem oculos effodit, vocet ad legendum aliquid, &, quia non legit, eum idcirco præfactum ac rebellem nuncupet, & propter rebellionem, tanquam novam & justam punitionis caussam, graviore pœna afficiat: Atque hæc res si certa est, quæ ratio justitiæ divinæ dabitur, cum istos ita, ut Censor ait, vocat, quos nulla sua culpa proprie impotentes reddidit, aut si Adami culpam, propriam etiam eorum culpam voces, quos Deus ipse, ob culpam istam, per justam, ut vocant, punitionem, viribus omnibus supernaturalibus orbavit, atque ita impotentes ipse reddidit? Qui hic justitiæ divinæ locum esse posse, & hisce talibus omnem excusationis prætextum coram Deo ademtum esse ait, næ ego ei optem sanius judicium, &, si ex numero reproborum istorum esset, æquiorem judicem. Se ipsum reprobi alicujus loco ponat, & jurare ausim quod ilico mutaturus sit sententiam, & excusationis justissimum prætextum se habere palam sit exclamaturus. Nulla enim justior excusatio, quam quæ ab impotentia desumitur, imprimis quæ

ex inflicta pœna est. Sed de efficace gratia videamus. An vid. efficax gratia vocetur efficax à forma sua, ut Censor ineptè loquitur, sive, ut Scholastici, ex se an à solo eventu. Hoc à Remonstrantibus, istud à se suisque asseri dicit. Res indiget explicatione, ne erretur. *Efficax gratia* tripliciter spectari potest, ut Scholastici notant. I. *Præcisè* secundum naturam, aut, ut Censor loquitur, secundum formam suam, quatenus vid. gratia actualis quædam motio est, voluntati à Deo immissa, quæ talis est naturæ, ut non solum habeat vim & efficacitatem formaliter excitandi in voluntate consensum, sed etiam affectivè concurrendi cum voluntate ad consensum, per modum caussæ partialis. Hoc modo gratia sufficiens & efficax non distinguuntur. Nam hoc ipso quod gratia dicitur sufficiens, intelligitur habere sufficientem vim alliciendi voluntatem, & cum illa effectivè producendi consensum. Hæc autem vis sufficiens nihil aliud est, quam quædam efficacia, saltem in actu primo. II. Spectari potest efficax gratia *ex parte modi, quo Deus eam confert*, quatenus vid. eam accommodat personis, temporibus & circumstantiis, quibus positis prævidet futurum, ut ea effectum sortiatur, atque ita efficax fiat. Atque hæc gratia hoc modo administrata congrua gratia solet vocari & distingui à non congrua. Hæc gratia efficax est, non à forma sua, sive ex se, sed ex modo procedendi, quo Deus utitur, qui fundatur in prænotione Dei, qua præscit infallibiliter, gratiam, si isto tempore, tali loco, cum talibus circumstantiis offeratur, certo certius effectum sortituram, quem alio tempore, alio loco, &c. administrata sortitura non esset. III. Spectari potest efficax gratia *ex parte effectus* quem habet, quando voluntas ei cooperatur. Sic enim efficax vocatur, non ex se aut forma sua, nec ex modo procedendi, quo Deus utitur sine respectu ad liberam hominis cooperationem, sed ex eventu, sive ex libera cooperatione hominis. Quod tamen potest dupliciter accipi, ut rectè nonnulli notant. Primò sic, ut gratia statuatur ex se nullam habere vim sive efficaciam ad producendum consensum in voluntate, sed tota efficacia ejus sit ex parte voluntatis humanæ. Secundò sic, ut statuatur gratia habere ex se sufficientem vim, ad producendum consensum in voluntate, sed, quia vis illa partialis est, non posse exire in actum sive effectum sortiri sine cooperatione liberæ voluntatis humanæ, ac proinde, ut effectum habeat, id est, ut in actu secundo sit efficax, pendere à libera voluntate. Primum sensum ut falsum & alienum à mente sua & sanorum omnium Theologorum rejiciunt Remonstr. Alterum suum esse volunt,

Efficax gratia quot modis dicatur. Præcisè.

Ex parte modi.

Ex parte effectus quem habet, quando voluntas ei cooperatur.

volunt, idque non obscure indicant, cum gratiam dicunt vocari efficacem ab eventu potius, quam à sola intentione Dei sic dicta, quæ sc. effectum suum salutarem reipsa sortitur. His ita præmissis videamus quid Censor asserat.

Nos ergo contra vos, inquit, *asserimus cum Ecclesia Orthodoxa adversus Pelagianos, aut eorum reliquias Massilienses, gratiam Dei efficacem non tantum hoc efficere, ut possimus converti, ita ut ipsa deinde conversio relinquatur in nostra libertate, sed ut revera & certo convertamur, in Christum credamus, & ejus mandatis obediamus.* Assertio hæc ut contradicat assertioni Remonstrantium elucidanda est. Est enim obscura, & tumida simul ac timida. Subscribere ei posset Remonst. prout jacet sine ullo scrupulo: Quis enim dubitet affirmare gratiam efficacem esse eam, quæ efficit ut revera & certo convertamur? Nemo nisi amens de eo dubitaverit. At de eo non quæritur. Aliud agitur, & pressius disputandum est in re tanti momenti. Sensus adsertionis hujus hic statuatur necesse est; Gratiam efficacem esse motionem divinam, seu actionem Dei Physicam, quæ ex se determinet voluntatem ad consensum; ita ut voluntas non modo consentiat revera ac certo, sed ut non possit non consentire divinæ vocationi. Hic cardo vertitur. Nec dubium est, quin hæc sit Censoris mens, & eorum, qui cum eo sentiunt, quicquid eam aperte profiteri non audeant. Dicit quidē Censor paulo post, *gratiam, qua Deus utitur in iis qui convertuntur, esse gratiam quæ administratur tum per sapientiam, tum per potentiam;* sed aut in vocibus sapientiæ & potentiæ ludit, cum ita loquitur, aut quid dicat non intelligit. Gratia enim, quæ administrari dicitur per sapientiam, proprie est gratia congrua, quam penitus respuit Censor, utpote liberi arbitrii hostis acerrimus. Gratia vero quæ per potentiam administrari dicitur, est determinans physica gratia. Utramque enim illam concurrentem facere in opere conversionis, stultissimum est. Postrema itaque gratia hic necessariò intelligenda est. Enimvero hujus gratiæ adsertio contradicit assertioni Remonstrantium directè. Probat eam Censor duobus modis. I. Ex Scripturæ locis. II. Ex consensu Veteris Ecclesiæ contra Pelagianos & Massilienses.

Quid gratia efficax Censori sit.

Primum. Scriptura testatur id multis in locis, inquit, & loca aliquot citat nuda, & sine ulla probatione. At hoc non est ex locis disputare, sed loca numerare. Quasi vero non eadem aut totidem coacervare possint pro se Remonstrantes. Turpe sane est & indignum Doctoribus Academicis, tam perfunctorie agere caussam, quam

tanti momenti esse existimat. Sed nos nihilominus eavideamus. Primus locus desumtus est ex Esa. 42. 16. *Et ambulare faciam cæcos per viam, quam non noverant, & per semitas, quas non cognoverant, incedere faciam eos, ponam tenebras coram eis in lucem, & obliqua in rectum. Hæc faciam eis, & non derelinquam eos.* Quis, etiamsi locum hunc in mortarium conjiciat, extuderit ex eo sensum pro determinante gratia? *Per cæcos* enim hic intelligi inconversos, per *facere, ambulare per viam quam non noverunt*, intelligi conversionem, quæ determinat voluntatem, qua vel specie probabitur? Vatablus sane per *cæcos* hic intelligit *Romanos, quasi dicat Propheta*, inquit, *Quum educam Romanos è suo regno, nescient quo ituri sint.* Verisimillimum est respici ad præcedentem versum, ubi dixerat Deus, *Ponam flumina in insulas, & stagna siccabo.* Cui subjunguntur hæc verba; *Et ambulare faciam cæcos*, id est, populum meum, qui cæci instar non vidit viam istam, nec credere unquam potuit isthic viam esse, per quam ambulari possit, puta, per flumina & stagna. *Ponam etiam tenebras in lucem coram eis*, inquit Deus, id est, faciam ut quæ veluti tenebrosissima & inaccessa loca erant, plana fiant ac lucis instar patentia ante oculos eorum. Breviter, & in summa, cumulabo eos inopinatis & pene incredibilibus beneficiis, cum eorum miserebor, qui, etiamsi indigni sint quorum miserear, tamen idcirco à me beneficiis afficientur, quod, rejecto sculptili, mei unius cultu se oblectant. Quicquid sit, certum est tam controversum, & allegoriis plenum locum in fronte locorum Sacræ Scripturæ collocare, esse malæ ac tantum non desperatæ caussæ signum. Posito enim quod hic verius agat, sub metaphorica locutione, de spiritualibus beneficiis, quibus populum suum adfecturum se promittebat Deus; an inde inferetur talis prædeterminantis gratiæ promissio? Contrarium potius inde inferri non posse tantum, sed etiam debere (ut jam alia non allegemus imprimis vers. 20. 24. & 25. hujus ipsius cap.) hæc unica ratio evincit; Quod Deus hic promittit se aliquando, temporibus vid. Messiæ, uti interpretes volunt, gratiã & beneficium istud populo præstiturum. At gratiæ determinantis beneficium semper locum habet, juxta Censorem, ubi conversio locum habet. Itaque aut nulli tum conversi erant in populo, cum hæc promittebat Deus, aut si erant, jam tum ambulare faciebat cæcos per viam, quam non noverant, nec minus id faciebat tum, quam olim fecerat, & porro semper facturus erat. Quomodo itaque hic promittitur gratiæ determinantis beneficium? Sed abeamus ex tam obscuro allegorico & male allegato loco

Locum Esaiæ cap. 42. 16. à Censore inepte adductum esse ostenditur.

loco. Is quem deinde ex Esaia citat Censor capite isto non exstat, nec facile conjicere est quem designet. Ad locum Ezech. 36. 26. transeamus, qui speciosior apparet. Hic ita sonat: *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in medio vestri, & auferam cor lapideum è carne vestra, daboque vobis cor carneum, & Spiritum meum dabo in medio vestri, efficiamque ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & faciatis illa.* Hoc in loco contineri singularis alicujus beneficii promissionem, certum est utrimque. At beneficium istud esse gratiæ efficacis, id est, gratiæ voluntatem ad Deo obediendum determinantis beneficium, probandum fuerat Censori. Nos contrarium potius ex textu concludi posse ac debere evincimus ex eo, quod promissio hæc toti populo Israelitico hic fiat, & quidem talis promissio, quæ non nisi *post multos dies* implenda erat. Ratio consequentiæ per se plana est. Promissio determinantis gratiæ non pertinet nisi ad paucos, uti Censor cum suis statuit, nominatim ad id electos, & ea non minus jam tum isto tempore, quo hæc promissio fiebat, implebatur, quam post istos dies implenda erat. Semper enim & ubique eodem modo locum habet, atque impletur. Semper enim eodem modo electi convertuntur. Minor patet ex verbis Ieremiæ, ubi quin eadem promissio contineatur dubium non est, cap. 31. 31. ex ratione Fœderis & natura rei. Verba textus apud Ieremiam sunt, quæ etiam Scriptor ad Heb. citat cap. 8. 8. 10. *Ecce dies veniunt, & pangam cum domo Israel, & cum domo Iuda Fœdus novum*; item, *Istud est Fœdus, quod feriam cum domo Israel, post dies istos, &c.* Per domum autem Israel & domum Iehuda, hic intelligi electos ab æterno ex utraque domo ista, nulla prorsus ratione nititur, & per se absurdum est, quia per utramque domum istam disertè notantur ii, in quibus cor & Spiritus vetus erat, in quibus cor non carneum, sed lapideum erat: per quos, si velit Censor hic denotari electos in populo, tum fateri cogitur, nullum fuisse in populo isto conversum, aut qui cor novum & carneum haberet, quo tempore hæc promissio fiebat. Præter electos enim non fuerunt in populo nisi reprobi. At nec reprobi habuerunt cor carneum, nec electi, quia alioquin id dari iis opus non fuisset: Ergo nulli: &, cum promissio hæc effectum sortitura dicatur post dies multos, adeoque non nisi temporibus Messiæ, uti Scriptor ad Heb. non obscurè indicat, & interpretes penè omnes agnoscunt; fateri cogitur usque ad tempora ista neminem conversum futurum fuisse. Quid absimilius vero? *Fœderis* ratio idē evincit, quia Fœdus dicitur *Novum*, quod in V. Fœderis locum successurum

Locus Ezechielis 36. 26. à pravo Censoris sensu vindicatur.

Expenditur eadem opera locus Ierem. 31. 31.

cessurum

cessurum erat. Fœdus autem Vetus cum toto populo initum fuerat: Ergo & Novum. Dupliciter autem crediderim Fœdus hoc Novum vocatum fuisse à Deo. I. Respectu novi istius beneficii, quod Deus populo, in captivitate Babylonica tantum non perdito, facturus erat, cum eum ex eo liberaturus esset, & sic de novo sibi adserturus & obligaturus, eique deinde veluti populo noviter nato & creato, novas quasi leges, quæ in captivitate ista ferè obliteratæ & antiquatæ fuerant, laturus erat. II. Respectu beneficii omnium maximi, quodque Deus præcedente isto veluti typo adumbratum voluit, videlicet, quod temporibus Messiæ facere in animo habebat; quo sensu existimaverim istud ad tempora Euangelii referri ab autore ad Hebr. Iam autem ex utroque Fœdere patet, promissionem hanc ad totum populum directam fuisse, quia omnes, qui Fœderi isti typico primum, & Fœderi deinde Novo, propriè sic dicto, sese non subjecerunt, ii eo nomine reprehenduntur & accusantur, *quod benefactorem suum post tergum suum rejecerint*, quod *duri cervice & incircumcisi corde manserint*, quod *frontem suam adamantis instar induraverint*, quod *gratiam divinam, Fœdere isto comprehensam, respuerint*, quod *diem salutis non acceptaverint*, quod *Spiritui S. restiterint*, quod *sanguinem Fœderis, per quem fuerant sanctificati, profanum duxerint, & spiritum gratiæ contumeliâ affecerint, &c.* Quæ omnia & plura alia dici non potuissent, nisi Deus Fœdus hoc novum ad istos etiam, ac proinde ad populum totum pertinere voluisset. *Natura rei* confirmat idem evidenter; quia si promissio hæc, juxta Dei intentionem, non pertinet ad totum populum, sed peculiariter tantum ad eos, quos nominatim electos Censor vocat, jam dicat necesse est, Deum promittere futurum demum *post dies istos*, aut, si ita velit, diebus Messiæ, id, quod antea semper factum fuerat, quod eo ipso, quo hæc Deus promittebat, tempore, fiebat, & quod futurum semper erat ad consummationem usque sæculi, id est, Deum promittere hic se efficaci, id est, physicè determinante gratia usurum, cum electos suos convertet, quâ tamen gratia semper à principio ipso mundi usus fuerat, quâ tum eo ipso tempore utebatur ad convertendum electos suos, & qua porrò semper usurus erat ad finem usque mundi, eodem semper modo ac mensura. Fidem enim eodem modo, eâdem efficacia in mentibus electorum effici Censor statuit: Determinans enim gratia in indivisibili consistit. Hæc jam absurda esse palpabilia, an non sentis Censor? Adde, Quod si dicatur Deum hoc loco promittere, se istâ efficacia usurum demum post dies illos, & tempus illud, quod post dies

Quo sensu Fœdus Novum dixerit Ieremias.

Argumentum ex natura rei.

dies illos erit, intelligas de tempore Messiæ, tum necesse est ut dicas, omnes eos, qui tum vivebant, & inter tempora ista morituri erant, non tantum fuisse reprobos, sed scivisse etiam, aut scire saltem ex hujus promissionis sensu, quem Censor ei tribuit, potuisse, se æternum omnes & singulos reprobatos fuisse atque à privilegio istius gratiæ decreto peremtorio seclusos. Quos enim Deus speciali ista gratia determinante dignari non vult, quæ cor eorum lapideum auferat, &c. eos reprobavit ad æternam mortem, sine ulla misericordiæ spe. Hæc an non sint, non dico, inepta, sed horrenda, lector, cogita. Quod si non obstantibus hisce tam claris rationibus, nihilominus verba textus urgere velit Censor (uti eum facere conjiciendum est; Non enim argumentatur ex textu, sed textus verba nudè tantum citat) tum dicimus, ex istis etiam nihil elici posse, quod solidam probandi vim habeat: I. Quia verba ista activa, *dare, creare, efficere, illuminare, facere ambulare, mundare, sanare, convertere, trahere*, &c. Deus aliquando tribuit sibi ipsi, aut Scriptura tribuit Deo, quando Deus ea facit, quæ ad effectum, quem verba ista notant, producendum singularem & peculiarem aliquam vim habent; etiamsi effectum ipsum ex se non producant, vel etiamsi ad ea effectus non sequatur, propter intervenientem liberam & insperatam eorum, circa quos ista fiunt, & in quibus effectum sortiri debebant, malitiam & obstinationem. Expressa loca vide Ezech. 24. 13. *In immunditia tua* (id est, in scelere adhuc, sc. es) *eo quod* (NB) *mundavi te & non es mundata* Tahartich velotahart. Ose. 7. 1. *Quum sanarem Israel, discooperuit se iniquitas Ephraim, & malitiæ* Someron, quod cap. 11. vers. 3. clarius enunciatur, dicitur enim isthic Deus *dilexisse Israel, & ex Ægypto vocasse Filium suum; illum autem sacrificasse Baalim*. vers. 2. *Sanasse Ephraim, & tamen Ephraim non agnovisse quod sanasset eum*, vers. 3. *funibus hominum traxisse eos, funibus caritatis*, vers. 4. *& tamen noluisse converti*, vers. 5 *quoniam*, inquit textus, *noluerunt converti*. Ita Jerem. 15. 9. dicitur, *Curavimus Babylonem, & non est sanata*. Eodem sensu passim in Scripturis legitur, quod falsi Doctores *faciunt averti populū*, quando faciunt quantum in se est ut populus avertatur, Jere. 23. 22. Ita falsi Prophetæ dicuntur *facere confidere mendacio*, Jer. 29. 31. Et Cananæi *avocaturi filios Israelitarum post se*, Deut. 7. 4. Similia loca plura sunt. Non quod facta eorum semper eventum sortiantur, nedum quod fieri non possit ut non sortiantur eventum, sed quia facta ista eum in finem fiunt, & ad effectum istum producendum comparata sunt. Eodē sensu dicitur Christus,

Evincitur rationibus aliquot verba textus pro Censoris sententia non facere, ut inde inferatur determinantis gratiæ necessitas.

lux mundi, illuminans omnem hominem venientem (vel veniens) *in mundum*, Ioha. 1. 9. Deus *Servator omnium hominum*, 1. Tim. 4. 10. *reconciliare sibi mundum in Christo*, 2. Cor. 5. 19. *agere ad resipiscentiam etiam eos, qui ἀμεταvόητον cor habent*, Rom. 2. 4. aliaque. Idem de verbis hisce, quibus hæc promissio continetur, statuendum esse, hæc argumenta demonstrant. I. Quia apud hunc ipsum Prophetam cap. 11. 17. ubi eadem hæc promissio facta legitur, verba ista, *dabo vobis cor carneum*, &c. allegantur tanquam ratio, qua futurum dicitur, ut amoverent omnia detestabilia terræ istius, omnesque abominationes ejus ex ea, & tamen statim immediate post ista verba subjicitur, *Et quorum cor ambulat* (nihilominus scilicet) *ad cor contaminationum eorum, viam eorum dabo in caput eorum*, vers. 21. Quod sane ridicule admodum subjiceretur præcedentibus, si quidem ibi efficacia talis promissa statuatur, quæ voluntatem eorum ad amovendum abominationes, &c. determinatura erat. II. Quia Deus expresse nobis etiam mandat & serio quidem, *ut faciamus nobis cor novum & Spiritum novum*, Ezech. 18. 31. ut *nos converti faciamus ab iniquitatibus nostris*, ibid. vers. 30. 32. ut *vias nostras bonas faciamus*, Iere. 7. 3. & cap. 18. 2. & cap. 26. 13. Hoc mandatum quomodo obsecro decet sapientissimum Deum, si ipse promittit se ad conversionem nostri uti velle ea efficacia, quam non potest non sequi conversionis effectus? III. Quia Deus conquestus apud populum, adeoque populo exprobrasse aliquando legitur, quod ei *non dedisset cor ad intelligendum*. Deut. 29. 4. cum videlicet ea omnia fecisset, quæ ad cor intelligens in ipsis efficiendum longe erant aptissima, quod fieri non potuisset, si datio cordis ejusmodi significaret dationem, quæ non potest non sortiri effectum, nisi velimus Deum de se ipso conqueri, quod absurdum est. IV. Quia non obstante hac promissione contrarium tamen accidisse post expletos dies istos legimus; quod indubitatum signum videri debet, hanc promissionem de determinantis gratiæ permissione intelligendam non esse. Sive enim dies restituti populi ex captivitate, sive dies ipsius Messiæ videas, non rediit tamen iste populus (paucos semper bonos excipe, ii enim omni sæculo fuerunt) ad frugem, non desiit habere cor lapideum & cervicem duram, uti ex infinitis locis V. & N. Testamenti liquet, verba Stephani sunt clara Acto. 7. 51. *Duri cervice & incircumcisi corde & auribus, vos semper resistitis Spiritui illi Sancto, quales vestri Patres fuerunt, tales & vos estis.* Dicere hanc promissionem effectum suum habuisse in paucis istis electis, quos tum Deus speciali sua efficacia honorabat, est effugium

admodum vanum. Nam & ſic effectum ſuum habebat divina gratia, cum incuſabat dies illos, quibus tamen dicitur populus cor carneum non habuiſſe, ſed *lapideum, & non ſtetiſſe in priore fœdere*. Itaq; dicendum, Novum Fœdus, quod promittitur poſt dies illos futurum, jam tum eo ipſo tempore, quo promittebatur, locum habuiſſe, atque ita fuiſſe cum non eſſet, quo quid abſurdius? Ex his colligitur non obſcure, promiſſionem hanc non poſſe intelligi de promiſſione gratiæ, uti vocant, determinantis ſive efficacis talis, quam effectus non poteſt non ſequi, ſed intelligendam eſſe de tali operationis modo, qui ſingularem & admirabilem vim habiturus erat, ad corda populi totius, licet alioquin valdè à divinorum præceptorum obſervatione alienata, amore Dei & legum divinarum de novo accendendum & inflammandum, adeoque in officio & fide ſemper retinendum, ſic tamen ut res, quamquam non veriſimiliter, tamen adhuc aliter cadere poſſet, id eſt, ut vel non inflammaretur amore iſto, vel inflammatus ſemel iterum refrigeſceret, & ad ingenium rediret. Hoc ſenſu phraſis hæc è medio hominum uſu petita dicetur, uti Eraſmus & alii obſervarunt; Sic enim dicere ſolent, Ego alium virum ex te faciam: Ego eximam tibi iſtum ſuperbum Spiritum, & faciam ut humilior ſis ac me reverearis, &c. Quo ipſo tamen non indicatur, Deum non plus in converſione noſtri facere, quam homo facit in homine ſed tantum oſtenditur, Phraſin hanc non ſufficere, ut ex ea formetur argumentum pro talis operationis modo, qui efficaciam dicit phyſice determinantem & quam non poteſt non ſequi effectus. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Ex hujus loci explicatione colligi facile poteſt, quid ad cętera loca Cenſoris, in quibus verbũ *Dandi* uſurpatũ legitur, reſponderi poſſit ac debeat. *Dare* enim dicitur Deus ſæpenumero, quãdo aliqua aut procurat, aut permittit ab aliis fieri, doceri, agi quæ occaſio eſſe poſſunt homini ad faciendũ quod Deus vult, id eſt, quæ Deus à parte ſua, quantũ in ſe eſt, facit; ſicut è contrario apparet, cum dicitur Deus *dare quibuſdam Spiritum ſoporis, oculos ut non videant, aures ut non audiant*, Rom. 11. 8. ut enim dicatur Deus cum iſta dare dicitur, efficacia determinante hominum voluntatem uti, quis niſi væcors dixerit? Hoc ſenſu dicitur, Act. 5. 31. *Deum exaltaſſe Ieſum Chriſtum in principem ac Servatorem, ut daret reſipiſcentiam Iſraeli & remiſſionem peccatorum*; quia vid. occaſionem luculentiſſimam Iudaico populo daturus erat ad reſipiſcendum à peccatis ſuis, & remiſſionem peccatorum æternam conſequendum. Et Actor. 11. 48. Dicitur Deus *gentibus dediſſe reſipiſcentiã ad vitam*, quia videlicet divino conſilio

Solvitur argumentum quod ex verbo, *Dare* Cenſor deſumit.

factum fuerat, ut gentibus etiam prædicaretur Euangelium contra quam Iudæi existimabant fieri debere, & Apostoli etiam, usque ad istud tempus, crediderant. Ratio manifesta est, quia hic Israel & gentes in genere nominantur, ut indicetur toti vel utrique isti populo gratiam istam à Deo factam esse. Non enim certarum personarum ratio hic habetur, quibus beneficium istud factum dicitur, sed populi totius sive communitatis utriusque in genere, ad quam divina hæc gratia pervenisse dicitur. Fieri tamen potest ut *Dationis* vox in postremo loco Act. 11.18. posita fuerit, pro datione quæ cum eventu conjuncta fuit, non quidem, qui ex modo operationis alicujus determinantis exstitit, sed qui exstitit ex cooperatione gentium liberrima. Dare enim, ut Iureconsulti ipsi affirmant, dicitur is, qui accipientem invenit, non qui facit ut quis idquod datur aut offertur actu accipiat. Hoc enim Dationis vox non importat, uti cuilibet vel leviter consideranti manifestum est. Unde & Jureconsulti distinguunt inter Dare cum eventu seu Tradere, & inter dare sine eventu vel effectu, quando quis donum sponte sua respuit, aut oblatum accipere non vult. Locus Joëlis valde perperam allegatur: Nam in eo non agitur de datione sive effusione Spiritus, quo fides efficitur, sed de datione donorum istorum miraculosorum Spiritus, quæ Deus in servos & ministros suos effusurus erat, ut idonei & apti redderentur ad prædicationem Euangelii intrepidè faciendum & sic confirmandum, ut inde occasionem luculentam haberent omnes eidem adsentiendi & parendi, prout disertè patet ex citatione hujus loci, quam Petrus facit Act. 2. ubi impletum esse dicit in festo Pentecostes id, quod per Joëlem Deus prædixerat & promiserat de effusione miraculosorum donorum variorum Spiritus S. per Messiam, futura temporibus ultimis: Apparet autem ex historia, Dona ista Spiritus data non fuisse nisi jam credentibus & adsentientibus Euangelio, uti Act. 5. 32. diserte affirmatur. *Et nos sumus testes eorum quæ dicimus, atque etiam Spiritus S. quem dedit Deus iis, qui dicto sunt audientes ipsi:* Ad Philipp. cap. 1. 19. dicitur, *vobis datum est pro Christo, non solum in ipsum credere, sed etiam pro ipso pati.* At quomodo inde efficietur quod datio hæc significet efficientiam physicam determinantem? Contrarium inde satis liquet, quod Apostolus disertè Philippenses moneat, ut lubenti ac forti animo afflictiones omnes tolerent, & propter illas ab instituto suo dimoveri se nullo modo patiantur. Monere autem seriò aliquem, ut in tolerando perseveret, & eidem indicare; quod Deus per determinantem efficaciam

in eo

in eo operetur ut perſeveret in tolerando, ſapientem monitorem non decet. Quæ enim foret illa monitio: Agite, tolerate forti ac lubenti animo omnia, Deus enim efficit in vobis, ut non poſſitis non forti ac lubenti animo omnia tolerare? Senſus autem loci per ſe planus eſt: Ne afflictiones quæ vobis obveniunt, vos ab inſtituto veſtro deterreant, quaſi indignum aut iniquum ſit vos, cum bonitatis & ſanctimoniæ æmulatores ſitis, adverſa & mala, tanquam maleficos, ſubire ac tolerare, quin potius ab iis ipſis argumentum ſumite, cur in bene agendo conſtanter perſeveretis, quia inde colligere poteſtis vos Deo eſſe cariſſimos, qui, quos omnium maxime amat, eos honore iſto dignatur, ut pro Chriſto ſuo patiantur, & gloriam nominis ejus illuſtrandi occaſionem habeant. Magna Dei dignatio eſt, quod Deus creaturam ſuam facere velit vas illuſtrandæ gloriæ Filii ſui, prout Petrus ait 1. Epiſt. cap. 2. 20. 21. & Apoſtoli fatebantur Act. 5. 41. cum virgis cæſi gaudentes irent à conſpectu Concilii Hieroſolymitani, quod digni habiti eſſent, qui pro Ieſu Chriſto contumeliam paterentur, quod ſanè non de conſtantia in ferenda contumelia, ſed de ipſa contumeliæ, ut ita dicam, ſubitione intelligendum eſſe planiſſimum eſt. Ex hoc efficitur, verbum *Dandi* non tantum ſervire non poſſe Cenſori, ad probandum id, quod probare debuerat; ſed contra ad probandum id, quod impugnat. Locus qui ex cap. 2. ejuſdem Epiſtolæ verſ. 13. allegatur, *Deus enim efficit in vobis & velle & perficere pro beneplacito*, non probat etiam quod probandum eſt. Nam I. in eo non agitur de efficacia illa, quâ Deus fidem operatur in mente aut voluntate noſtra, ſed de efficacia, quâ Deus utitur in nobis, qui jam credimus; dicitur enim ὁ ἐνεργῶν, non autem ὁ ἐνεργήσας, oppoſitè ad efficaciam, qua Deus hujus ſæculi dicitur ἐνεργεῖν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, Eph. 2. 2. II. Quia non dicitur in textu, ſi verb. præciſe urgere velimus, Deus efficit in vobis ut bene ac recte velitis ac perficiatis, ſed tantum, Deus efficit in vobis velle & perficere, id quod longè alium ſenſum habere poteſt. Supponit enim Apoſtolus in Philippenſibus jam eſſe bonam voluntatem, quia jam fideles erant, ſed dicit Deum, ne illa bona eorum voluntas langueat & quaſi jaceat, excitare, accendere, inflammare illam à parte ſua, ut eam, quantum in ſe eſt, in perpetuo vigore retineat, quod multis modis fieri poſſe manifeſtum eſt. III. Quod ſi verò omninò velimus hæc verba accipere de ipſa illa operatione Dei, qua bonas etiam volitiones operatur in fidelibus, imo etiam de operatione iſta divina, qua primitus in nobis fidem efficit, nihil tamen

Expenditur locus ex Epiſt. ad Philip. cap. 2. 13.

efficietur, quia in textu non dicitur, quomodo Deus ista in nobis operetur, sed tantum, quod Deus ista in nobis operetur. At hic non quæritur de re, an videlicet, Deus ista operetur, sed de modo rei, quomodo vid. ista operetur. Adde insuper, modum istum operationis, qui efficaciam notat quam non potest non sequi effectus, ex ista phrasi colligi non posse. Nam sane homo etiam, qui homini aliquid suadet, eumque suadendo permovet, ut velit aut faciat aliquid, seu bonum, seu malum, in familiari sermone efficere dicitur in homine isto velle & perficere, neque tamen efficaciam ullam determinantem adhibuisse propterea dici potest. Et Apostoli dicuntur, eos, quibus Euangelium annunciant, *gignere, regenerare, aperire oculos eorum, convertere eos à tenebris ad lucem, à potestate satanæ ad Deum, imo cogere intrare* : Et diabolus ipse dicitur ἐνεργεῖν in filiis contumaciæ, Eph.2.2. Et ipsum Euangelium dicitur ἐνεργεῖν in fidelibus 1.Thes.2.13. Deinde, contrarium non obscure colligitur ex textu, Apostolum vid. phrasi ista modum istum operationis non voluisse significare. Nam I. Si modum istum operandi intelligi voluisset, tum mandati sive hortationis suæ, immediate ante hæc verba positæ, proprietatem ac vim funditus evertisset, quod sapientiam Apostoli, imo boni Monitoris non decet. Quid enim aut ineptius, aut inefficacius, quam monere, Operamini salutem vestram cum timore, & statim rationem hanc subjicere, Quia Deus in vobis ut operemini salutem vestram cum timore ac tremore efficit ea efficacia, qua fieri non potest, quin operemini salutem vestram cum timore ac tremore? II. Scopus Apostoli id non permittit, Nam Apostolus hortatur Philippenses ad humilitatem & modestiam, ut ne quicquam faciant per contentionem, aut inanem gloriam, sed ut, ex humilitate animi vera, alius alium præstantiorem se existimet, idque non tantum cum ipse præsens apud eos esset, sed multo magis cum absens esset; hoc argumento; Æquum est ut salutem vestram operemini, id est, ut faciatis quod ego moneo opus esse ut à vobis fiat, si salvari vultis, non tantum quando & quamdiu ego præsens sum, sed multo magis cum à vobis absum. Tum enim quasi immediate coram ipso Deo versamini, coram quo cum timore ac tremore, id est, humillime & solicitissime semper in officio vestro versari vos æquum est; sic enim phrasis hæc usurpatur, Eph.6.5. Quia Deus est, qui, sive ego præsens sive absens sim, primus author est omnis boni, quod in vobis est, quia ille primus effecit & efficit adhuc quotidie, quantum in se est, ut velitis & perficiatis, prout ipsi placet glorificare nomen suum per vos, sive ut beneplacitum

suum

ſuum ad effectum perducat;id enim videtur ſignificare Præpoſitio ὑπὲρ.
Hunc ſcopum quomodo potuiſſet Apoſtolus propoſitum ſibi habere, ſi perſuaſum voluiſſet Philippenſibus per rationem iſtam ſubjunctam, *Deus enim efficit*,&c. Deum in ipſis, per prædeterminantem gratiam, efficere iſtam ipſam ſolicitudinem & curam operandi ſalutem, ad quam eos hortabatur? Superſediſſet hauddubiè potius,qua erat prudentia Apoſtolus, aut à labore iſto hortandi, aut ab allegando rationem iſtam, per quam animis Philippenſium fortius eximi poterat cura & ſtudium, quam per hortationem poterat inſeri. III.Falſum videri potuiſſet dixiſſe Apoſtolus, imo revera falſum dixiſſet: quia hortatio ejus de operando ſalutem directa eſt ad omnes Philippenſes: Atqui, ſi ratio ſubjuncta, *Deus enim efficit*, &c. ſignificaret efficaciam iſtam operandi, quam vult Cenſor intelligi, dixiſſet Apoſtolus Philippenſes omnes efficacia iſta donatos à Deo fuiſſe, cum contrarium manifeſtum ſit ex cap. 3. 18. & ex hoc ipſo cap. ubi non obſcurè indicatur ab Apoſtolo, fuiſſe inter Philippenſes, qui per contentionem & inanem gloriam multa agebant, quæ ſanè cum velle & perficere iſto, quod Deus in ipſis, juxta Cenſoris mentem, efficiebat, nullo modo poſſunt conſiſtere. Nec juvat, ſi dicatur hæc de electis & jam regenitis tantum eſſe intelligenda. Hoc enim ſi admittatur, tum neceſſe eſt, ut ex altera parte affirmetur, hortationem præcedentem,quatenus ſubjuncta ratione nititur, ad cæteros Philippenſes non pertinere, quo quid abſimilius vero? &, cum Paulus neſciret, quinam eſſent iſti, in quibus Deus iſto modo operabatur, neſciviſſe etiam eum quos hortaretur, aut quos neglectæ vel contemtæ hortationis ſuæ iſto argumento nixæ poſſet arguere. Locus ultimus eſt ex 2.ad Tim. 2.24.25.26. *Servum autem Domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe, &c. ſi quando*, vel, ſi fortè *det iis Deus reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis*. Beza inſeruit textui verbum, *experturum*, ſine neceſſitate, & dubio, ſi non admodum pravo ſenſu, quaſi de conſilio dandi hic locutus fuiſſet Apoſtolus: Μήποτε exponit per *Num quādo*, rectius facturus, ſi expoſuiſſet per εἰδήποτε vel εἴποτε; quo ſenſu uſurpatū legitur Luc. 3.15. At quam obſecro vim ad probandum habet hic locus? Tota vis in verbo *Dandi* poſita eſt. Ad ea vis, uti jam vidimus, plane nulla eſt. Sive enim *Dandi* verbum de conſilio dandi accipiatur, ſive de actuali datione, quæ cum effectu eſt, eodem res redit. Semper enim redibit quæſtio de dandi modo, præterquam quod datio, qua datio, cum determinatrice efficacia nihil prorſus habet commune, imo ſemper liberum aliquam,

Expenditur locus ex 2.ad Tim.2.24.25. 26.depromtus.

acci-

accipientem requirat. Nemo enim nolenti aut invito propriè aliquid dat, nedum qui, quod dare vult, mandat cum pœnæ comminatione, ut accipiatur. Textus verò haud obscurè arguit istum dandi modum non intelligi ab Apostolo, quem Censor ab eo intellectum esse vult. Ratio est: Quia ejusmodi Dationis modus, non modò nihil commune habet cum eo, quod Apostolus in ministris requirit ad hoc, ut apti sint ad docendum & ad permovendum ad resipiscentiam contrario animo affectus, sed planè id inutile reddit & evertit: Nam quid ad rem istam facit ut ministri erudiant contradicentes, & ad resipiscentiam eos adducant, quod, ut Apostolus vult, *alieni sint à pugnis & contentionibus, quod placidi sint, quod mansueti, cum lenitate erudiant dissentientes,* si datio resipiscentiæ à Deo ipso solo & à Dei immediatâ ac determinante actione pendeat? Sive enim Ministri istis qualitatibus sint prædití, sive non sint, datio ista divina non minus procedere potest, ac processura certò est, utpote ab illis qualitatibus independens. Adde, Quomodo non elumbis atque enervis erit oratio hæc tota Apostoli? Vos servi Jesu Christi sitis placidi, apti ad docendum omnes, lenes, mites, tolerantes, neque cessate à docendo, si forte Deus reperiens aliquem inter eos, quos docetis, Electum, occultâ & determinante gratia eum donare velit, & ad resipiscentiam sua propria irresistibili actione adducere? Quis ista tam dissoluta & dissita connectat? Cui non suboriatur statim hæc cogitatio, Si Deus ista ratione agit, cum homines ad fidem adducit, quid necesse est Ministros qualitatibus istis, in ordine ad finem sive effectum istum producendum, esse præditos? Sive enim iis præditi sint, sive non sint, effectus ille non potest non existere, posita ista Dei actione, & quando iis præditi sunt, hilum non faciunt ad effectum istum producendum. Legit quidem Beza textum hunc in modum, *Experturum num aliquando daturus sit Deus.* sed autoritate sua, & valdè ineptè. Quis enim Minister experiatur, an Deus alicui actione determinante resipiscentiam dare velit, vel daturus sit? Et in textu non est *daturus sit*, sed *det*, vid. per vos, vestramque istam lenem & accommodatam docendi rationem. Sic enim clarè liquet sententia textus hujus; Servos Domini oportet omnibus istis qualitatibus præditos esse, & studiose adlaborare ut qualitatibus ejusmodi præditi sint, quo idonei sint ad persuadendum & permovendum homines ad resipiscentiam, si fortè ista agendi ratione homines ad resipiscentiam actu permoveant, atque ita Deus, qui eorum ministerio ad homines ad resipiscentiam addu-

Refellitur Bezæ lectio.

adducendos uti, & sic per eos hominibus resipiscentiam dare ex animo vult, actu & reipsa iis resipiscentiam det, id est, ab illis obtineat ut resipiscant: dare enim cum effectu dici Deus non potest, nisi sint qui accipiant: Atque hinc patet vis orationis Apostolicæ, & qualitatum istarum, quas in Servis Jesu requirit, necessitas simul atque utilitas.

Atque hæc sunt ea loca quæ hic pro gratiæ suæ determinantis necessitate citavit Censor, tam nudè & crudè, ut dicis potius caussa & pro autoritate ea citasse, quam ut justa argumenta attulisse videatur. Nos ea prolixius excutere voluimus, ut quod iis insit pondus appareret. Huic fundamento subjungit alterum, *Consensum*, ut ait, *veteris Ecclesiæ*, sed pari negligentia, nisi quod verba Synodorum hic expresse citavit, Pontificiorum in morem, quasi autoritate Synodorum in hac caussa pugnare tutius certiusque sit, quam Sacræ Scripturæ: Sed quam sordidè atque infeliciter id fecerit, ex iis, quæ dicturi sumus, constabit.

Refellitur argumentũ Censoris de consensu veteris Ecclesiæ.

Primò citat Canonem II. Synodi Diospolitanæ, quæ Synodus tantum fuit Provincialis & 14. tantum Episcoporum, quam *Miserabilem Synodum* vocat Hieronymus Epist. 79. cui ipse Pelagius subscripsit, & in qua ipse Catholicus fuit pronunciatus, uti Augustinus ipse fatetur lib. 2. Retract. cap. 47. Esto, inquies, Pelagiana tamen sententia in ea fuit damnata. Fateor. At quænam illa fuit sententia? An hæc, de qua hic controvertitur? Nunquam id probabit Censor. Nec jota est in Synodo ista, quod sententiam istam, Pelagii sententiam fuisse, & ut Pelagianam damnatam esse arguit. Quid mirum? Pelagiani non eo erant Pelagiani, quod absolutum decretum aut gratiam præviam negarent, multò minus quod gratiam illam negarent esse gratiam prædeterminantem, sed tantum, quod gratiæ necessitatem negarent: dicebant enim hominẽ viribus naturalibus arbitrii sui sese posse ad Deum convertere, justificari, perseverare, & vitam tandem æternam consequi: Eum quidem adjutum à gratia facilius id posse, sed tamen posse etiam sine gratia. Atque hoc tantum in Pelagio, quod hanc caussam attinet, ut Pelagianum & hæreticum damnavit Antiquitas, quia per illud necessitas gratiæ prævenientis funditus tollebatur; De modo operationis gratiæ, Synodus nulla contra Pelagium unquam quicquam statuit, uti prolixè id probat jam aliquoties citatus Clariss. D. M. Gerardus Vossius, per totam historiam suam Pelagianam, & quotquot cum eo accuratius Antiquitatem sunt scrutati. Nec Synodi Diospolitanæ

De Synodo Diospolitana.

Canon, quem Censor citat, vel minimum quidpiam de modo isto, nedum de modi istius necessitate statuit, imò disertè satis id, quod diximus confirmat. *Victoria nostra*, inquit, *non est ex libero arbitrio nostro, sed ex Dei adjutorio.* At quid ista verba aliud sonant, quam gratiæ adjutorium necessarium esse, ut vincamus mundum, quod negabat Pelagius? De modo hoc operationis gratiæ tum ne lis quidem Patribus istis erat cum Pelagio. Quin imò, tantum abest ut Synodus illa, vel alia ulla, sive Carthaginensis præcedens, sive alia ulla subsequens in Oriente aut Occidente, damnaverit sententiam eorum, qui necessitatem gratiæ prævenientis agnoscentes, eam, gratiam determinantem & ex decreto aliquo absoluto semper efficacem esse negarent, ut contra omnes omninò tam Græci quam Latini Patres (uno fortè Augustino excepto, de cujus tamen sententia lis adhuc sub judice est) gratiæ efficaciam à decreto aliquo absoluto pendere, ac proinde ex vi illius decreti semper efficacem esse negaverint, prout fatetur disertis verbis Philippus Melanthon in cap. 9. ad Rom. cum ait, *Scriptores veteres omnes, præter unum Augustinum, putant aliquam causam electionis in nobis esse.* Nempe, statuebant eos esse prædestinatos ad vitam quos Deus piè rectèque libero arbitrio, à gratia præveniente & subsequente adjuto, usuros prævidit, sive, ut alii loquuntur, quos prævidit credituros & in bono perseveraturos; uti prolixè id probat idem Vossius historiæ suæ Pelag. lib. 7. Thes. 8. & passim alibi. Unicum Petri Molinæi testimonium hic citare libet, quod nuperrimè adhuc dedit *en sa nouveauté du Papisme* cap. 48. pag. 129. in 4. *Les Peres generalement devant Augustin, mesme au commencement ont creu, que Dieu avoit prædestiné les hommes à salut selon sa præscience que tels & tels feroient les bonnes œuvres, & auroient la foy. A ce consentement s'oppose hardiment le Jesuite Pererius, &c.* Massilienses verò sive Semi-Pelagianos, quos Pelagianorum reliquias Prosper Augustini defensor vocat, quod attinet, ii non fuerunt in ulla Synodo, non dico hæreseos ut Pelagiani, sed ne quidem erroris damnati, idcircò quod vel absolutum decretum improbarent, vel gratiam non ex se, aut vi decreti alicujus absoluti, sed ex eventu, sive cooperatione liberi arbitrii efficacem esse affirmarent: Nihil minus; sed tantum quod gratiam præviam non agnoscerent. Tantum verò abest, ut hos idcirco Pelagianis accensuerint, aut sententiam horum hæreseos damnaverint, ut eam non nisi erroris damnaverint, ejusque Patronos pro Catholicis, pro fratribus, pro Episcopis & compresbyteris dilectis habuerint, uti ex temporum istorum historia

Canon Synodi Diospolitanæ.

Gratiæ efficaciam à decreto aliquo absoluto pendere negavit tota fere Antiquitas, uno forte Augustino excepto.

Testimonium Petri Molinæi.

Massilienses in nulla Synodo damnati fuerunt, idcirco, quod absolutum decretum negarent, aut gratiam ab eventu efficacẽ esse affirmarent. Sed tantum, quod gratiam præviam non agnoscerent.

historia clare demonstrat idem Vossius in historia sua *Pelagiana*, lib. 6. Thes. 18. cum Pelagianos Ecclesiastica communione non dignarentur, & sacerdotio depellerent, adeoque urbibus ipsis extruderent. Atque hinc patet quomodo Canones Concilii Arausicani II. quod hic citat Censor, intelligendi sint, quod potissimum sibi propositum habuit Fausti sive Massiliensium non hæresin, sed errorem condemnare. Augustinum quod attinet, quem ultimo loco citat Censor, an ille gratiam efficacem prædeterminantem ex se, an ex modo operandi, qui libero arbitrio congruit, quæ gratia congrua vocatur, adseruerit, inter eruditos disputatur. Certissimum autem est, nec sententiam ejus de absoluto decreto, nec alteram, quæ ex priore fluit, de gratia prædeterminante sive physica sive congrua, vel superstite illo, vel proximo, post ejus obitum, sæculo, sive Romanæ sive orientalis ullius Ecclesiæ decreto approbatam unquam fuisse, imo constat utramque, etiamsi à nonnullis Occidentalis Ecclesiæ Antistitibus defenderetur, à multis, si non à plerisque, in Galliis imprimis, rejectam & reprobatam fuisse; ab omnibus vero Catholicis inter istas quæstiones relatam ac censitam, de quibus salva caritate ac pace in utramque partem, sine salutis periculo, disceptari poterat: Concilium tamen Arelatense & Lugdunense, quorum utrumq; circa annum Christi CCCCxc. celebratum fuit, non immerito videtur doctioribus sententiam Augustini damnasse, tantum abest ut ea in canonem relata dici debeat.

Massiliensium sententia nunquam hæreseos fuit damnata.

Augustini sententia de efficacia gratiæ.

Everso itaque utroque hoc Censoris fundamento, videamus jam porro quæ post hæc Censor carpit. *Primo*, inquit, *negant hanc vocationem efficacem esse ex præcisa intentione servandi.* Ita est. *Vocem præcise non moramur*, inquit. Esto. Vox tamen est emphatica, in familiari sermone apud ipsos Belgas, exoticis sæpe vocabulis ad majorem emphasin utentes, recepta, & ad distinguendum Remonstrantium & Contra-Remonstr. sive Prædestinatianorum sententiam apprime idonea: utrimque enim servandi intentio statuitur, sed apud istos conditionata, quæ fieri potest ut effectum non sortiatur, apud hos præcisa, sive inconditionata, quæ nunquam non effectum sortitur. *Dicimus esse*, inquit, *& quidem efficacem ex certa intentione Dei, hominem per hæc media servandi.* At quid si hic regerant Remonstrantes, vocem *certo* nos non moramur? Majori jure id ab iis fieri posset. Sed nolumus de vocibus digladiari. Res notior est, quam ut per vocabula obscurari possit. *Hoc nobiscum asserit Apostolus*, inquit, *Rom. 8. vers. 28. Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati*

Vox, *præcise*, injuria carpitur.

Ventilatur locus ad Rom. 8.28. à Censore citatus.

cati sunt. At cur textum non integrum sed mutilatum citat Censor? Textus integer ita habet, *Novimus autem, iis, qui diligunt Deum, omnia cooperari in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt*. Caussam sine dubio habuit Censor, cur textum hunc integrum non citaverit: Nempe sic integre prolatum contra se facere non obscure potuit videre, si ullo modo animum advertit, uti ex iis, quæ ante hac à nobis ad locum istum observata sunt, constat, & ex iis, quæ hic deinceps dicemus, plenius constabit: *Quod Remonstrantes hic excipere solent*, inquit, *per vocem propositi non intelligi propositum salvandi, sed propositum Dei, cui vocati tenentur obedire ineptum est, & alienum*: Quid & quomodo ad hunc locum contra Censoris explicationem Remonstrantes excipiant, ex Actis & Scriptis eorum Synodalibus liquet, in quibus prolixe hic locus ventilatus ab iis est. Breviter hic nunc dicimus, I. nullam causam esse, aut dari à Censore posse, cur *propositum*, de quo hic agitur, de proposito salvandi intelligendum sit, cur enim intelligi non possit, adeoque non debeat de proposito, quo Deus apud se constituit credentes in Christum & Deum diligentes, per crucem vocare ad gloriam? Certe antecedentia & consequentia id non modo permittunt, sed plane postulant. II. Sed posito etiam, per *propositum hoc* intelligi propositum salvandi, quid inde efficietur? Ergo de ejusmodi proposito salvandi agitur, quale Censor cum suis statuit? Nihil minus. Nec enim sequitur: Agitur de proposito salvandi, ergo agitur de proposito salvandi hos aut illos nominatim; Propositum enim salvandi Credentes, est propositum salvandi, & qui secundum illud propositum vocantur, ii vocantur secundum propositum salvandi: sed non idcirco statim vocantur secundum propositum salvandi, quo nominatim hos aut illos salvare Deus constituerit. III. Posito etiam de proposito isto agi, quo Deus nominatim hos aut illos, sive populos, sive personas, his aut illis temporibus, ac locis, proposuerit servare, præteritis aliis, nondum tamen sequeretur propositum hoc salvandi esse ejusmodi intentionem servandi certam, ut loquitur Censor, sive præcisam, ut nos loquimur: Hujusmodi enim propositum agnoscunt Sociniani, & qui cum iis sentiunt, quos tamen certum est propositum istud, sive intentionem istam præcisam Calvinianam respuere atque aversari. Adde his IV. Non modo caussam non esse satis gravē ullam, cur propositum hoc de tali proposite intelligi debeat; sed caussas & rationes gravissimas esse, cur de proposito tali intelligi non debeat. I. Quia vox propositi nunquam in eam sententiam accipitur ab Apostolo, ut certam sive præcisam,

Quid propositi vox in supradicto loco significet.

quæque nominatim facta sit, servandi intentionem significet. Quid autem phrasis κατὰ πρόθεσιν significet, ex parallelis locis duobus constare potest. 2.Tim.1.9. Qui servavit nos, & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed κατ' ἰδίαν πρόθεσιν καὶ χάριν. Eph.1.9. Patefacto nobis mysterio voluntatis suæ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, & v.11. προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος, κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, ubi per propositū sive πρόθεσιν τοῦ θεοῦ nihil aliud intelligitur quā decretū Dei gratiosum, quod Deus, nulla alia re extra se motus, intra & apud se, ex puro puto propriæ suæ voluntatis instinctu, fecit, quodque firmum ac stabile esse vult, opposite ad aliud omne propositum, quod vel Iudæi pro arbitrio suo apud se conceperant, Rom.10.2. vel à Deo ipso antea factum videri poterat, cum populo legem Moysis daret; decretum, inquam, hujusmodi gratiosum, quo credentes in filium suum, licet antea gravissimi fuerint Peccatores, justificare & salvare, & ad credendum ac resipiscendum sufficiente gratia donare decrevit. II. Quia alioquin tota hæc Apostoli divina enunciatio enervatur. Alterutrum enim necesse est ut fateatur Censor; Aut verba enunciationis Apostolicæ, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν, distinctionis ergo addita esse præcedentibus, vid. τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν, aut expositionis gratia, ut videlicet fons & origo, vel potius caussa indicaretur, qua factum fuit, ut illi diligant Deum. Utrum dixerit, ulcus tetigerit. Si distinctionis causa verba ista addita esse velit, tum necesse est ut dicat, Apostolum duos distinctos ordines eorum, qui diligunt Deum, facere; unum eorum, qui vocantur secundum propositum Dei, ad diligendum Deum; alterum eorum, qui vocantur quidem etiam ad diligendum Deum, sed non vocantur secundum propositum Dei. Apostolum autem velle verba sua intelligi, non de his, sed de illis, qui in ordine primo collocantur. At quis non videt hac distinctione nervum incidi huic enunciationi Apostolicæ? Nam si vera est distinctio ista, tum nulli eorum, ad quos scribebat Apostolus, applicare sibi poterant istam Apostolicam sententiam, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* quia certi esse non poterant, an, cum diligerent Deum, ex ordine eorum diligentium essent, qui secundum propositum Dei vocati erant ad diligendum. Etenim nec à priore scire poterant, quod dilectio illa, qua Deum diligebant, esset dilectio, quæ à vocatione secundum propositum Dei profecta erat, nisi hoc iis speciali revelatione à Deo patefieret. Quis enim propositum Dei cognoscat à priori, sine revelatione Dei? At hoc non re-

Censoris interpretatio refellitur.

velat Deus omnibus, imo nullis hoc ordinarie revelat, ut fatentur ii, qui cum Censore hac in parte eandem tenent sententiam. Nec poterant scire à posteriori: Nam sic ex ipsa dilectione scire id potuissent ac debuissent, quod absurdum est, si dilectio aliqua est, quæ non oritur ex vocatione secundum propositum Dei. Si posterius dicat Censor, vid. verba hæc expositionis gratia addita esse ab Apostolo, ut indicaret caussam, unde fides & dilectio Dei oriatur, tum non minus enervabitur orationis hujus Apostolicæ & totius Euangelicæ vocationis vis & efficacia. Nam sic supponetur, aliquos vocari à Deo ad salutem, quos ipse salvare, aut sufficiente ad salutem consequendum gratia donare sibi propositum non habet, imo, quos propositum sibi habet non salvare, nec gratia sufficiente donare, quod repugnat non tantum multis & evidentibus SS. Literarum testimoniis, quibus Deus expresse dicitur *velle omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire*, 1. Tim. 2. 4. *Non velle ut quisquam* (eorum quos vocat sc.) *pereat, sed velle ut omnes ad resipiscentiam tendant*, 2. Pet. 3. 9. & quibus adseritur, eos, qui Deo vocati parere nolunt, *consilium Dei contra se adspernari*, Luc. 7. 30. *indignos se judicare vita æterna*, Act. 13. 46. *non velle congregari, cum Deus velit*, Matth. 23. 37. *resistere Spiritui S.* Act. 7. 51. sed & sapientiæ, bonitati, & æquitati isti divinæ, quæ in omnibus Dei operibus elucet, & de qua Deus ipse gloriatur & contestatur apud populum suum. Quomodo enim sapienter, ac non potius ridicule? quomodo clementer, ac non potius crudeliter? quomodo serio, ac non potius Hypocritice & veteratorie agere dicetur Deus, si creaturas suas non modo miseras esse velit, absque propria earum culpa, sed & miseris illudere velit, vocando eas ad salutem & promissis, minis, querelis, precibus, obtestationibus, lacbrymis eas solicitando, quasi salutem earum cupiat, & à parte sua faciat quod ad eam procurandam requiritur, cum nihil minus propositum habeat quam eas salvare, aut gratiæ ulla necessaria donare, imo cum propositum habeat eas æternis ignibus addicere, & in altum quasi tollere, ut tanto gravius puniantur, & in destinatum exitium & æternos cruciatus ruant? Ex his colligimus caussas gravissimas esse, cur propositum hoc Dei de proposito illo, quod Censor intelligit, accipi non possit, ac proinde accipi necessario debere de proposito illo divino, quo constituit credentes in Filium suum salvare per viam crucis, eosque ut credere & crucem tolerare possint, gratia sufficiente donare; ut opponatur proposito, quod veteri Fœdere & lege Mosaica continetur, & à Iu-

dæis,

dæis, tanquam verum atque unicum Dei propositum, juxtà quod salvare Deus vult, urgebatur. Sensus ergo loci erit; Per diligentes Deum intelligi eos, qui vocationi divinæ obsequuntur, quæ per Euangelium fit, quo propositum Dei gratiosum continetur, juxta quod salutis & mortis æternæ sententia ferenda est, non autem quæ per legem, sive ex operibus legis fit, uti volebant Iudæi: *Lex enim per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum*, Joha. 1. 17. Quare, quod de vocatis hic monet Censor, ad rem non facit, imò falsum etiam videri debet. *Hic aperte agitur*, inquit, *de certo vocationis genere*. Nam posito, quod hic agatur de certo vocationis genere, vid. de eo, quod secundum propositum Dei est, de quo jam diximus; quid hoc ad rem facit? Sed & verum non est de certo vocationis genere hic agi, non modo in sensu isto, quo Censor vocem *Certi* loco vocis *præcisi* hic usurpat, sed nè quidem in sensu isto, quo communiter vox *certi* usurpari solet. Vox enim *vocati* hic non participialiter pro κεκλημένοις, sed nominaliter accipitur, prout passim in Scriptura accipi solet, ita ut non significet vocatos propriè ab actione aliqua Dei vocantis, sed eos, qui vocanti Deo parent, id est, vocatos cum eventu, quomodocunque vocatio illa facta sit, id est, sine ullo respectu ad modum, quo vocatio ista facta sit, ut sensus sit, Per diligentes Deum intelligi non quosvis Deum diligentes, id est, non quosvis quælibet mandata Dei præstantes, puta eos, qui legis Mosaicæ mandata tantum facere volunt, sed eos duntaxat, qui Deo, gratiosè jam per Euangelium homines vocanti, obtemperant, & ex præscripto Novi Fœderis, quo propositum totum Dei continetur, vitam suam componunt, ac proinde per crucem ad gloriam & æternam vitam adspirare parati sunt. Hujusmodi diligentibus Deũ, omnia, id est, adversitates & afflictiones omnes, cooperari in bonum dicit Apostolus. *Denique* inquit, *scala illa salutis nostræ quam vers. 29. subjicit Apostolus, evidenter contrarium docet*. At hoc tam facilè negatur, quam adseritur. Da Probationem Censor. Nec satis est quod addit, *Locum hunc adversus Remonstrantium ineptas explicationes alibi vindicatum esse*: Hoc enim à quibus, & ubi factum sit ignorant Remonstrantes. Rationes hic adferendæ fuissent: Si ad Walæi scriptum Censor respicit, id est, ad suum proprium, næ lemas in oculis suis habuit, aut vehementer sibi ipsi placuit: Brevi fortasse videbit veluti in speculo limpidissimo, ineptias suas, & supercilium demittet: Hic nunc dicunt Remonstrantes; Tantum abesse ut scala hæc evidenter probet, quod vult Censor, ut contrarium Sole evidentius sit.

Quid significet vox vocati in hoc loco Apostoli, cum dicit vocatis secundum propositum.

Refellitur Censoris interpretatio.

Scala salutis quam Censor facit redarguitur rationibus aliquot.

Nam

Nam hic agitur de ſcala illa actionum divinarum, quibus Deus verſatur circa diligentes Deum, & quæ demonſtrant diligentibus Deum, ſive iis, qui Euangelicæ vocationi parent, omnia etiam adverſiſſima cooperari in bonum, prout ex rationali particula ὅτι, præcedenti verſui ſubjunctâ, manifeſtum eſt. At ſi ſcalam hic intelligamus eam, quam Cenſor cum ſuis facit, cujus primus & ſupremus gradus eſt decretum Dei abſolutum, quo hos & illos nominatim conſtituit ſalvare, fide donare, juſtificare, & glorificare, tum nulla ratio apparet, quomodo ſcalam hanc faciat Apoſtolus, ut probet diligentibus Deum, ſive vocatis ſecundum propoſitum, ut diximus, omnia adverſa in bonum cedere. Nam quæ ratio? Quos prædeſtinavit ab æterno, eos vocat in tempore, eos juſtificat, eos glorificat tandem: ergo diligentibus Deum adverſa omnia cooperantur in bonum; omnes enim iſtæ actiones divinæ locum habere poſſunt, ut tamen nulla appareat ratio, cur adflictiones diligentibus Deum in bonum cooperentur: Pari jure dicere poſſem, Peccata etiam & ſcelera omnia diligentibus Deum, id eſt, ſecundum abſolutum illud, ut Cenſori placet, propoſitum Dei vocatis, cooperari in bonum. Ratio, quia etiamſi peccata illa à vocatis iſtis fiant, manet tamen firma ſcala illa prædeſtinationis. Quid abſurdius? Sic enim tandem efficietur, diligentibus Deum etiam in bonum cooperari hoc ipſum quod aliquando non diligant Deum, id eſt, quod peccent & mandata Dei tranſgrediantur; Imò, ſi rem propius videamus, per iſtam Cenſoris interpretationem neceſſitas omnis diligendi Deum, & patiendi adverſa, prorſus tollitur, ac proinde adhortationes omnes ad diligendum Deum, & adverſa æquanimiter ferendum, quæ iſti fundamento ſuperſtruuntur, quod diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, ut corruant neceſſe eſt. Nam ſi ſcala illa prædeſtinationis, quam Cenſor facit, hic ab Apoſtolo conſtituta creditur, cujus primus gradus eſt electio Dei abſoluta, alios omnes actus divinos antecedens, tum certum eſt fieri non poſſe ut ad amorem divinum, ſeu conſequendum, ſeu retinendum neceſſaria credatur dilectio noſtra, ac proinde ut argumento iſto, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, prudenter aut ſeriò moveamur ad diligendum Deum, & adverſa patienter ferendum. Ratio eſt, quia ex vi hypotheſeos iſtius ſcimus & perſuaſi ſumus, adeoque perſuaſi eſſe debemus, nos amari poſſe, imò æterno amore amatos eſſe à Deo, antequam eum diligebamus, aut ut diligentes eum conſiderabamur. Ex quo conſequenter efficitur, expoſitionem iſtam Cenſoris

non

non modò huic loco non quadrare, ſed per ſe falſam eſſe: Ac proinde, ut jam alia plura non allegemus, verbum *vocandi*, quo hic utitur Apoſtolus, de vocatione ad fidem ſeu efficace ſeu inefficace intelligendum non eſſe, ſed de vocatione ad conformitatem illam cum Chriſto, id eſt, ad crucem & afflictiones tolerandum aut ſubeundum, quo ſignificato verbum vocandi uſurpavit Apoſtolus Petrus, 1. Pet. 2. 21. *Si quum benefacitis tamẽ adflicti toleratis, hoc cedet vobis gratiæ apud Deum,* εἰς τοῦτο γὰρ ἐκλήθητε, *quoniam & Chriſtus paſſus eſt pro vobis, relinquens vobis exemplar, ut inſequeremini veſtigia ejus*, cui loco parallelus eſt qui legitur 1. Theſ. 3. 3. *Nemo commoveatur ob afflictiones iſtas: ipſi enim noſtis nos ad id conſtitutos* ſive *poſitos eſſe:* Et ratio manifeſta eſt. Nam alioquin ſequeretur eos tantum vocari ad fidem, qui ab æterno electi ſunt à Deo, & prædeſtinati ad vitam æternam, ſive ad conformitatem filiationis cum Chriſto, ut Cenſor, cum ſuis, phraſin iſtam accipit. Nec juvat ſi dicas, per *vocationem* hoc loco non intelligi niſi vocationem ex intentione divina, & certò efficacem. Nam, præterquam quod impoſſibile ſit ut id probetur (unde enim id liquet) nullo etiam modo poteſt conſiſtere, cum tali antegreſſa prædeſtinatione & electione certâ ſive inconditionata ad æternam vitam & fidem. Vocatio enim iſta, externè ſaltem, per verbum fit, quod fidem præcipit ſub promiſſo vitæ & comminatione mortis æternæ: At quomodo iſtis ſic electis ſapienter præcipi fides poteſt cum comminatione mortis æternæ? Eo ipſo enim quod ſic electi ſunt à Deo, Deus peremtorio decreto conſtituit illos non punire morte æterna, ſed contra æternâ vita donare, fidem infundere, neque unquam permittere ut vel propter peccata ulla, quæ facient, damnentur, vel ut increduli maneant, vel, ubi ſemel crediderũt, increduli iterum fiant, quomodocunque ſe gerant: Certè, hæc cum ſapientia humana, nedum divina, conſiſtere nullo modo poſſunt, imò vocationem totam divinam ridiculam & hiſtrionicam faciunt. Plura hic jam non addemus, quia rationem nullam adfert Cenſor, quæ examinari poſſit. Et hinc patet etiam ineptum eſſe quod Cenſor ex cap. 9. verſ. 23. ad Rom. adducit, ubi *idem adſeri ab Apoſtolo*, ait, *& apertè doceri, Deum vaſa miſericordiæ ad gloriam præparata, ex Judæis & gentibus, efficaciter vocaſſe, cum certa ſervandi intentione, & ut eos populum ſuum & filios Altiſſimi hac vocatione redderet, quemadmodum*, ait, *ex Prophetis poſtea probat.* Nam, etſi libenter concedamus (quamquam neceſſitas nulla nos premit) per *vocationem* hoc in loco efficacem vocationem, id eſt, vocationem quæ cum ef-

Expenditur quod ex cap. 9. verſ. 23. ad Rom. adduxit Cenſor.

fectu est intelligi, tamen nihil est quod vel verisimiliter probet, vocationem eo modo, quo Censor vult, efficacem, hic intelligendam esse. Ratio jam ante à nobis adducta satis probat ejusmodi vocationem hic intelligendam non esse. Tum ejusmodi vocatio non modo Deo digna non est, sed nec in hominem sapientem quidem cadit. Qui enim vocat per verbum, quo præcipit seriò, sive quo declarat se seriò velle fieri aliquid à nobis; idem ille non potest, si ullo modo sapienter agere velit, vi sua velle solus id efficere. Nam alioquin, vellet aliquid fieri à nobis, & simul vellet non fieri, quia vellet ipse facere. Deinde qui in eo, quem vocat, efficit obedientiam, ille non potest sapienter eum, ut sibi obedientem, promisso bono remunerare. Non enim ille officium suum fecit, sed Deus ipse in eo efficit id, quod voluit. Excipit quidem Censor in fine hujus cap. aliquid ad hanc rationem, sed quam frivolum illud sit, isthic videbimus. Sensus autem citati loci per se clarus est.

Paraphrasis supradicti loci.

Dixerat Apostolus, Deum pro jure suo supremo, rebelles Judæos, post omnia frustra tentata remedia, rejicere posse, & aliorum seu Iudæorum seu Gentilium misereri (licet ii peccatores sint gravissimi, & propter propria peccata sua iræ divinæ rei) si modo in Christum credant, & voluntati divinæ, quæ per eum cæterosque Apostolos tunc annunciabatur, nullâ habitâ ratione legis Mosaicæ, se subjicerent, imò id Deum voluisse, ut ea ratione, veluti in proscœnio, spectandam daret bonitatis suæ & gratiæ redundantiam, quod homines, nihil tale opinantes, indignos, adeoque iram Dei, propter antecedentia sua peccata, promeritos, ex pura puta liberalitate, loco aliorum credere nolentium, ad gloriosæ immortalitatis hæreditatem præparare, &, quantum in se erat, idoneos reddere, solaque interveniente vera ac viva fide in Jesum Christum, reipsa tandem gloriæ æternæ participes vellet facere: His subjicit: Et hæc quidem vasa misericordiæ sumus nos, qui Deo nos ex gratia vocanti per Euangelium credidimus atque obtemperavimus, quosque Deus jam populum suum vocare dignatur, cæteris omnibus incredulis, qui penè totum Iudaicum populum constituunt, rejectis & præteritis; Nos, inquam, non solum qui ex Judæis nati sumus, id est, ex illo populo, cui promissio olim disertè facta est, & quem Deus populum suum appellare dignatus est (etiamsi jam eo nomine se indignum reddiderit) sed etiam qui oriundi sumus ex Gentilibus, qui hactenus Dei populus non fuerunt, exortes fœderum seu dispositionum promissionis, sine spe, sine Deo in mundo. Et horsum jam accommodantur loca illa, quæ ex Prophetis citat

Apoſtolus. Addit Cenſor, *Quibus plane conſonat locus* Rom. 11. verſ. 4. & ſeq. *Reſervavi mihi ſeptem millia virorum, qui non flexerunt genu imagini Baal; ita igitur & hoc tempore reſervatio ſecundum electionem gratiæ facta eſt. Quid hic eſt electio gratiæ, niſi gratuitum ſervandi propoſitum? quemadmodum ſtatim explicatur verſ. 7. Electi adſecuti ſunt, reliqui noluerunt: Quid autem hic eſt reſervatio, quam efficax vocatio, & in eadem vocatione contra mundi ſeductiones præſervatio? quemadmodum totus Apoſtoli ſcopus oſtendit.* Non poterat Cenſor locum clariorem contra ſententiam ſuam citare quam hunc. Per electionem enim, cujus hic mentionem facit Apoſtolus, intelligi electionem, non perſonarum, qua talium, ſed fidelium qua talium, ex loco illo, quem Apoſtolus citat, evidenter patet. Nam Apoſtolus dicit idem hoc tempore fieri à Deo, quod factum fuerat tempore Eliæ, id eſt, eodem modo nunc λεῖμμα fieri à Deo, quo illud factum fuerat tempore Eliæ, dicit enim οὕτως οὖν καὶ &c. At iſto tempore reſervaverat Deus ſeptem millia eorum, qui non flexerant genua ſua coram Baal; Ergo de electione eorum agitur, qui ſimili aliqua re, aut actione Deo ſe probaverunt, id eſt, qui, uti illi, qui tempore Eliæ, genua ſua non flectendo coram idolo Baal, Deo ſoli obtemperaverant & adhæſerant, ita nunc Deo per Euangelium vocanti crediderunt, & non ex lege Moſis juſtitiam ſunt ſectati.

Locum ex cap. 11. verſ. 4. &c. ad Rom. contra ipſum Cenſorem directe facere oſtenditur.

Reſervatio itaque, de qua hic agitur, non eſt efficax vocatio & contra mundi ſeductiones præſervatio, ut Cenſor ait, ſed vocatorum, & credentium, & à mundi ſeductione ſeſe præſervantium, reſervatio in populum Dei, quem Deus ſibi gratum habere vult ſpretis reliquis operariis, qui populus Dei eſſe & haberi ſoli volebant. Reſervatio autem hæc ſecundum electionem facta dicitur à Deo; quia tales, licet paucos, adeoque indignos quos Deus pro populo ſuo cenſeret, ſi rigide cum illis agere voluiſſet, ex toto reliquo populo, tanquam peculium ſuum ſibi eligere voluit, ea tantum de cauſſa, quod crediderint in Chriſtum, &, valedictis peccatis, vocationi divinæ obtemperaverint. Et hos tales vocat poſtea verſ. 7. ἐκλογὴν ſive electos, non ratione abſolutæ alicujus electionis, qua nominatim ad ſalutem deſtinati fuerunt, ſed ratione electionis iſtius, qua Deus eos, pro divina ſua bonitate & gratia, eximebat & ſequeſtrabat ex communi perditione, & ſtatu perditorum, qui credere nolebant, eoſque ſibi in peculium ſuum, ſive in populum ſuum dilectum adſumebat, cum alioquin eos, antequam crederent in Chriſtum, cum reliquis perdere & damnare potuiſſet. Apparet id maniſeſte ex his I. Quod electio hæc, ſive electi hi opponantur Iſraeli,

Quid ſit reſervatio κατ' ἐκλογὴν.

non quatenus Iſrael accipitur pro perſonis quibuſdam nominatim à Deo, abſque ullo infidelitatis reſpectu, præteritis aut reprobatis, ſed quatenus per opera legis, contra divinæ voluntatis propoſitum, juſtificare & ſalvari volebat, uti ex verbis ipſis patet, *Quod Iſrael quærit, id non eſt adſecutus.* Quod autem quærebat Iſrael id cap. 9. v. 31. diſerte indicatum fuerat, *Iſrael qui ſectabatur legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit, quare? quia non ex fide, ſed velut ex operibus legis* (eam ſc. ſectabatur) *offenderunt enim ad lapidem offendiculi* (nolentes ſc. credere in Jeſum Chriſtum, uti ex verſ. ſeq. apparet) II. Quia hæc verba continent concluſionem reſpondentem ei, quod verſ. 4. 5. de *electione gratiæ* tempore Eliæ facta, dixerat Apoſtolus. Atqui ibi ut jam ante oſtendimus, ſecundum electionem gratiæ dixerat factam eſſe reſervationem eorum, qui genua non flexerant idolo Baalis. Itaque cum electionem jam eodem modo factam eſſe dicat, per *Electionem* fideles Electos, oppoſite ad infideles rejectos, intellexerit neceſſe eſt. III. Quia id, quod electionem ſive electos obtinuiſſe dicitur, eſt juſtitia & ſalus. Quod enim quærebat Iſrael, id electio eſt adſecuta: Atqui Iſrael quærebat Iuſtitiam & ſalutem, idque ex operibus legis: Ergo. Atque hinc clarum fit per electionem non poſſe hoc loco intelligi electos, qui nominatim electi fuerunt, qua perſonæ erant ſingulares, ſed qua credentes. Non enim electis, qua perſonæ ſunt, ſed qua ſunt credentes, obtingit juſtitia, uti fatentur etiam ii, qui abſolutę electioni patrocinantur. Evincit etiam hoc ipſum quod ſequitur: οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν. Per hos enim intelligi juſtitiarios Iudæos, & qui ex operibus legis Moſaicæ ſervari cupiebant, ac proinde Religionem Ieſu Chriſti amplecti nolebant, clarius eſt quam ut probari oporteat, ſive dicatur verbum ἐπωρώθησαν exponendum eſſe de induratione, qua ipſi ſeſe ipſos indurabant, uti exponitur Act. ultimo verſ. 24. 25. 26. 27. & paſſim alibi, ſive de induratione, qua Deus eos ob contumaciam & præfractam rebellionem eorum magis magiſque indurari permittebat. Hæc itaque loca, tantum abeſt ut nude, prout à Cenſore factum eſt, prolata Remonſtrantium ſententiæ evertendæ ſufficiant, ut contra, ſi propius expendantur, prout jam à nobis (quamquam ſine neceſſitate) factum eſt, ei confirmandæ & ſtabiliendæ quam maxime ſint idonea.

Quid ſit.

Alterum, inquit Cenſor, *quod in hac efficaci vocatione rejiciendum ſibi ſumſerunt, eſt quod nolint eam per ſingularem & arcanam Dei quandam ſapientiam ſic adminiſtrari, ut fructuoſe congruat voluntati ejus, qui vocatur, neque etiam quod in ea efficacitor per potentiam irreſiſtibilem,*

aut vim quandam omnipotentem, quæ nec creatione nec suscitatione è mortuis minor sit, voluntas ejus, qui vocatur ad credendum, ita determinetur, ut non possit non credere atque obedire. Vtrosque ergo æqualiter hic rejiciunt, inquit, &c. Alterum hoc idem prorsus cum præcedente est. Efficax enim vocatio, quæ vocatur ab iis, qui absolutum Prædestinationis decretum tuentur, dicitur efficax, vel quia determinantē efficacitatem in se habere creditur, vel quia, etiamsi illam ex se non habeat, creditur tamen sic administrari, sive per sapientiam, ut quia congruit ejus, qui vocatur, dispositioni, efficax fiat, alioquin inefficax futura, sive per potentiam, ut ei conjungatur occulta & singularis quædā divina operatio, qua fiat ut efficaciam, vel effectum potius sortiatur: utramque hanc efficacem gratiam rejiciunt Remonstrantes ab ordinaria Dei vocatione. An à posteriore illa, quæ per sapiētiam administrata congrua vocari solet, aliquando non abhorruerint Remonstrantes, quod Censor hic non sine sarcasmo, qui ei familiaris est, audacter affirmat, nolumus contendere. Ex collatione Hagiensi, quam citat, sane id non modo non liquet, sed contrarium potius concludendum est. Et ratio manifesta contrarium satis docet. Nam ista vocatio, non minus quam altera, supponit absolutam & præcisam quorundam vocatorum Prædestinationem, à qua ex professo se abhorrere in collatione ista ubique protestantur. Nec aliter unquam de collatione ista sensisse Doctissimum D. Corvinum certissimum est. De quanto Articulo, fatemur eos non æque adseveranter tum locutos esse, quamquam non obscure significabant, se in sententiam illam, quam nunc Remonstrantes tenent, maxime propensos esse. Nec id desultoriæ cuidem temeritati, sed prudentiæ & docilitati eorum adscribendum fuerat. Sed ea Censoris hujus protervia est, ut, quæcumque à Remonstrantibus acta sunt, quæ in calumniam trahi possunt, sequius semper interpretari, & in transversum rapere malit, quam in meliorem partem accipere. Nempe, dubitandum nunquam est: Pertinaciam pro caussa induere, & habere Pelidæ stomachum, cedere nescii, hoc demum constantia in religione est novitio huic Doctori. Esto, Qualis vir, talis ejus est oratio. Remonstrantes fatentur nunc, se pleno ore defendere, Fideles à fide totaliter ac finaliter deficere posse. Nec caussa ulla est, cur idcirco odiose eos traducat Censor, quod cum *Apostata Bertio* sentiant. Ista totius Antiquitatis, ipsiusque adeo Augustini & prosperi unanimis sententia est; uti prolixe id probat Clariss. D. Vossius historiæ suæ Pelagianæ lib. 6. *Ex regeneratis in Christo Iesu*, ait Prosper in respons.

Sententiam de congrua gratia Remonstrantes nunquam approbarunt.

Sarcasmus Censoris redarguitur.

in respons. ad object. 7. *quosdam relicta fide & piis moribus, apostatare à Deo, & impiam vitam in sua aversione finire, multis (quod dolendum est) probatur exemplis.* Cum hac Antiquitate sentire malunt, quam cum nuperis hisce Doctoribus dogma contrarium, χθὲς & πρώην natum, amplexari, & ab Antiquitate tota, ut cum Prospero loquar, apostatare.

Sed ad rem, inquit Censor, *Deus ergo nullam singularem gratiam, sive administratam per sapientiam, sive per potentiam, sive per utramque, quod nos statuimus, iis, qui convertuntur, præstat, quam illis hominibus, qui per communem vocationem non convertuntur?* Duo ad quæstionem hanc notanda veniunt. I. Quod Censor affirmet iis, qui convertuntur, singularem præstari gratiam, quæ non præstatur aliis, qui communi vocatione vocantur, eamque administratam per sapientiam simul ac potentiam. II. Quod Remonstrantes affirmare significet, Deum nullam singularem gratiam præstare iis, qui convertuntur quam iis qui non convertuntur per communem vocationem. Prius quod attinet: Nihil sane aut indoctius, aut absurdius affirmari poterat contra thesin istam Remōstrantium. Nam impossibile est ut gratia administrata per sapientiam eo sensu, de quo in confessione agitur, cui suum hunc opponit Censor, concurrat cum gratia administrata per potentiam. Per utramque itaque simul vocatio efficax ut fieri dicatur, absurdum est. Non posse simul concurrere inde patet, quod gratia quæ per sapientiam administratur supponat liberum arbitrium: Sapientia enim facit, ut gratia congrua sit dispositioni ejus cui fit, & sic è libera hominis voluntate eliciens consensum, actu secundo fiat efficax. At gratia administrata per potentiam, non supponit liberum arbitrium, sed supponit liberum arbitrium non esse, ac proinde gratiam nullam vocato congruam esse posse. Nec immerito. Semper enim æque inidoneus, æque ineptus, æque impotens esse supponitur vocatus, qui prædeterminante gratia, quæ per potentiam administratur, opus habere dicitur, imprimis, si prædeterminante illa gratia, opus habere dicatur, non modo ad credendi potentiam consequendum, sed ad ipsum fidei actum eliciendum, prout Censorem hunc cum suis statuere exploratum est. Alterum quod attinet. Quid de eo affirment Remonstrantes ex paragrapho hujus cap. ultimo evidenter intelligitur. Deum nullam singularem gratiam, sive administratam per sapientiam, sive per potentiam, iis, qui convertuntur, præstare, valde ambigue dicitur. Si sensus ejus est, uti sane esse debet, Deum in ordinaria hominum vocatione (de ea enim agere

Gratia administrari nō potest simul per Sapientiam & per potentiam determinantem.

gere Remonst. ex paragrapho ultimo liquet) communiter omnibus facere sufficientem gratiam, tam iis, qui per eam actu non convertuntur quam iis qui actu convertuntur, ita ut, etiamsi disparitas aliquando aliqua gratiæ sit, defectus tamen ex parte gratiæ nullus in ea locum habeat, tum verò agnoscunt Remonstr. ante istud à se affirmari. *Nempe ergo* (inquit) *Petro major gratia facta non est quam Iudæ perditionis filio, & Christus non aliam gratiam fecit Paulo quam Pilato,* &c. *Deus Jacobum non amplius dilexit quam Esauum &c.* Responderi potest multipliciter. I. Non sequitur, Deus ordinariè donat sufficiente gratia vocatos, ergo extraordinariè aliquando non donavit aut donat aliquos majore gratia, imprimis Apostolos suos Petrum & Paulum, de quibus hic agitur. II. Si vox comparativa *Major*, dicat gratiam specie non gradu distinctam, quid incommodi, si negetur sic Petro majorem gratiam quam Judæ factam esse, &c. si vox *Major* dicat gratiam gradu solo, non autem specie distinctam, tum non sequitur, Deus non fecit Petro gratiam irresistibiliter aut congruè efficacem, ergo ei majorem gratiam non fecit quam Judæ, &c. *Maxima*, inquiunt Remonstrantes, *gratiæ disparitas est, pro liberrima voluntatis divinæ dispensatione, etiamsi in genere omnibus ac singulis ordinariè detur gratia sufficiens.* III. Posito etiam Deum Petro majorem gradu gratiam non fecisse quam Judæ, quid inde? Cyrillus Alexandrinus non dubitat id apertè affirmare lib. 2. in Ioa. cap. 21. Æquales ille facit in gratia præveniente Iudam & cæteros Apostolos, neque ullum absurdum esse putavit asserere, nihil plus Apostolos quam Iudam Christo debuisse. Sic enim de Iuda inquit: *Non enim divino inexpugnabiliq; judicio in diaboli laqueum proditorem incidisse credendum: Nam, si sic esset, nullo modo culparetur, cum judicio Dei nemo resistere queat. Nulla enim necessitate, sed proprio judicio fecit, quod fecit, quare meritò perditionis Filius nuncupatur, qui perditionem elegit.* Et postea: *Quod si proditor æqualiter aliis discipulis Salvatoris auxilium non habuisset, frustra hæc à nobis dicerentur. Sin autem, non minus quam cæteri, divina gratia regebatur, sed suo ipsius judicio in profundum perditionis delapsus sit, quomodo etiam non servavit eum Christus, qui suum patrocinium ei præstitit, qui quantum ad ferendam opem illi attinuerit, servasset hominem, nisi ultrò ille in perditionem insiliisset? Gratia igitur in aliis effulsit, servavitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt. Sic enim salutis nostræ modus dispositus est.* Eadem ergo, secundum Cyrillum, ratio est Pauli collati cum Cajapha, aut Pilato, & Iacobi cum Esauo. Nec meritorũ diversitas hic attenditur, sed sola

Diluitur exceptio Censoris, Ergo Petro, Paulo major gratia facta non est quam Iudæ, Pilato &c.

Cyrillus.

divinæ voluntatis gratiosa & simul æquissima dispositio. Hinc, quid ad illud, quod inquit Censor, *Cur ergo Apostolus Paulus gratiam Dei singularem, tam sæpe erga se deprædicat? imprimis* Gal. 1. 15. & 16. responderi possit, manifestum est. Fieri enim potest, ut prædicaverit extraordinariam gratiam sibi factam, & sic salva manet sententia Confessionis, quæ non nisi deordinaria agit. Fieri etiam potest ut non prædicaverit nisi gratiam cæteris, ut Cyrillus ait, æqualem & communem, quæ tamen singularis fuerit respectu Pauli ipsius, qui, persequendo Ecclesiam Christi, & blasphemando sanctum Jesu nomen, indignissimum se reddiderat gratia, uti ipse fatetur 1. Tim. 1. 13. 14. unde ibidem *superabundasse gratiam Domini Iesu erga se*, dicit, & quidem aliis in exemplum, uti vers. 16. habet. Idem etiam fatetur in eo, quem Censor citat, loco, Gal. 1. 13. 14. 15. 16. Perinde autem est Remonstrantibus, sive is exponatur de gratia extraordinaria sive de ordinaria: utroque enim modo exponi potest. De extraordinaria, si, *Retegere Filium in me*, accipiatur pro clara & plena Filii sui cognitione illustrare ac perfundere, uti fere accipi solet ab interpretibus. De ordinaria; si, *Retegere filium suum in me*, exponatur per retegere δὶ ἐμοῦ. Id enim patitur præpositio ἐν, quæ pro διὰ sæpe posita reperitur. II. Ratio aliquomodo videtur id postulare, quia Apostolus, dixerat vers. præced. in aoristo primo καλέσας, id est, qui me jam ante vocaverat per gratiam suam, & cognitione filii sui imbuerat. Ei enim ineptè subjiceretur deinde, *placuit Deo retegere Filium suum in me*, si phrasis *in me* propriè accipiatur. Id enim sub vocationis per gratiam phrasi, jam ante comprehenderat Apostolus. Quod verò dicit se separatū fuisse ab utero matris suæ, id aliud nihil significare videtur, quam se, absque ullis meritis suis, sola Dei gratia, Apostolatui destinatum fuisse à Deo, neque se quicquam amplius ad id, ut vid. Apostolus fieret, contulisse, quam qui recens ex utero matris suæ nascitur, ut ἔλλειψις statui possit particulæ ὡς, quæ Scriptoribus sacris familiaris est, quasi legeretur; qui separavit me veluti ex matris utero, id est, non aliter, sine ullo meo merito aut ope, quam si me cum adhuc in matris meæ utero essem, Apostolum designasset. Nec tamen inficias eunt Remonstr. verba hæc etiam simpliciter accipi posse, ita ut Paulus dicere voluerit, se destinatum Apostolatui fuisse à Deo antequam adhuc natus esset: sed tantum dicunt id non omnino necessario ex vi phraseos concludi. Quare, in explicatione hujus loci fruatur quisque judicio suo. Pergit. *Cur testatur Deus* Rom. 9. *Nondum natis pueris, & quum necdum boni aut mali quid fecissent,*

Ostenditur locum ad Gal. 1. 13. 14. 15. 16. non favere proposito Censoris.

dictum esse, major serviet minori, & Iacob dilexi, Esau odio habui? At bone Deus! quam multa hic probanda sunt. I. Probandum est hic agi de gratia singulari, quæ personæ Iacobi facta sit. At unde quæso id probabitur? Certè de toto populo Israelitico & Edomæo agi, ex textibus, qui citantur ex Genesi & Malachia, clarissimum est. II. Posito quod de singularia gratia, quæ personæ Iacobi facta fuerit, agi dicatur; gratiam istam, de spirituali gratia, quæ ad conversionem necessaria est, intelligendam esse, quo argumento probabitur? De alia longè gratia agi ex iisdem locis patet. III. Posito etiam quod de gratia illa spirituali agi dicatur, per illam intelligendam esse ejusmodi gratiæ istius operationem, qualem Censor vult, qua specie probabitur? *Atqui*, inquit, *Esau odio habui, mitius saltem explicari non potest quam Minus dilexi.* Esto; quid inde? Ergo dilectio Jacobi significat gratiam singularem quæ prædeterminans gratia est? Quem non pœniteat tam miseræ consequentiæ? Et hic tam ineptus disputator subinde superciliosum suum illud, *Non moramur*, audet ingeminare: *Novas glossas Arminii, quæ manifestam vim faciunt scopo & verbis Apostoli, non moramur.* Profectò, qui tam inaccuratas consequentias ex textibus deducit, is ostendit quam benè sit versatus in scopo Apostoli rectè dijudicando. Sed nos cum eo morari desinamus. *Cur* porro, inquit Censor, *provocat Apostolus* Rom. 10. *ex consideratione severitatis Dei in Iudæorum rejectione, & benignitatis ejus in Gentilium adsumptione, ad profunditatem sapientiæ & cognitionis Dei, & ad judicia ejus inscrutabilia ac vias invervestigabiles, si nec sapientia arcana, nec potentia singularis in hac gratiæ dispensatione locum habet, sed omne discrimen efficacis vocationis ex hominum voluntate aut liberi arbitrii usu est petendum?* Imò, inquam ego, ex contrario, quo modo provocat Apostolus, seu potius admiratur, τὸ βάθος πλέτε ϗ σοφίας καὶ γνώσεως τε̃ θεε̃, si ejusmodi gratiæ dispensatio, & vocationis efficacia in ea re, de qua agit, locum habet? Nam posito, quod de hac vocationis efficacia hic agat Apostolus, quod sanè falsum est, quæ obsecro sapientia, imò quæ divitiæ sapientiæ, nedum profundæ divitiæ sapientiæ in eo positæ esse possunt, quod Deus maximam partem eorum, quos vocat, & quibus seriò jubet ut resipiscant, gratia sufficiente dignari nolit, & quos nominatim elegit ab æterno, ejusmodi gratia velit donare, cum eos vocat, eisque præcipit seriò ut se convertant, qua posita, non possunt non converti? Citius quis hic stultitiam, hypocrisin ac Tyrannidem summam deprehendet, quam vel micam sapientiæ atque æquitatis. Hor-

Nec locũ nobilem ad Rom. 9.

Nec locum ad Rom. 11.

ret mens & obstupescit ad tam barbaras de Deo sententias. At actiones Dei hic ab Apostolo tales proponuntur, in quibus sapientissima simul atque æquissimis rationibus nixa Dei dispensatio elucet. Neque verò ad rem facit, si dicas Apostolum hic provocare ad judicia Dei, quæ inscrutabilia esse dicit, & ad vias, quas dicit esse inpervestigabiles. Nam eo non indicat Apostolus, judicia Dei talia esse, ut eorum æquitas ac rectitudo intelligi à nobis non possit, cum judicia ista Dei nobis revelantur. Nihil minus. Nam, si id fieri non potest, quomodo sapientiam in iis profundam admirari potuisset Apostolus? Admiratio hæc significat, Apostolum ea intellexisse, & in iis sapientiam singularem penitus perspexisse. Sed tantum indicat, ea talia & tam eximia esse judicia, ut humana mens suopte Marte ea excogitare aut alteri suggerere nunquam potuisset, prout ex sequentibus clarè videre est, *Atqui*, inquies cum Censore, *quæ ratio provocationis est, si omne discrimen efficacis vocationis ex hominum voluntate aut liberi arbitrii usu est petendum?* Respondeo, provocatio, sive potius admiratio hæc Apostoli, non oritur ex consideratione modi, quo Deus utitur, quando homines vocat; sed ex intuitu consilii sive dispensationis illius divinæ, qua nunc hos, licet indignos, vocare, nunc illos, licet æquè indignos, rejicere, & in contumacia sua, veluti in carcere conclusos, vult relinquere, prout vers. 30. 31. 32. præcedentibus videre est. Deinde, tantum abest ut ratio provocationis hujus nulla dari possit, si discrimen efficacis vocationis ex hominum voluntate aut liberi arbitrii usu petatur, ut cōtra Apostolus idcircò in hisce actionibus divinis divitias sapientiæ Dei admirando extollat, quia considerabat Deum ex una parte populos integros, qui gratiâ vocationis ejus longo tempore abusi fuerant, rejicere, & sub contumacia propria relinquere, suo tempore tamen iterum vocandos: ex altera parte, Deum populos integros, ob propriam suam incredulitatem rejectos, & in contumacia sua, veluti in carcere, longissimo tempore relictos, iterum dignari vocationis suæ gratia, rejiciendos iterum, si concessâ vocationis gratiâ abutantur, & exemplo rejecti alterius populi non sapiant. Atq; hæc una res sufficit ad demonstrandum locum hunc à Censore citatum contra ipsum Censorem apertè facere; Quod vid. clarum sit, hic agi de integris populis, ac proinde de vocatione non tali, qualem Censor statuit. Talis enim vocatio ad populos integros non pertinet. Deinde, quod ii, quos Deus gratiâ vocationis suæ dignatur, per vocationis istius beneficium provocentur ad officium suum faciendum, cum diserta comminatione,

nisi

nisi id faciant, futurum ut exscindantur à Deo, & vocationis gloria ac gratia priventur: ii vero, quos Deus dicitur rejicere, idcirco rejici dicantur, quod sua propria culpa divinæ vocationis beneficium non acceptaverint, & gratiæ divinæ tempus non observaverint, certissimo indicio, fieri potuisse, ut vocationi isti obtemperarent, ac proinde per Deum & divinam vocationem non stetisse, quo minus obtemperare possent, sed per purum putum defectum liberæ cooperationis ipsorum, unde gratia inefficax fuerit reddita.

Tertium, inquit Censor, *quod Remonstrantes in hac efficacis vocationis definitione vellicant, est, quod per potentiam irresistibilem (quæ nec creatione nec suscitatione è mortuis minor) voluntas ejus, qui vocatur, determinatur ad credendum. Nos de voce irresistibilis,* inquit, *non laboramus, quam Autoribus suis relinquimus.* Esto; vox propria & significantissima est ad exprimendum sententiam Censorum; nec caussa est cur ab ea abhorreant, nisi quia significantissima est, & absurditatem sententiæ Prædestinatorum primo statim intuitu ob oculos ponit. Et vocem hanc admitti à Censore non obscure arguunt sequentia verba; *Non enim loquimur,* inquit, *de præparationibus illis & mediis, quæ conversionem antecedunt, quibus homines resistere & deesse posse concedimus, nisi singularis Dei gratia, quominus id faciant, præveniat.* Posita itaque illa gratia, fieri non potest ut resistant & desint præparationibus istis. Quid hoc aliud est quam agnoscere potentiam irresistibilem? Sed esto, de vocibus ne contendamus: *loquimur,* inquit, *de efficacia qua Deus hominem jam convertit & regenerat, Eam non esse minorem suscitatione ex mortuis aut creatione diserte Scriptura testatur.* Ioha. 5. 25. & 2. Cor. 4. 6. At S. Scriptura non vocat ipsam actualem (de ea enim textum loqui hic vult Censor) conversionem sive regenerationem hominis, suscitationem aut creationem, sed actionem illam Dei, quæ ad convertendum & regenerandum hominem spectat, sive totum illud, quod eo fine à Deo adhibetur, ut homo à peccatis suis excitetur, & ad vitæ æternæ spem certam adducatur, creationi & resuscitationi divinæ metaphorica ratione loquendi comparat. II. Sed posito etiam Scripturam, ipsam actualem hominis conversionem vocare resuscitationem, non tamen idcirco recte quis concluserit, eam affirmare, Conversionem istam non minore potentia fieri (sic enim vox minor hic accipitur. Additur enim in Confessione, *minor, quo ad efficaciam;* An enim dignitate minor sit, hic non quæritur; haud difficulter concedent Remonstrantes eam dignitate minorem non esse) quam sit creatio, aut suscitatio è mortuis.

Vox, *Irresistibilis* inepte sugillatur à Censore.

Expenduntur loca quibus Censor probare nititur efficaciam qua homo converti tur, non esse minorem suscitatione ex mortuis aut creatione.

Locus qui ex Euang. Iohan. cap. 5. 25. desumtus est, examinatur.

Nullum simile currit quatuor, ut ajunt, pedibus. Similitudo omnis claudicat. Ratio similitudinis, ad quam proprie respicitur, ubique attendenda est. Ea autem hic ad hunc modum se habere potest, & proculdubio habet. Quod sicut is, qui è nihilo creatur, aut ex mortuis suscitatur, nihil de suo adfert, ita Peccator, qui sub dominio peccati, & reatu æternæ mortis jacet, nihil de suo adfert quo à peccati dominio liberari & in certam æternæ vitæ spem restitui possit. Totum hoc gratiæ divinæ prævenienti & subsequenti debet, à qua habet quod possit se convertere, & per quam moveri debet, ut, cum jam se potest convertere, actu ipso se convertere ad mandatum & jussum divinum velit, alioquin in æterna morte mansurus, si nolit. Ulterius non est extendenda hæc similitudo, &, ut ulterius extendatur, non sinunt infinita, quæ alioquin secutura sunt, absurda: Imprimis hoc, quod alioquin tota ratio divinæ præceptionis sancitæ promissis & minis, funditus evertitur. Et loca, quæ citat Censor, non obscure indicant ulterius eam extendendam non esse. Nam locus primus, quem ex Ioa. cap. 5. vers. 25. citat, posito quod in eo agatur non de suscitatione hominis proprie dicta, uti plerique Interpretes volunt, sed de regeneratione sive suscitatione hominis spirituali, uti Socinum secuti Censores aliique volunt, textus aperte dicit; *Qui audiverint vocem filii Dei vivent*. *Audierint* autem significare isto in loco *obedierint*, ut supponatur à Censore, si consequenter loqui velit, necesse est. At obedire, inquam ego, Deo vocanti proprie dici non potest, cujus voluntas per potentiam, quæ nec creatione, nec suscitatione è mortuis minor est, sic determinatur, ut non possit non (ut ita dicam) obedire: Et cum potentia illa determinatrix immediate agat in voluntatem hominis, non potest dici is, circa quem ea adhibetur, obedire voci Filii Dei. Vox enim filii Dei non significat potentiam illam, sed Euangelium, per quod homo convertitur, & ex cujus auditu fides gigni dicitur, Rom. 10.17. At Euangelium audire, est Euangelio, quatenus obedientiã postulat & præcipit sub promisso vitę, & comminatione mortis æternæ obedire. Præcipienti autem obedire proprie nemo dicitur, qui per potentiam talem ad obediendum determinatur, ut non possit non obedire. Talis enim non magis obedit, quam terra obedit Deo, cum ex nihilo creatur, aut mortuus, cum suscitatur in vitam. Quod si vero etiam sequentia verba v.28.29. eodem sensu metaphorico velimus interpretari, uti à Socino aliisq; fit, & verbũ *Audire* de simplice auditione seu receptione Euãgelii accipere, res evicta est: dicitur enim diserte in textu, inter eos, qui audie-

rint vocē filii Dei, alios futuros qui bona faciēt, & alios qui mala facient. Illos ex monumentis, id est, ex statu illo ignorantiæ, miseriæ, ac mortis, in quo per peccata sua jacebant, prodituros veluti novos homines in spem resurrectionis: Hos prodituros, veluti novo reatui implicitos, in resurrectionem condemnationis. Unde manifeste colligitur, fieri posse, ut, qui Euangelium & vocem illam Filii Dei audiunt & recipiunt, Euangelio tamen non obediant, atque ita in mortem & condemnationē, à qua beneficio Euangelii auditi liberati aliquomodo fuerant, justissimo Dei judicio quasi denuo præcipitentur. Locus qui ex 2. Epist. ad Corinth. 4. 6. citatur, non agit proprie de conversione hominum ad fidem, sed de revelatione divinæ voluntatis, quæ Apostolis & Servis Iesu Christi facta fuit; ut servirent Deo pro instrumentis, ad cognitionem illam diffundendam per universum mundum & sic nova veritatis luce mundum in tenebris ignorantiæ jacentem quaquaversum illustrandum, eo fine, ut ad amorem & obsequium divinæ voluntatis accendi posset atque inflammari, quo sensu Apostoli dicuntur constituti à Deo, *Ut essent lux Gentium, & essent saluti usque ad ultimas terras* Act. 13. 49. Eodem sensu Apostolus de se ipso ait, *quod à Iesu missus erat ad aperiendum oculos Gentium, & convertendum eas à tenebris ad lucem* Act. 26. 18. Itaque non agitur hic de conversione hominum, nedum de modo conversionis, quasi ea efficiatur in omnibus hominibus non aliter, quam lux à Deo in prima creatione mundi facta & formata fuit. *Atqui conversio hominum passim in Scripturis vocatur*, inquit Censor, *nova mortuorum vivificatio, nova creatura, regeneratio & renovatio hominis ad imaginem Dei.* Fatemur: At metaphoricæ sunt istæ locutiones, quas ad unguem resecare velle est in barathrum absurditatum se conjicere. Ad metaphoram non requiritur omnimoda rerum comparatarum æqualitas, nedum identitas, sed similitudo quævis sufficit. Alioquin, dicam vicissim, conversio nostri etiam dicitur excitatio ex somno, ergo eadem est ratio hominis convertendi, quæ dormientis: dicitur tractio, ergo conversio est violenta actio; dicitur renovatio, ergo conversio non est creatio: dicitur doctio, ut ita loquar, ergo conversio est actio, quæ ab homine fieri potest, &c. *At*, inquit Censor, *hi loquendi modi plane sunt alieni & absurdi, si certitudo conversionis non à sola Dei efficaci gratia, sed ab hominis cooperatione pendeat.* At hoc est principium petere, & per se falsum. Ratio locutionum harum per se manifesta est. Analogia enim sive proportio duplex est inter conversionem hominis & creationem: I. Quod ea

Expenditur locus ex 2. Epist. ad Cor. 4. 6.

Expenditur quo sensu Scriptura vocet conversionem hominis novā mortuorum vivificationem, novam creaturam, regenerationem &c.

à Deo primum proficiscatur, & eum primum atque unicum Authorem habeat. II. Quod sit actio, vim habens producendi effectum planè novum, & qui antea non erat, neque in homine, sine præveniente divina gratia, existere poterat. Deinde, si Scriptura consulatur, observabimus non raro dici in ea, Deum *creare* simpliciter, *creare cælum novum & terram novam, creare creationem*, cum rem novam & insolentem facit, sive ea res nova sit, extraordinaria, & inusitata quædam punitio; uti Num. 16. 30. videre est, sive beneficium aliquod novum: imo cum non nisi novam aliquam rem annuntiat eum in finem, ut populus annunciationi isti fidem habeat, & ad colendum Deum de novo quasi adducatur, etiamsi fieri possit, adeoque fiat, ut populus annunciationi isti fidem habere, & per eam ad colendum Deum adduci nolit. Vide disertum locum Esa. 48. 6. 7. 8. 9. 10. &c. *Audivisti totum hoc, & vos nonne annuntiabitis? Audire feci nova ex-tunc, & conservata apud me & non noveras ea. Nunc creata sunt, & non ex-tunc neque ante diem hunc audiveras ea, ne forte diceres, Ecce noveram ea. Etiam non audivisti, etiam non cognovisti, etiam ex-tunc non fuit aperta auris tua. Novi enim quod prævaricando prævaricaveris, quodq́, prævaricator ab utero sis vocatus:* Vide vero vers. 18. *Vtinam attendisses ad mandata mea, tunc fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua veluti fluctus maris.* De beneficiis vide Esa. 4. 5. & cap. 15. 18. Jerem. 31. 22. In quibus Deus creare dicitur, quia populum suum novi beneficii collatione recreare voluit, etiamsi id actu non fecerit, propter contumaciam & rebellionem populi. III. Tantum abest ut modi hi loquendi plane debeant videri alieni & absurdi, si certitudo, id est inevitabilitas vel necessitas conversionis non à solâ Dei gratia efficace pendeat, ut contra alieni & absurdi futuri essent, si ab ea sola efficacia conversionis tota penderet, ut jam de certitudine nihil dicam. Rationes sunt. I. Quia conversio per istas voces denotata, ipsis hominibus præcipitur. Alienum autem & absurdum foret, effectum istum, qui nullo modo ab homine pendet aut pendere potest, sed ab illa gratiæ efficacia unâ ac totâ pendet, homini præcipere. II. Conversio ista cum jam actu exercita est, ipsi homini tribuitur, adeo ut homo ipse dicatur, *sibi ipsi facere cor novum & spiritum novum, circumcidere cor suum, salutem suam operari, &c.* & tribuitur ei sub ratione virtutis & obedientiæ, quam Deus præmio vult afficere; imò cum assignatione laudis, Rom. 2. 29. 1. Cor. 4. 5. & concessione gloriationis, quam homo in seipso habeat. Gal. 6. 3. Absurdum autem & alienum foret, effectum istum tribuere homini sub ratione

Rationibus aliquot ostenditur, modis istis loquendi efficaciam determinantem in conversione hominis designari non posse.

ratione virtutis, cum laudis attributione, & gloriationis concessione, qui nullo modo pendet à cooperatione hominis, sed in homine sine homine productus est, & ab efficacia vocationis totus atque integer dependet. III. Quia conversio ista per homines & per verbum ab iis prædicatum effici dicitur, usque adeò ut homines ipsi dicantur in Scripturis *generare, regenerare, renovare, illuminare, aperire oculos eorum, convertere eos à tenebris ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum* Gal. 4. 19. 1. Cor. 4. 15. Act. 26. 18. &c. & verbum prædicatum *semen* illud dicatur, *quo regignimur*, Jacob. 1. 18. 1. Petr. 1. 23. collato cum vers. 25. & verbum *ex cujus auditu fides est*, Rom. 10. 16. Alienum autem atque absurdum foret effectum illum, id est, conversionem tribuere hominibus, & prædicato verbo, quorum efficacia tota non nisi moralis, ac proinde ut verbo Censoris utar, incerta efficacia est, si tota conversio ab ista gratiæ efficacia est, quæ non potest non sortiri effectum, quæque per istos modos loquendi, quos Censor allegat, designari ab eo dicitur.

Quæ paragrapho sequente à Remonstrantibus dicuntur, ea, inquit Censor, *verbis quidem veritati divinæ conveniunt, sed vestris antecedentibus opinionibus consentanea non sunt: Nam quomodo obsecro hæc inter se conveniunt; Homo in statu peccati nihil boni, quod quidem salutare bonum sit, ex vel à seipso cogitare potest, nedum velle aut facere; & tamen homo potest antequam verbum Euangelii ei revelatum est naturæ lege sic uti, ut Deus ex æquitate teneatur ei revelare Euangelium, quemadmodum alibi asseritis?* Ubi Censor? cedo locum ex Confessione, aut revoca dictum: Tum addis, *homo potest esse humilis, esurire & sitire Justitiam, seipsum ad salutem disponere antequam credit in Christum.* Cedo, inquam, locum aut pœnam falsi incurre. Quid hic aut ille dixerit, nesciunt Remonstr. nec tenentur præstare omnium dicta. Ex Confessione sua judicari volunt, hæc communis omnium est. Sed posito etiam tale quid dictum ab hoc aut illo esse, da locum Censor ubi id posse hominem dicitur naturalibus viribus, sine communi gratia. Hoc nisi feceris, dissensionem non ostenderis. Tum totius Antiquitatis vox est, hominem, antequam de Euangelio quicquam audivit, beneficio gratiæ communis lege naturæ rectè uti posse. Nec desunt ex antiquitate complures, qui asserunt Deum talibus, id est, naturæ Lege rectè utentibus teneri ex congruo gratiam Euangelicæ revelationis dare, quod nuspiam tamen in sua declaratione affirmant Remonstrantes. *Quomodo item dicitis*, inquit, *gratiam esse principium, progressum, & complementum omnis boni, &c. Ita ut fides,*

Hominē posse sine gratia se disponere ad fidem, falsò tribuitur Remonstr.

conversio,

conversio, & bona opera, omnesque actiones piæ & salutares, quas quis cogitando potest assequi, gratiæ Dei in Christo, tanquam causæ suæ principali & primariæ in solidum sint adscribendæ, & tamen antea statuistis, efficacem vocationem, qua fit ut homo vocanti Deo pareat, distingui à sufficiente, non ex gratiæ natura aut mensura, sed ex liberi arbitrii solo usu. Quasi verò hæc pugnent: Gratia est principalis & primaria boni omnis causa in nobis, & gratia efficax ab eventu vel ab usu liberi arbitrii (à solo enim nunquam dixerunt Remonstr.) efficax vocanda est, non ab intentione Dei sola sic dicta: Imò, quia gratiam Dei principalem & primariam causam boni omnis esse dicunt; idcirco hæc non pugnant. Si eam vocassent causam unicam, totalem atque integram non moralem tantum sed physicam, speciem haberet oratio. Nunc specie omni caret disjunctiva ista, quam adfert Censor: *Aut ergo usus ille bonus, & cooperatio liberi arbitrii cum gratia, bonum salutare non sunt: aut omnia bona salutaria & actiones piæ, Dei gratiæ, tanquam causæ principali & primariæ in solidum à vobis non adscribuntur:* Imo vero, inquam, usus ille bonus & cooperatio ista liberi arbitrii cum gratia bonum salutare sunt Remonstrantibus, & usus iste bonus, gratiæ tanquam principali & primariæ causæ ab ipsis adscribitur, & tamen efficax gratia ab usu isto libero non à gratiæ natura aut mensura efficax ab ipsis vocari creditur. Hæc non pugnant: Gratiæ enim, cui cooperatur liberum arbitrium, motio tota moralis est, non Physica. Motio autem ista principalis & primaria adeoque tota moralis causa est, per quam producitur consensus in voluntate. Et tamen, consentientibus penè omnibus Philosophis ac Theologis, moralis omnis actio efficax vocatur non à natura aut mensura actionis ipsius, sed ab usu & cooperatione liberi arbitrii: En Censor explicatum levi momento quod inexplicabile putabas. Nec vobiscum se sentire coguntur fateri Remonstrantes, nec contraria sibi ipsis dicere. Age vero tu, mi Censor, explica, & cōcilia hæc inter se. Usus ille bonus gratiæ aut est actus officii nostri, qui virtuosus dici meretur; Aut nō est. Si est, quomodo itaq; efficacis gratiæ effectus in solidum est? Si non est, quid ergo est? Viceris, si dixeris quid sit, ut intelligi ab eo possis, qui communi tantum sensu præditus est.

Non pugnant: gratia est primaria & principalis caussa omnis salutaris boni, & gratia est efficax ab eventu.

Dilemma insolubile.

Paragrapho septimo; *Libenter agnoscimus*, inquit Censor, *hominem gratiam divinam adspernari & respuere, ejusque operationi resistere posse; Proinde opus non erat ut id tam operose probarent Remonstrantes.* Quomodo hoc agnoscat, & quam libenter ex sequentibus constabit. Longè aliter sine dubio gratiæ vocem accipit hic Censor, quam à

Remon-

Remonſtrantibus accepta fuit hoc paragrapho. Hi enim gratiam intelligunt eam, quam principium, progreſſum & complementum omnis boni eſſe paragrapho præcedente dixerant, & per quam eos, qui ordinarie convertuntur, converti ſtatuunt. Quid, an hominem huic gratiæ reſiſtere poſſe libenter agnoſcit Cenſor? Si ſeriò, vicimus, ô Socii, magnum operæ pretium fecimus. Sed longè aliter ſe res habet: Agnoſcit Cenſor, non agnoſcit: Libenter, non libenter, hominem, gratiæ, non gratiæ, reſiſtere poſſe, non poſſe reſiſtere. Nam quid ait? *Sive*, inquit, *reſpiciamus gratiam externam Euangelii, quod miniſterium ſpiritus appellatur*. 2. Cor. 3. *Sive etiam operationes internas Spir. S., quibus mentem hominis de veritate Euangelii & ſuo officio convincit, fatemur hominem huic gratiæ operationi poſſe reſiſtere, &c.* At gratia hæc non eſt illa gratia, quæ ſufficit ad convertendum hominem, & qua actu aliquando aliqui convertuntur. Atqui de ea agit Remonſtrantium Confeſſio in terminis. Gratiæ itaque illi reſiſtere poſſe, eſt poſſe reſiſtere non gratiæ. Deinde, ut jam non expendamus has gratias, earumque acceptiones, quæ rigidum ſanè examen non ferunt, vide quam multæ ineptiæ ſint in tam brevi periodo. Dicit I. hominem illis gratiis poſſe reſiſtere, & tamen ibidem aſſerit, hominem iſtis non poſſe non reſiſtere. Quis a. niſi inepte dicat, poſſe aliquem aliquid, qui non poteſt contrarium. *Ejus eſt velle*, regulæ juris ajunt, *qui poteſt nolle*. *Conſentire non poteſt* ait Triphonius Iureconſ. *qui nec poteſt diſſentire*. *Si vis ſcire an velim*, *ait* Seneca, *effice ut poſſim nolle*. ἐν οἷς γὰρ ἐφ' ἡμῖν τὸ πράττειν καὶ μὴ πράττειν καὶ ἐν οἷς τὸ μὴ καὶ τὸ ναί, inquit Ariſtoteles lib. 3. Nicomach. Cap. 5. II. Dicit *hominem ſeipſum, cum divinitus ad fidem & obedientiam vocatur, inidoneum poſſe reddere ad credendum*. Quid ineptius? Nam antequam reſiſtit homo gratiis iſtis, in ſuperlativo gradu inidoneus eſt, adeo ut magis inidoneus eſſe non poſſit; eſt enim planè mortuus. Quis a. de eo, qui talis eſt, dicat quod ſe inidoneum poſſit reddere? Eodem jure dixeris, cæcum hominem ſeipſum inidoneum reddere poſſe ad videndum, & mortuum ad ſe exſuſcitandum. III. Dicit *hominem talem ſe inidoneum reddere poſſe propria ſua culpa, eaque vera & per eandem gratiam vincibili, ſi homo gratiam iſtam in injuſtitia non detineret, quod omnes tamen homines ſibi relicti faciunt*: Nempe, Si. Quis hanc culpæ & veræ culpæ, & vincibilis culpæ rationem intelligat? Hoc ipſum, quod homo, nulla propria ſua culpa, imo per divinam punitionem tantum inidoneus eſt factus ad credendum, & obediendũ, ac proinde gratiam in injuſtitia neceſſario detinens, quomo-

Ridiculè Cenſor videri vult agnoſcere, gratiæ divinæ operationem non eſſe irreſiſtibilem.

Detegitur Cenſoris fallacia in vocæ gratiæ.

quomodo non liberat atq; absolvit eum à consequente omni culpa propria & vera? Si non, tum reus novæ pœnæ fit per id, quod in ipso nulla propria ac vera culpa ejus est, & quod causa ejus facti est, in quo culpa propria ac vera esse dicitur. Et quomodo vincibilis culpa est, quæ existit ex causa, quæ homini prorsus invincibilis est, quam homo sibi relictus non potest non contrahere? Apagesis tam barbaras culpas & pœnas, quæ monstra potius decent, quam homines, nedum sanctissimum Deum.

IV. Dicit; *sed inde non sequitur non esse aliquam gratiam peculiarem, &c.* Quasi verò quisquam adeò væsanus sit, ut ex tam ineptis propositionibus conclusionem talem sequi dicat. Quæritur tantum hoc in loco: An gratia illa, qua Deus uti vult ad convertendum homines ad veram fidem in Jesum Christum, & qua actu aliquando aliqui convertuntur, eâ efficacitate administretur, ut ii quibus ea contingit, non possint non converti; (quod appellatur à Remonstrantibus *non posse resistere*) an verò tali efficacitate, quam libera voluntate possint admittere aut respuere (quod appellatur in hac causa *posse resistere*) Quæstio quam Censor facit; *An non detur aliqua peculiaris gratia, sive per Dei sapientiam sive per potentiam ejus administrata, cui homo, qui per eam vocatur, nunquam resistit*, aliena & impertinens est, ob duas causas. I. Quia intelligi potest de gratia, seu extraordinaria, seu speciali quadam, respectu paucorum quorundam hominum, quod sine periculo admitti potest, & ab Antiquitate tota extra dubium positum fuit, salva semper manente sententia generali de conditionata electione eorum, qui ordinariè vocantur. II. Quia, cum de actu solo loquatur, intelligi potest de gratia illa, quæ effectum sortitur, sive sortiatur, cum cooperatione liberi arbitrii, sive cooperatione. Ratio est, Quia de ea etiam verum est, quod ei nemo unquam resistit, qui per eam vocatur. Alio itaque & quidem eo, quo diximus, modo, concipienda fuerat. Sed esto, cum de mente satis constet, quicquid eam Censor ubique pene in hac materia sub speciosis verborum involucris occulere soleat, de verbis soliciti ne simus. *Scriptura hîc tam manifesta est*, inquit, *ut nemo nisi errando adversus eam unquam disputaverit. Probant id promissiones V. T.* Esa. 43. 17. legendum est Esa. 44. 1. Ierem. 31. 23. Ezech. 36. 26. At quis non miretur Censorem, qui tam confidenter audet asserere Scripturam pro ista sententia adeo manifestam esse, ut nemo contra eam nisi errando disputare possit, non saltem majorem operam daturum fuisse ut non nisi clara & manifesta, si quæ erant loca, adduceret: Vix dubitandum est, quin

Expenduntur promissiones Vet. Testam. quibus Censor gratiam determinatem promitti asserit.

quin cum hæc clarissima censuerit, alia defuerint. Unde non immerito quis contra eum regesserit, Scripturam pro ista inepta sane ac novitia opinione tam obscuram esse, ut nemo nisi errando pro ea disputaverit. Rem testem demus. Locus primus ex Esa. 44. 1. citatur, *Sic ait Iehova qui fecit te & formavit te ex utero adjuvaturus te: Ne timeto, serve mi Iacob, & IESCHURIM quem elegi: Nam effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam, effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super prognatos tuos & efflorescent veluti gramen, veluti salices inter progressus aquarum.* Locus hic, inquam, totus est allegoricus, sive potius scatet perpetuis metaphoris, quibus quid directe Deus significaverit, non usquequaque certum est. Nec enim constat, I. quod in eo loco agatur de gratiis spiritualibus ac non potius de benedictionibus temporalibus, quibus Deus *rectos* in populo suo, aut populum totum Israelis propter *rectos* illos volebat afficere. Certe nihil est in loco quod non permittit, ut de hisce benedictionibus, aut hujusmodi benedictionum promissione intelligatur: Effundere enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam, significare idem potest, quod populo afflicto variis calamitatibus, & sub jugo divinarum visitationum gementi, succurrere tali beneficio, quod non minus gratum erit futurum, quam si sitienti magna aquæ copia, & aridas fauces habenti, vel terræ præ siccitate & ariditate fatiscenti, fluenta integra affunderentur. Effundere spiritum suum dici potest Deus, cum homines, jam pene ob angustias anima defectos, & spiritum vix trahentes, inter varias calamitates, novo quasi spiritu, novaque virtute adflat, refocillat, & recreat, ut ex variis locis parallelis liquido constare potest. II. Posito, quod in eo agatur de gratiis spiritualibus, neutiquam tamen constat, imo ne vestigium quidem in textu est, unde verisimiliter concluditur, in eo agi de gratia, quæ ad conversionem necessaria est, de qua tamen hic quæritur; imo non obscure ex textu patet in eo agi de gratia, quæ datur jam conversis: Deus enim alloquitur Israelem, quem *rectum* vocat, quia, ut inquit Vatablus, recto & sincero animo Deum colebat opponitque carnali & infideli Israeli, id est, carnalibus in Israele quos Cap. præced. graviter reprehenderat. III. Posito etiam quod in eo agatur de gratia ad fidem & conversionem necessaria, qua verisimili ratione evincetur gratiam istam esse peculiarem illam determinantem gratiam, quæ hic promittitur. Hoc age, Censor, & rem miram feceris. Nos contrarium hoc argumento evincimus. Gratia hæc promittitur Israeli recto, quia tum ea

Locus Esa. 44. 1. examinatur.

carebat Israel & ea indigebat. At gratia determinans ista, quam Censor vult, jam tum locum habebat in Israele recto: Israel enim rectus non erat sine ista gratia: Et omni tempore eodem modo gratia ista ubique locorum locum habuit; quia semper & ubique Deus habuit electos & fideles suos. Ergo de gratia illa hic locus intelligi, nec debet, nec potest: Saltem falsum est, quod Censor ait, *Scripturam hic manifestam esse pro ista gratia*. Nec juvat, si dicas *gentium vocationem hic promitti Israeli*. Nam & incertum id est apud interpretes, & revera falsum. Quia promissio ad Israelem dirigitur, aut ad semen & posteros Israelis: Gentes autem semen Israelis nunquam vocantur, neque semen Israelis sunt. Deinde, quæ ratio esset istius præcedentis hortationis, *Ne timeto serve mi Jacob*, nam aliquando ego vocabo gentes etiam ad fidem; puta post octingentos aut *mille* annos. Quid? an timebat Israel, ne hoc fieret aut ne hoc faceret Deus? Sed & posito quod id verum sit, quid hoc ad rem? Promissio enim ad populum totum dirigitur: At gratia ista peculiaris ad totum populum non pertinet. Ergo hæc promissio non est gratiæ hujus peculiaris promissio. Denique si ad paucos tantum quosdam ex gentilibus, nominatim à Deo ab æterno electos promissio pertinere dicatur, quænam erit consolatio hæc, qua Israelem Deus vult erigere contra metum & consternationem? Ne timete vos electi in Israele; Sicut ego vos paucos elegi, & reliquos omnes reprobavi; Sicut vos vocavi vocatione efficaci, reliquos autem non vocavi ea vocatione: Ita agam aliquando in gentilibus, post aliquot secula. Quis succum, quis medullam consolationis in hac oratione esse intelligit contra metum illum, quo obsessus erat Israel? Loca duo ex Ierem. 31.23. & Ezech. 36.26. quibus una eademque promissio continetur, quam ineptè ad probandum quod vult Censor allegentur, jam ante demonstravimus paragrapho hujus cap. tertio.

Demonstratur quam ineptè Censor promissiones V. Test. de gratia determinante, compleri in N. Test. probet.

Probat idipsum promissionum illarum complementum, inquit, *in Novo Testamento*. Mirabilis probatio. Quasi vero promissio de peculiari gratia, qua electi efficaciter vocantur, ad N. Testamentum pertineat, aut complementum promissionis istius in N. Testamento fiat. Sanè, si ita se res habet, nulli fideles, nulli vere conversi fuerint ante Novi Testamenti revelationem. Aut si fuerunt fideles, non minus sub Veteri Testamento quam sub Novo, necesse utique est, ut gratia illa peculiaris, sine qua conversio fieri non potest, adfuerit non minus sub Veteri, quam sub Novo: Unde, quid de promissionibus hujus gratiæ & complemento promissionum istarum sentiendum sit, facilè colligitur.

Quis enim dicat loca ista, *quicquid dat mihi Pater, venit ad me: Deus aperuit cor Lydiæ ut attenderet*,&c. & *Deus est, qui in nobis efficit velle & perficere*; continere complementum promissionum illarum, quæ agunt de gratiæ efficaciâ, quâ electi convertuntur? Quasi verum etiam non fuerit in V.Test. Quicquid dat Pater Christo venit ad Christum, & quasi Deus non aperuerit tum æque cor Mosis, Josuæ, & Davidis,&c. atque in N.Test. aperuit cor Lydiæ; & quasi tum non effecerit in electis suis velle & perficere, sicut nunc in N. Test. id facere dicitur. Dicet forte quis, promissiones intelligi, tum de ampliore gratia, tum de gentibus, ad quas gratia ista extendenda erat: Atqui, neutrum dici potest. Non prius. Gratia enim peculiaris in indivisibili posita est: Non habet latitudinem: una eademque semper ubique est. Nec posterius, quia loca illa omnia, quæ citantur, de gentibus non agunt: Priora duo expresse de Judæis agunt; de Lydia an Judæa, an gentilis fuerit, incertum est. Sed loca ipsa videamus. Primus desumtus est ex Iohan.6.37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me non ejiciam foras*: At quis hunc locum manifeste agere dicat de gratiæ illius efficacis, quam Censor probare vult, collatione? Ne per speciem quidem, nedum manifestè id liquet; Nam posito, quod verbum *Dandi* hic significet dationem cum effectu, uti non inviti concedunt Remonstrantes, an inde cum specie aliqua inferet quis, Ergo datio hæc est istiusmodi efficax gratiæ collatio? Nihil minus. Nec enim de datione illa, qua fides dari creditur, nedum de modo, quo dari creditur, hoc in loco agitur; sed de datione ad salvandum, & æternæ vitæ pane saturandum, uti ex antecedentibus & consequentibus manifestum est: ut sensus sit: Vos petitis à me panem illum, qui, ubi eum sumseritis vos à fame æternum immunes possit servare: At illum ego non do aliis, quam iis, quibus Pater eum dari vult, Non enim veni ut exequerer meam sed Patris mei voluntatem. At Pater eum dari non vult, nisi iis, qui primum ad me veniunt, in me credunt, & doctrinæ meæ ingenue adhærent. Quicquid enim, id est, quoscunque Pater mihi dat ut iis panem istum dem, quo sumto nunquam esuriant, ii primum ad me venient, id est, in me credent. Sed vos non creditis, id est, non vultis credere in me. Ergo ego vobis panem illum non sum daturus, quia facerem contra aut præter voluntatem Patris mei. Et ratio non obscure arguit de ista, qualem Censor fingit, datione, hic non agi: Nam verbum ἥξει in futuro prolatum, satis indicat τὸ venire aliquid esse, quod vel tempore antecedit dationem Patris, vel sequitur: Nam

Expenditur locus depromtus ex Ioa.6. 37.

Sensus verborum *Quicquid dat mihi Pater, &c.*

veniet ad me necessario significat, vel prius veniet ad me, vel, post dationem veniet ad me. At si datio Patris talem hic efficacem operationem notaret, neutrum dici posset. Qui enim dantur à Patre Christo, id est, in quibus Pater fidem efficaciter operatur, ii non venient ad Christum, sed eo ipso veniunt. Non enim in quibus actu efficitur fides, ii credent, sed ii actu credunt; Deinde, verbum *venire* satis arguit de ista datione, quæ operatio irresistibilis sit, verba textus accipienda non esse. Agitur enim de veniendo ad præscriptum Christi. At nemo venire dici potest ad præscriptum alterius, nisi καταχρηστικῶς, cujus voluntas ea efficacitate movetur, ut non possit non ferri quo præscribens jubet. Sed quid multis? Nulla, non dico ratio, sed ne species quidem rationis, pro Censoris interpretatione est. Nec major species, si non minor, est in versu, qui sequitur 45. *Erunt omnes docti à Deo: Quisquis ergo audivit, & didicit à Patre, veniet ad me.* Imo, tantum abest, ut species pro Censoris interpretatione major sit in versu illo, ut contrarium potius ex eo colligi debeat. Speciem non esse pro Censoris interpretatione inde liquet, quia textus non dicit, Erunt omnes *docti à Deo*; sed erunt omnes *docti Dei*, διδακτοι τῶ θεῶ, id est, habebunt solidam cognitionem Dei, eodem sensu quo doctus aleæ, trochi, Musicæ, &c. dici solet. Et posito textum habere, *Erunt omnes docti à Deo*, non tamen dicit quomodo omnes à Deo docti sint, aut edoceantur, sed tantum dicit, quotquot docti sunt, eos à Deo doctos esse. Deinde, textus non dicit, omnes eos, quos Pater docere vult, aut quos docet, eos venire ad Christum; sed tantum eos, qui ita docentur à Patre ut audiant & discant, & sic revera docti Dei fiant, sive docti fiant à Patre: De doctrina itaque Patris non affirmatur hic, quod nunquam successu careat, aut quod ut plurimum eo non careat. Non enim dicitur, qui docentur à Patre, ii omnes audiunt & discunt, sed de doctrina Patris, quæ successu non caret, sive quæ auditur & discitur, affirmatur, quod ad Christum venire faciat. Qui enim audiunt & discunt à Patre, ii dicuntur οἱ διδακτοι τῶ θεῶ, reipsa docti Dei sive docti à Deo, sive veri discipuli Patris, quia nimirum tales doctrinam Patris in animum admittũt, ex eaq; affectum veritatis & probitatis studiosum hauriunt; prout docti apud nos dicuntur, non qui cum cæteris Magistrum aliquẽ docentem audiverunt, etsi ex eo nihil aut parum profecerint, nihil aut parum didicerint, sed qui bene didicerunt, aurem & animum adverterunt, & sic reipsa docti sunt facti. Et hi tales dicuntur ad Christum venire, id est, quando per Euangelium vocantur, sponte ac li-

Sensus verborum Erunt omnes docti Dei &c, Ioa, 6. 45.

ac libenter ſeſe ejus doctrinæ ſubmittere, quia Chriſti doctrina per omnia cum doctrina Patris convenit, nihilque habet à quo pius animus, non dico abhorreat, ſed non fortiter ad Chriſtum trahatur & alliciatur. Atque hinc efficitur contrarium potius quam quod Cenſor vult ex textu hoc colligi poſſe. Diſcere enim eſt actus non docentis, ſed diſcipuli, & actus qui liberã diſcipuli curam ac diligentiam ſupponit, quique proinde poteſt non habere locum in diſcipulo, etiam quando optimè docetur. Multi enim idcircò non diſcunt, non quia non poſſunt diſcere, aut quia non ſatis docentur, ſed quia, aut non volunt, aut non curant animum advertere ad ea, quæ docentur. Si dicas aliam eſſe rationem Dei docentis, aliam hominum docentium, petis τὸ ἐν ἀρχῇ, & vim argumenti, quæ phraſi hac, *erunt docti à Deo* nitebatur, deſeris, novoque argumento pugnes neceſſe eſt. Eadem eſt ratio loci qui ſequitur, Act. 16.14. *Deus adaperuit cor Lydiæ, ut attenderet ad ea, quæ dicebantur à Paulo.* Nam nullo veriſimili argumento evincet Cenſor, apertionem cordis Lydiæ, hic denotare peculiarem illam divinæ gratiæ efficacis actionem in cor Lydiæ, qua factum fuerit, ut Lydia attenderit ad concionem Pauli, & per cujus unius defectum fuerit factum, ut cæteræ mulieres non attenderint, nec attendere potuerint. Nihil enim vetat accipere verba hæc ita, ut non ſignificent aliud quid, quam eventum concionis Paulinæ, cujus ſubſtantia tota divina erat, & à Deo ipſi Paulo ſuggeſta, hunc fuiſſe in Lydia, quod cor ejus per eam adapertum fuerit, ita ut attenderet, id eſt, fidem adhiberet iis, quæ à Paulo dicebantur. Erat enim timens Dei mulier, ac veritatis & ſalutis ſuæ ſtudioſa ſecus quam mulieres cæteræ, quamquam eæ etiam ad precandum foras cum ea prodibant: Quantum autem poſſit hujuſmodi probitas, ut quis cum fructu audiat veritatem, id arguunt clariſſimè multa Scripturæ loca. Ioha. 7. 17. Ioa. 3.20 & 8. 47. Pſal. 25.9.12.14. Proverb. 1.2.3.4. 5.6. 7.8. & ſimilia. Senſum hunc verbis his ineſſe, nihil vetat. Nam, etiamſi hac interpretatione eventus tribuatur concioni Paulinæ, nihilominus tamen optimè dictum fuerit Deum aperuiſſe cor Lydiæ, quia tota concionis Paulinæ ſubſtantia, præcepta ſcilicet, promiſſa, rationes & argumenta à Deo erant. Deum autem dici facere, quod fit per iſta media, quæ à Deo ſunt, infinita loca demonſtrant, & ſpeciatim contraria omnia loca, quibus diabolus dicitur facere id omne, quod diabolicis artibus ac fallaciis fit. Tantò autẽ veriſimilius videri debet hunc eventum Paulo tribui, quia expreſſe ipſe ſeſe à Ieſu vocatũ & miſſum eſſe dicit Act. 26.18.

Examinatur locus Act. 16. 14. de apertione cordis Lydiæ.

ut ape-

ut aperiat oculos gentium, ut convertat eos à tenebris ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum. Verum enimvero, posito etiam per *adapertionem cordis Lydiæ*, denotari peculiarem quandam Spir. S. actionem in cor Lydiæ, nihil tamen ad propositum faceret. Quæritur enim hoc in loco de actione Spir. S. qua primam conversionem, sive primum actum fidei & regenerationis in nobis producit, an ea sit peculiaris seu per potentiam, seu per sapientiam administrata actio, qua posita, non possit non sequi actualis hominis conversio. At in loco isto de ea actione non agitur, si omninò de peculiari actione eum agere velimus quæ per adapertionem cordis Lydiæ denotatur. Ratio est, quia mulier hæc jam tum disertè in textu vocatur *timens Dei*, σεϐομένη τὸν θεὸν, & de ea affirmatur quod *convenerit una cum aliis extra urbem*, idque ex more, uti textus videtur indicare, *ad orandũ Deum:* ubi valde verisimile est eam etiam à Deo petiisse ut inclinaret cor ejus ad testimonia à Paulo revelanda; & à Deo exauditam esse. *Secretum enim Domini timentibus ipsum*, Psal. 25. 14. Ioan. 7.17. Locus itaque hic perperam allegatus est. Locum ad Phil. 2. 13. jam paulo ante prolixè tractavimus. Itaque ne actum iterum agamus, eo Lectorem remittimus: ut & ad ea, quæ antea à nobis fuse dicta ad loca ista, in quibus fides & resipiscentia *donum Dei* esse asseritur; quia de iis antea visum esse Censor hic ait. Exceptio Censoris ad responsionem generalem, quæ à Remonstrantibus, cum loca ista in medium adducuntur, fieri solet, expendenda tantum hic venit. *Nam* inquit, *quod Remonstr. existimant fidem & resipiscentiam Dei donum dici posse, etiamsi is, qui credit & resipiscit, id non necessario à Deo accipiat, hoc est, ut loqui solent, donum oblatum, non collatum, id omninò, absurdum est, quia id quidem dici potest de donis, quæ extiterunt, antequam acciperentur, sed de ejusmodi donis, quæ non existunt, nisi cum donantur, nunquam quisquam sanus dixit se cuiquam illa donasse, si ille cui donata sunt, ea certò non acceperit, ut robur, pulchritudo, sapientia, &c.* Exceptio hæc multis modis laborat. Nam: I. Etiamsi non diffiteamur donum propriissimè dici id quod actu datur, & recipitur, tamen non rarò, tum apud Iureconsultos, tum in communi sermone, donum etiam vocari solet, quod offertur, etiamsi non accipiatur ab eo, cui offertur, & dare dicitur is, qui dare ex animo voluit, etiamsi actu non det. Atque hoc agnoscit Censor verum esse, nam ait id rectè dici posse *de istiusmodi donis, quæ extiterunt, antequam acciperentur.* Hactenus itaque ex verbo dandi, aut ex voce doni nihil demonstrativè pro sententia Censoris concludi posse, manifestum est.

Respõdetur ad distinctionem Censoris inter dona quæ extiterunt antequam acciperentur & inter dona quæ non existunt nisi cum donantur.

II. Quod

II. Quod Censor ait esse dona quædam, quæ non existunt, nisi cum actu recipiuntur, ut robur, pulchritudo, sanitas, verissimum est. At dona omnia, quæ vocantur, talia esse, ut aut existant antequam donantur, aut non existant, nisi cum donantur, falsum est. Sunt enim dona quædam, quæ nec existunt antequam donantur, nec statim recipiuntur, cum donantur. Talia sunt omnia ea, quæ is qui donare dicitur, jubet & mandat ut accipiantur, cujusmodi sunt actiones omnes, quæ sub præceptum cadunt, quod gratiosè alicui datur, ut ejus præstatione, excellens aliquod bonum, quod alioquin habere aut ab alio accipere non posset, consequatur; quæ sanè, quatenus actiones illæ medium gratiosum sunt, per quod bonum istud obtineri potest ac debet, ex parte ejus, qui eas jubet, dona dicuntur, etiamsi nec ante existant, quam recipiuntur, nec recipiantur, cum donantur. Hoc ita esse his rationibus evinco. I. Quia Deus dicitur variis in locis dedisse populo suo ea, quæ populo jubebat, ut acciperet, aut ut sibi compararet, & quæ tamen populus nec accipiebat, nec sibi comparare volebat: Ita Deus dicitur *salutem dedisse populo, vitam dare mundo, resipiscentiam dare Israeli.* Act. 7. 25. Joha. 6. 33. Acto. 5. 31. cum tamen populus salutem illam non consequeretur, mundus vitam illam non vellet, Israel non resipisceret, & propriè loquendo nec salus ista, nec vita ista, nec resipiscentia ista antea existerent. Sic dicitur Deut. 1. 25. cum exploratores, id est, Iosua & Caleb terram promissam laudantes, & populum ad eam invadendam hortantes, dicerent, *Bona est terra, quam Iehova Deus noster dat nobis*; quod Moses populo exprobraverit, *Et tamen noluistis ascendere, sed rebellastis verbo Jehovæ Dei vestri.* Et cum nihilominus Moses eos hortaretur ut bono animo essent, & non timerent: *Tamen*, inquit, *per hoc non credidistis domino Deo vestro: Audivit autem Jehova*, inquit, *vocem verborum vestrorum, iratusque est ac juravit, dicendo: Non videbit quisquam ex hominibus istis de generatione hac mala terram bonam*, &c. *Sed dabo eam Calebo filio Iephunneh, ipse videbit eam, & filii ejus, quia adimplevit ire post Iehovam:* Similia loca infinita sunt. Dices hic fortasse, Terram istam jam tum extitisse, cum eam Deus daret. Sed frustra: dicam enim similiter, vitā æternam etiā aliquomodo extare, antequā Deus eam hominibus dare vult: Sed uti illam terram armis acquirendam dabat Deus, ita nunc æternam dat, sed fide & sanctimonia vitæ invadendam. His adde, cur eadem ratio in verbo *dandi* & voce *doni* locum non habeat, quæ locum habet in verbis Synonymis, *servandi, illuminandi, trahendi* & similibus? At hæc Deo & Christo tribu-

untur etiam tum, cum salus, sive servationis effectus, illuminatio & actualis tractio non consequitur. Sic Christus dicitur, *Lux illa, quæ illuminat omnem hominem.* Joan. 1. 9. *Deus servator omnium hominum,* 1.Tim.4.10.Christus *tracturus omnes ad se*, Ioa.11 23. cum tamen, nec omnes illuminentur,nec omnes serventur,nec omnes trahantur. II.Quia Deus de eo ipso conquestus aliquando apud populum, adeoque populo id vehementer exprobrasse legitur, *quod ei cor non dedisset ad intelligendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum.* Deut. 29. 4. Sic enim verba ista intelligenda esse antecedentia & consequentia clarissimè arguunt, atque imprimis ista verba, quæ adduntur *usque ad diem hanc.* Quasi dicat Deus: Quicquid hactenus egi, quid autem non egi, ut vestrum cor mihi adjungerem, & à vobis obtinerem, ut me,prout oportet, coleretis?id omne frustra fuit.Eò usque pervenire non potui,ut quod ex animo volebam, cupiebam, optabam, cor vobis insererem meæ voluntatis & Legis studiosum: omnia dona mea eò facientia respuistis,omnia insuper habuistis, & hilum non profeci apud vos. Hæc exprobatio, quem nervum,quod os habet,si datio cordis nō significat nisi dationem, quæ facit donum ipsum existere,efficitque ut accipiatur,id est,si non significat nisi efficaciam talem, quæ non potest non sortiri effectum? III. Quia nisi hanc significationem verbi *dandi* admittamus, necessariò consequetur, fidem, resipiscentiam, sanctitatem, &c. non aliter effici aut existere in hominibus, quam robur, sanitas, pulchritudo in iis effici solent atque existere. At nihil absurdius cogitare mens humana potest. Nam I. sic non minus stultè & ridiculè præciperetur hominibus fides, resipiscentia, pietas, sub comminatione mortis æternæ;quam si quis iis, cum comminatione mortis præciperet, ut robusti sani,pulchri & proceri sint. II.Sic non minus stultè & ridiculè fides, resipiscentia,sanctitas alicujus, virtutis præmio dignæ titulo insignirentur, quam si quis procerum, robustum, sanum pulchrum, diceret virtuosum, & præmio dignum. *Sed*, inquit Censor, *hoc argumentum nullius momenti est; quia non statuimus Deum solum sic fidem dare & resipiscentiam, ut media ad eam in nobis efficiendam non adhibeat, cum media illa sint objectum, circa quod fides & resipiscentia versantur & instrumenta, per quæ in nobis à Deo efficiuntur.* Quam frivola sit hæc exceptio, pœnè ex terminis patet: Præcepta enim promissionibus præmiorum, & comminationibus pœnarum sancita, servire posse pro mediis & instrumentis, ei qui donum confert, quod non existit,nisi cum donatur, & quidem eodem modo,quo robur, pulchri-

Diluitur exceptio Censoris qua Deum sic fidem dare asserit ut media ad eam in nobis efficiendam adhibeat.

pulchritudo, sanitas donantur, adeò est ineptum atque absurdum, ut palpari penè possit. Præcepta enim, quà præcepta sunt, ad summum non habent nisi moralem efficientiam, quæ juxta Censorem tota est incerta & inefficax, quia immediatè non attingit voluntatem sed mentem tantum atque intellectum: At hic non agitur nisi de donatione sive efficientia, quæ certò, ut Censor loqui vult, id est, inevitabiliter effectum sortitur, sive quæ voluntatem ipsam in se corruptam immediatè afficit, in eâque certò consensum efficit. Fatemur quidem dici posse præcepta concurrere per modum signi vel objecti repræsentantis id quod Deus donando efficere dicitur, quod à Censore hic indicatur, sed ut concurrant aut adhibeantur veluti instrumenta, quæ sub ratione præceptorum, quatenus præcepta sunt, operantur, moraliter impossibile est. Nam præcepta, qua talia, obligant eum, cui ponuntur, sive postulant officium ejus cui dantur & qui præcepta ista præstat, is præstando ea, officium præscriptum sibi facit. In quo autem effectus, id est, præstatio ejus quod præscribitur, per donationem talem efficitur, qualis est donatio roboris, sanitatis, pulchritudinis, &c. is præstando id, quod præscribitur, officium suum facere ut dicatur, ab omni recta ratione alienum est. Facit quidem talis id, quod præscribitur, sed non facit quà præscribitur, & præceptum non concurrit ad obsequium, ut ratio movens & obligans hominem ad obsequendum, sed tantum ut objectum sine quo obsequium esse non potest, proinde præstatio ejus, quod præcipitur, non est præcepti præstatio, sed præstatio similis ei, qua quis præcepto, qua tali, obtemperat. Ex quo patet, hac ipsa exceptione totam formalem vim divinarum præceptionum penitus elidi atque eviscerari. Et sane, si Censor consequenter loqui velit, necesse est ut fateatur, totum verbum Dei non servire pro instrumento conversionis, sed tantum pro objecto & doctrina mera, circa quam versantur fides & resipiscentia, quia fides & resipiscentia à Deo speciali actione immediatè efficiuntur in voluntate, proinde præcepta, qua talia, promissa, comminationes, hortationes, querelas, obtestationes, quibus verbum Dei scatet, non esse nisi inania signa & operosam simul ac ludicram quandam histrioniam. Locus, qui ex 1.Cor.3.6. citatur; *Ego plantavi, Apollos rigavit, sed Deus dedit incrementum, &c.* ad rem non facit: Datio enim incrementi, non dicit necessario actionem aliquam Dei specialem & distinctam à plantatione & rigatione, cujus vi fiat ut plantatio & rigatio non possint non esse fructuosa; sed tantum plantationis & rigationis vim divinam esse, significare potest,

Ventilatur locus 1.ad Cor. 3.6. à Censore allegatus.

teſt, quaſi legatur, ſoli Deo acceptum ferendum eſſe, quando plantatio & rigatio fructuoſæ ſunt, quia tota vis & efficacia, quæ in plantatione & rigatione eſt, à ſolo Deo profecta eſt, prout clariſſime id explicatum legimus 2.Cor.3.4.5.6. In naturalibus res patet: Deus iis, quæ plantantur & rigantur ab hominibus, incrementum dare dicitur in communi ſermone, non quia peculiari actione divina fit, ut plantata & rigata creſcant, ſed quia Deus vim iſtam, quam terræ indidit, in qua plantatio, & aquæ, per quam rigatio fit, conſervat aut vigorem & vim ſuam habere ſinit; quod niſi faceret, plantatio & rigatio tota ſine fructu eſſet, & plantata ac rigata incrementum nullum conſequerentur. Et ratio etiam poſtulat, ut aliter hæc verba non intelligantur. Nam plantatio, quæ Paulo tribuitur hoc in loco, quæ aliud nihil eſt quam prima Corinthiorum ad fidem & Religionem Ieſu Chriſti adductio: Rigatio, quæ Apollos tribuitur, quæ aliud nihil eſt quam Religionis iſtius promotio, & eorum, qui crediderant, in fide & Religione Ieſu Chriſti confirmatio, ſuſtentatio atque educatio, dicuntur eſſe actus eorum, ut miniſtrorum Dei, per quos Corinthii crediderunt. At ſi datio incrementi eſt ipſa fidei ingeneratio, quæ peculiari actione à Deo fit, quæ non poteſt non ſortiri effectum, tum fides ſive fidei productio iis, ut miniſtris, jure tributa dici non poteſt. Nulla enim miniſterialis actio concurrere poteſt cum peculiari actione divina, ſic ut per eam fides aliquomodo efficiatur: Quia tota actio miniſterialis, quæ per homines & verbum fit, moralis actio eſt. At peculiaris illa Dei actio, qua fidem efficit in homine, eſt phyſica vel hyperphyſica: Actio autem moralis ut inſtrumentum fieri dicatur actionis phyſicæ, abſurdum eſt. Scopus etiam loci non patitur ut id factum credatur. Nam ſcopus Apoſtoli non eſt oſtendere, quis ille peculiaris modus ſit, quo fides efficitur in homine, quove in Corinthiis effecta fuerit, ſed tantum quod tota illa ſpiritualis ſuada & efficacia, quæ in externa illa Apoſtolorum (de iis enim agit) prædicatione erat, & per quam multi primitus à Paulo ad fidem adducti fuerant, qui per Apollos deinde in ea alebantur & fovebantur, Deo authori, à quo tum plantator Paulus, tum rigator Apollos, dona ſua acceperant, præcipue adſcribenda ſit. Inde enim recte infertur ab Apoſtolo, Corinthios non debere iſta forma loquendi ſchiſmatica uti, *Ego ſum Pauli*, qui primus Eccleſiam hic magno animo fundavit, meque etiam ad fidem Chriſti adduxit; *Ego ſum Apollos*, ſc. diſcipulus, qui ab eo adductus ſum ad fidem, qui ſucceſſor quidem

Pauli fuit, ſed non pauciores, imo plures quam Paulus ad fidem adduxit. Quicquid enim aut Paulus, aut Apollos fecerunt, id fecerunt ſinguli beneficio donorum & gratiarum iſtarum, quas à Deo acceperant. Itaque ſive ille pauciores, ſive hic plures, ſive vice verſa, ille plures, hic pauciores ad fidem adduxerit; iſtud omne incrementum, quodcunque eſt, tribuendum eſt donis iſtis divinis, quæ ſinguli non à ſe, ſed à Deo habuerunt, prout Deo viſum fuit ea cuique admetiri, verſ. 5. Et hoc ſenſu Paulus & Apollos etiam *nihil* vocantur; quia etiamſi pro viribus laboraverant in opere Domini, ut fideles miniſtri & cooperarii Dei, tamen totum hoc *nihil*, id eſt nullius prorſus momenti atque efficaciæ, adeoque fruſtra, & ſine ullo fructu fuiſſet, niſi donis iſtis ſingularibus à Deo præditi fuiſſent, unde omnis, quæ in labore eorum efficacia, omnis fructus, & omne incrementum derivatum fuerat.

Reſponſio quam Cenſor ſubjungit, ad id quod de pœnarum comminatione dixerant Remonſtrantes, planè eſt ἀπροσδιόνυσος. Nam Remonſtrantes non loquuntur de eo, an juſta non ſit pœna, quam Deus infert mediorum contemtoribus & neglectoribus, ſed tantum de eo, an, ſi Deus aliquos nominatim ab æterno ad Vitam electos, ut vocant, ea gratia donare velit, quâ poſita fieri non poteſt quin credant, reſipiſcant, & obediant, nihilominus iiſdem legem ferre poſſit ſancitam comminatione pœnæ æternæ? hoc ſapientiæ divinæ non convenire, atque adeo ab omni recta ratione alienum eſſe aſſerunt Remonſtrantes. Quis enim comminetur pœnam ei, quem peremtorio decreto à pœna immunem eſſe vult, quem gratia ejuſmodi donare vult, qua poſita, fieri non poteſt ut pœnam incurrat, imo quem hoc ipſum credere vult, & pro certo atque indubio habere quod in pœnam nunquam incurſurus ſit? Res ipſa clamat ejuſmodi comminationem ludicram & indignam eſſe ſapientia, non modo divina, ſed etiam humana. Ad hoc reſpondendum fuerat. Hic enim non agitur de eo, an juſta pœna ſit, quæ infertur mediorum contemtoribus, ſed, an ſapiens ſit comminatio pœnæ, quæ fit iis, in quibus hoc ipſum efficitur à Deo, ut media iſta non poſſint contemnere aut negligere. Sed poſito etiam, quod Remonſtrantes id affirmaverint juſtam pœnam non eſſe, quæ infertur contemtoribus ſeu neglectoribus mediorum iſtorum, quæ Cenſor media eſſe dicit, quibus Deus utitur ad fidem & reſipiſcentiam in hominibus efficiendam, nihil tamen dixiſſent aliud, quam quod veriſſimum eſt. Nam quis animo concipere poteſt juſtam eſſe pœnam illam, quæ infertur contem-

Detorſio Cenſoris detegitur & ratio in declaratione adducta defenditur.

Electio peremtoria & æternæ pœnæ comminatio ſunt ἀσύστατα.

toribus mediorum illorum, quæ nec media, nec instrumenta sunt, quæ ad impediendum contemtum à Deo adhibentur, aut quæ, si omnino eo fine adhibeantur à Deo, prorsus inefficacia sunt & invalida, nisi specialis illa, quam urget ubique Censor, gratia adsit, (uti ipse fatetur in fine parag. 3.) aut quę, si etiam efficacia & valida esse dicantur, ii, circa quos adhibentur, non possunt non contemnere & negligere; non quia ipsi sese suapte propria culpa & merito inidoneos & incapaces reddiderunt, ad iis recte utendum, sed, quia nulla sua propria culpa inidonei & incapaces nati sunt: Qui pœnam, imprimis æternam, quæ hujusmodi mediorum contemtoribus infertur, justam esse asserunt, næ ii ipsi si illis subeunda esset talis pœna, & vel ad semihorium sustinenda, secus indicaturi essent. Remonstr. non dubitant asserere, hujusmodi punitionem non modo injustam esse, sed adeo barbaram & irrationalem, ut Busiridem & Phalaridem adeoque crudelissimum, qui unquam fuit, Tyrannum potius deceat, quam justum judicem, nedum justissimum Deum. Pergamus.

De obedientia vero & præmio, inquit Censor, *Quod Remonstrantes addunt, minoris etiam momenti est, quia sic Christi mors & tota ejus justitia, quam pro nobis complevit, non haberet rationem veræ obedientiæ, quum ex hypothesi unionis hypostaticæ & unctionis Spir. supra omnes consortes suos voluntati Patris non potuit non obedire, &, per eam suam obedientiam, præmium, quod omnia reliqua præmia superat, merito consecutus est.* Hæc sane exceptio prima fronte speciem videtur habere, sed revera, si propius consideres, non habet. Nam obedientia Christi alterius fuit generis, quam obedientia nostra est, de qua hic agimus; in hoc tamen conveniens cum nostra, quod prorsus fuerit libera. Christus obedivit voluntati Patris sui, non, uti nos Legi divinæ obedimus, sub comminatione mortis æternæ si non obediamus: Absit: sed ut Legatus Regi suo, aut ut Filius dilectus Patri suo obedire dicitur, quando Rex aut Pater ei provinciam honorariam defert, ut eam exequatur, addita promissione magnificæ alicujus remunerationis, si eam liberte atque in gratiam ejus subire velit: Qui hac ratione obedit, id est, provinciam istam ultro in se suscipit, is sane proprie & libere obedit, non quod proprie peccaturus esset, si eam non susciperet, aut susceptam cum bona Patris gratia iterum deponeret, nedum quod pœnam æternam mereatur si eam non subeat, aut ab ejus onere suscipiendo aut ferendo se excuset, uti nos cum non obedimus Deo & Legi ipsius pœnam mereri certissimum est; Nulla enim talis pœnæ comminatio Christo facta fuit: Sed, quod

Obedientia Christi & nostra qua in reconveniant & discrepent.

eam potuit non suscipere, aut, cum suscepit oneri ejus se subducere atque ita promisso præmio non gaudere aut excidere. Quod si verò velimus Christum Jesum non hac tantum ratione obedivisse, sed eodem insuper modo, quo nos, Legi divinæ obstrictum fuisse, tum necesse est ut statuamus fieri potuisse ut Legi divinæ non obediret, & sic non obediendo peccaret, quod quidem nos non audemus affirmare. Quamquam, si id omninò affirmaremus, nec primi, nec soli essemus. Certum enim est complures olim fuisse, hodieque esse inter Scholasticos ipsos, qui id publicè & sine periculo adseruerunt adseruntque. *Ita Scotus lib.3. Sent. distinct. 12. quæst. 1. Durandus ibidem quæst. 2. Gabriel Biel ibid. quæst. 1. artic. 2. & alibi, ut annotat Gregorius de Valentia, aliique. Ita Molina, uti videre est. 1. parte quæst. 14. Art. 14. distinct. 18. n. 4. dist. deinde*, dicit autem, quod *sicut fuit miraculose factum, ut voluntas Christi, non obstante gaudio beatifico, potuerit summè tristari (quod naturaliter omnino est impossibile) ita divina virtute fuisse factum ut voluntas ejus, per visionem Dei & amorem beatificum, non fuerit absolutè determinata & necessitata ad obediendum Patri, ut hac ratione posset ei omninò liberè obedire, atque ita ratione visionis beatificæ non aliter fuisse impeccabilem, quam rationi unionis hypostaticæ.* Alii, ut Ægidius Belanus in lib. de Actibus supernaturalibus, negant id fieri posse, sed non evincunt, ut ipsi fatentur, id omninò implicare contradictionem. Contrariam sententiam tenent plures, adeoque Scholastici ferè omnes, sed qui aliter censent, eos ut hæreticos nuspiam damnant: Quin imò usque adeò subtiliter quæstionem ventilant, ut qua in re fundamentum impeccabilitatis ponendum sit, adhuc apud eos in incerto sit. Quod attinet fundamentum *sive hypothesin unionis personalis*, quam Censor hic ponit, in eo consentiunt penè, quod ex ea ratio impeccabilitatis physica petenda non sit. *Unio hypostatica non habet ex se*, inquiunt, *physicam ullam repugnantiam cum peccatis.* Nec mirum. Unio enim personalis per se nihil aliud efficit circa naturam Christi humanam, quam quod ei subsistentiam personæ divinæ det, ita ut natura humana, quæ alioquin persona completa fuisset, non subsistat nisi in persona τοῦ λόγου. Tantum itaque abest ut ejus vi factum dici possit, quod Christus non potuerit peccare, ut ne quidem ejus vi factum fuerit, quod actu non peccarit, non magis sanè quam ejus vi factum fuit, ut, non dicimus nihil posset ignorare, sed ut multa non ignoraret, utque non proficeret sapientia & gratia. Nec sufficiens fundamentum in unctione Spiritus supra omnes consortes ponitur: Unctio enim, qua talis, impecca-

Ex unione personali ratio impeccabilitatis physica petenda non est, ex Scholasticorum sententia.

Nec ex unctione Spiritus supra omnes consortes.

impeccabilitatem non ponit, ut ſupra conſortes ungi non neceſſariò eſt iſto modo ungi, ut cum conſortes peccare poſſint, is, qui ſupra eos ungitur, peccare non poſſit, quaſi vox, *ſupra*, iſtum modum arguat: Unde autem fundamentum hoc petendum ſit, iis diſquirendum relinquimus, quibus libet. Nos obedientiæ Ieſu Chriſti ſpecialem rationem fuiſſe credimus & eam quidem, quam indicavimus, quam cum noſtra hactenus convenire quod verè ac propriiſſimè libera fuerit, nobis ad hanc rem abunde ſufficit. Et, hoc niſi ſtatuatur, quod vid. obedientia Chriſti fuerit libera, perit tota obedientiæ Chriſti gloria, nulla vis, nulla emphaſis eſt orationum iſtarum Spiritus S. *Is ſit affectus in vobis qui in Ieſu Chriſto fuit; Qui*, &c. *ſeipſum humiliavit, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propterea etiam Deus eum exaltavit, &c.* Ad Phil. 2. 5. 6. 7. Heb. 2 9. & 12. 2. *Reſpicite in fidei veſtræ ducem ac perfectorem Ieſum*, &c. 1. Pet. 2. 21. Heb. 1. 9. & ſimilium. Denique, noſtra obedientia multò perfectior digniorque foret obedientia Ieſu Chriſti. Quæ ſanè abſurda ſunt ingentia, ob quæ merito Chriſtianus averſari debet ac reſpuere ſententiam, ex qua illa ſequuntur. Unde quid de Socini ſententia ſtatuendum ſit facile colligere eſt, qui licet Chriſtum æternum Deum eſſe neget, eo uſque tamen progreditur, ut non dubitet affirmare Chriſtum à Deo Patre ſuo coactum fuiſſe ut obediret. Quæ de miraculoſè converſis, deque Angelis ſubjiciuntur, leviora ſunt quam ut refutari mereantur. Alterutrum enim ſtatuendum putant Remonſtrantes, Aut eos, qui miraculoſè convertuntur, non poſſe non converti, id eſt, credere & reſipiſcere, & Angelos, qui in cælo jam ſunt, non poſſe non divinæ voluntati morem gerere; Aut utroſque poſſe aliter agere. Si prius dicatur, tum dicunt Remonſtr. iſtam miraculoſe converſorum fidem & reſipiſcentiam non eſſe virtutem obedientiæ, quæ laude aut præmio aliquo digna ſit: iſtam Angelorum obedientiam, ut ita dicam, non eſſe propriè dictam obedientiam, ſive obedientiam formaliter, ut loquuntur, ſed materialiter tantum. Si poſterius dicatur, tum verò dicunt concidere vim totam argumenti quod ex iſtorum exemplis à Cenſore adducitur. Eligat Cenſor utrum malit.

Niſi obedientia Chriſti libera ſtatuatur quæ abſurda ſequantur.

Socini ſententia rejicitur.

Argumentum, quod ex præmii & mercedis promiſſo deductum fuerat à Remonſtrantibus, non refutat Cenſor, ſed rejicit Academico faſtu. *Apage*, inquit, *objectiones ejuſmodi hominum, qui mercede gratuita contenti non ſunt, ſed meritam volunt, & ex juſtitia diſtributiva debitam.* At Remonſtrantes dictatorium iſtum faſtum rident,

& ar-

& argumenta non ἀπολογισμοὺς postulant. Mercedem promissam gratuitam esse agnoscunt, eaque sola contenti sunt, ut qui maximè. Meritam non modo non volunt, sed ut nimis superbam, atque ut simpliciter impossibilem inter Deum & homines respuunt: Eam, quæ promittitur, gratiosè debitam esse, & ex justitia distributiva sed gratiosa dari credunt. Si quis istam phrasin nolit, rem teneat, & pax est. At qui actum Lege præscriptum nobis, in nobis sine nobis effici volunt, eumque eodem modo nobis donari, quo robur, sanitas, pulchritudo donantur, eos mercedis promissionem totamque adeò promissæ mercedis distributionem, quam ex justitia fieri dicit Scriptura, stultam & ridiculam actionem facere censent, neque ullo alio fine id facere posse, si cum ratione agere velint, quam ut sub specie humilitatis, qua divinæ bonitatis laudem extollere videri volunt, suæ ignaviæ, desidiæ, securitati & torpori lenocinentur, ut, dum omnia à Deo in se effici credunt, nihil à se magnâ curâ fieri necesse esse sibi persuadeant, &, quod pessimum omnium est, cum in peccata gravissima incidunt, tantò fortius sibi mercedem æternam promittere audeant, ne ea merita videatur, sed ut gratuito collata esse credatur.

Mercedē promissam ex gratia dari & simul ex justitia distributiva non pugnant.

Si fides irresistibiliter efficitur in nobis, mercedis promissio, quam ex justitia fieri dicit Scriptura, vanissima est.

Multa alia in Confessione à Remonstrantibus contra irresistibilem gratiam allata sunt, quæ Censor ne extremo quidem digito attigit. Quæ caussa eum moverit, Lector judicet. Nos eum præeuntem sequemur, rati argumenta illa, quæ non nisi studio præterita videri possunt, talia esse, quæ solvi non potuerunt, aut difficultata maxima laborare Censori visa sunt.

EXAMEN CENSURÆ CAP. XVIII.

De promissis divinis, quæ jam conversis ac fidelibus in hac vita præstantur, hoc est, de electione ad gloriam, adoptione, justificatione, sanctificatione & obsignatione.

IN hoc capite beneficium electionis ad gloriam, quatenus ad hanc præsentem vitam pertinet, inter promissa illa collocatur, quæ fidem & conversionem hominis consequuntur: Hoc primo loco carpit

co carpit Censor. *Agnoscimus*, inquit, *quatuor ultima beneficia fidem & conversionem hominis reipsa consequi, sed quod electionem ad gloriam fide posteriorem faciunt, absurdum est & à Scriptura alienum.* Priusquam singula propius expendamus, operæ pretium est non nulla hic præmittere, quæ sequenti examini lucem dabunt. Electio ad gloriam, phrasis est Theologis Scholasticis non Scriptoribus sacris usitata. Vox electionis sive ἐκλογῆς, si etymologiam spectes, exemtionem, segregationem sive separationem rei à re, aut personæ à persona proprie significat, sive in re & persona quæ eligitur aliquid sit, quod in alia non est, quæ non eligitur, sive in ea nihil sit propter quod eligitur, hoc enim extrinsecum est voci electionis. Si usum Scripturæ spectes, ἐκλέγειν sive ἐκλέγεσθαι significat actualem sequestrationem quorundam, sive hominum sive populorum ex communi turba cæterorum ad certum aliquem finem, id est, ad participandum peculiare aliquod privilegium quo cæteri carent. Privilegium a. hoc vel est privilegium muneris alicujus dignioris & excellentioris, puta regni, quo sensu Saul electus fuit ad regnum, & postea David; Apostolatus, quo sensu Christus dicit, *se elegisse duodecim Apostolos*, Luc.6.13. & Apostoli illi dicuntur *ex mundo non esse*, *sed à Christo electi ex mundo*, Joh.15.49. Vel est privilegium temporalis aut externæ alicujus gratiæ & typicæ benedictionis, quo sensu propositum, quo Deus Jacobum elegerat præ Esauo ad participandum hæreditatem terræ Canaan, vocatur, *propositum secundum electionem*, Rom.9.11.; cui proposito cohæret propositum Dei, quo Deus Israelitas Jacobi posteros selegit & exemit ex reliquo mundo in peculiarem populum suum, quo sensu populus iste *populus Dei electus* & *dilectus* passim in V.T. vocatur, usque adeo ut *secundum electionem dilectus populus dicatur*, *propter Patres*, etiam isto tempore quo incredulus adhuc erat & rebellis Deo, Rom.11.28. Vel est privilegium gratiæ spiritualis, sive gratiæ, quæ Euangelica dicitur, quo donari dicuntur ii, qui in tempore à Deo per Christum aut Apostolos & Discipulos ejus è reliquo mundo segregantur quasi & evocantur, ad audiendum & recipiendum Euangelium, & ad participandum gratiam divinam quæ Euangelio continetur, sive ii electioni isti divinæ morigeros se præbeant, quo sensu Deus dicitur *eligisse stulta*, *infirma*, *ignobilia mundo*, 1.Cor.1.26.27; sive morigeros se præbere nolint, quo sensu *diligi nunc* adhuc dicuntur *Iudæi*, *secundum electionem*, quatenus separatio ista in populum Dei semel facta ex parte Dei semper rata manet, quia ejus Deum nunquam pœnitebit: nam dona illa & illa vo-

Electionis vox quid significet, & quot modis accipiatur.

la vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα, Rom.11.29. Cæterum, quia is, qui eligit aliquos, sive homines, sive populos, ad participandum aliquod horum privilegiorum, eos ad certum aliquem finem eligit, quem sine eorum libera voluntate consequi non vult: hinc est, quod ii, in quibus finem istum adsequitur, propriissime vocari soleant electi sive ἐκλεκτοί, eodem plane sensu, quo ii, qui Deo vocanti obediunt, ist est, in quibus Deus finem vocationis suæ adsequitur, vocari solent κλητοὶ, & vocatio eorum κλῆσις, cum effectu sc. Sic *undecim discipuli sive Apostoli à Christo electi* dicuntur Ioh.13.18. Iudas vero ex istorum electorum numero secernitur, quamquam diserte eum etiam *à se electum* esse affirmaverat Christus, Ioha.6.70. Sic Iudæi, qui legi divinæ obtemperabant, *electus Dei populus* passim vocantur imo *peculium Dei*, quamquam certum erat populum totum Israeliticum à Deo etiam electum fuisse, & electum populum Dei non rara vocari, comprehensis etiam iis, qui divinæ legi morem gerere detrectabant. Et hoc eodem sensu ii, qui Euangelicæ prædicationi, ad quam audiendam & fide recipiendam à Deo ex cætera hominum turba gratiose selecti sunt, assentiuntur, id est, in quibus Deus adsequitur finem suum, ut Euangelio obediant & promissæ vitæ æternæ spem concipiant, electi à Deo vocantur. 1.Thes.1.4. *ut qui sciamus, Fratres dilecti, electionem vestram à Deo esse*: vel electi Dei, Rom. 8.33. Matth.24.31. Col.3.12. Tit, 1.1. vel electi simpliciter, Matth. 22.14. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*; item Matth.24.22.24. 2.Tim.2.10. denique Apoc 17.14. ubi synonymis vocibus appellantur κλητοὶ, ἐκλεκτοὶ καὶ πιστοί: qui vid. *electionem & vocationem suam firmam faciunt*, ut Petrus loquitur, 2.Epist.1.10. sensu eodem quo in V. Fœdere, ii, qui Deo obtemperabant, *verba Legis statuere*, firmare & rata facere dicuntur, Deut.27.26. Iere 35.16. opposite ad inobedientes, qui verba Legis sive *legem Mosis irritam facere* vel ἀθετεῖν dicebantur, uti exponit scriptor ad Heb.cap.10 28. cui consonat id quod dicitur Ioa.3.33. Et hujusmodi quidem homines vocamus electos ad gloriam, qui vid. propriissime ac reipsa ad promissam in Euangelio vitam sive gloriam æternam participandam pro isto tempore quo credunt, & vitam Euangelio dignam vivunt, electi sunt, sive quorum electio rata ac stabilis per fidem facta est, contradistincte ab iis, qui Euangelio parere nolunt, *& electionem suam firmam* ac ratam *non faciunt*, quos electos ad gratiam vocamus, non autem ad gloriam, quia electio ad gloriam fidem præsupponit & obedientiam. *Hoc absurdum est,*

Electio nunquam in Scriptura dicitur facta ab æterno, nisi semel ubi pro decreto eligendi ponitur.

inquit Censor, *& à tota Scriptura alienum, quum electio ab æterno sit facta, fides vero in tempore conferatur. Justificatio autem, adoptio & sanctificatio & glorificatio in tempore quoque conferantur.* At ex iis, quæ jam à nobis præmissa sunt, patet falsum esse quod electio facta sit ab æterno: Unus tantum in Scriptura locus est, qui id affirmare videtur, unde communis error iste natus est, locus vid. ad Eph.1.4. ubi Deus *elegisse Ephesios* dicitur *ante jacta mundi fundamenta*; sed eligendi verbum isthic pro decreto eligendi accipi posse quis dubitat? Nec mirum nec novum id videri debet; cum Spiritui S. in Scripturis familiare sit, affirmare *datum nobis esse ante tempora secularia*, quod, ut nobis daretur ante tempora secularia, decretum est. Ita *gratia nobis data dicitur ante tempora secularia*, 2.Tim.1.9. Ita *Christus habuisse dicitur gloriam illam, qua à Patre glorificare petebat, antequam hic mundus esset*, Ioh.17.vs.5. Ita nos dicimur *jam cum Christo vivificati, suscitati, constituti in cœlestibus*, Ephe.2.5.6. adeoque *jam transivisse de morte in vitam*, 1.Ioh.3.14. & *glorificati jam*, Rom. 8.10. Electio itaque pro decreto electionis quin similiter hic possit accipi dubitandum non est: Quin & pro eo accipi debere ratio manifesta probat. Quia (ut jam de ipsa voce electionis nihil dicam, quæ sane juxta etymon suum actionem externam transeuntem notat, quæ non nisi in tempore fit) Electio hæc *in Christo facta* dicitur. Sive enim præpositio ἐν pro διὰ ut volunt ii, qui cum Censore sentiunt, sive proprie accipiatur, de electione illa quam Censor ab æterno factam vult, nullo modo verum esse potest, quod in Christo vel per Christum mediatorem (de eo enim hic loqui Paulum quis dubitet?) facta sit. Electio enim illa Censoris est actio immanens in mente divina, & quæ omnino extra Christum, aut sine ulla ad Christum relatione in mente divina facta est. Est enim ratio & caussa, quæ Deum movit ad decretum de Christo faciendum, ut is exequatur antegressum electionis decretum: Unde Christus Mediator, inter media electioni subordinata collocari semper solet à Theologis, quibuscum Censor sentit. Itaque nec in Christo nec per Christum electio ista facta dici potest. Dicere electionis vocem complexe accipiendam esse, prout significat decretum finis & midiorum simul, Scholare εὕρημα est & novitium commentum, Apostolis ignotum, quod se ipsum destruit, & jam ante à nobis etiam plene confutatum est. Tale quid hic Censor indicare videtur, cum ait, *concedimus quidem neminem eligi ad gloriam, nisi qua per fidem & conversionem obtinetur.* At vero ut jam nihil dicamus de hac inepta loquendi ratione, si propterea ele-

Electio qualem Censor statuit non potest dici facta in Christo.

ctio hæc in Christo vel per Christum recte facta dici posset, eodem jure reprobationem in Christo vel per Christum ante tempora secularia factam dici posset, quia nemo reprobatur ad ignem æternum nisi qua per infidelitatem, vel per peccata eo pervenitur. At nihil à mente Apostoli alienius dici potest, quam quod eos omnes, qui electi non sunt, à Deo in Christo sive per Christum reprobatos dicere voluerit: cum ad summum id de aliis dici non possit quam de iis, qui cum à Christo ad gratiam electi essent, gratiæ tempus non observaverunt, neque sese digne gratiâ divinâ gesserunt: de iis vero, qui ad gratiam à Christo vel per Christum electi nunquam fuerunt, dici nullo modo possit, quod in Christo aut per Christum reprobati sint ab æterno. Concludimus ergo falsum esse (quamquam hactenus id plerique tenuerunt) Electionem in Scripturis uspiam ab æterno factam dici, aut eam (nisi cum pro decreto sumitur) in Scripturis proponi ut rationem Dei internam sive immanentem, quæ in Deo ab æterno fuerit: & contra verissimum esse, quod electio in scripturis proponatur ut actio Dei externa sive transiens, & quæ in tempore cæpta est, contra quam hactenus fere creditum est. Quod autem Censor ait, *Scripturam docere nos eligi ad adoptionem, justificationem*, &c. id agnoscunt Remonstrantes, sed electionem illam nostri significare ejusmodi peremtoriam destinationem ad gloriam, quæ nominatim & ab æterno in mente divinâ factâ sit, qualem Censor statuit, id vero falsum est. Sed nec consequenter loquitur Censor, cum nos eligi ab æterno ad fidem, adoptionem, &c. dicit: Nam electio ad finem, id est, ad gloriam æternam, de qua hic agitur, præcise non est electio ad fidem: Inter hanc enim & illam intervenire debet electio mediatoris, inde decretum de fidelibus justificandis, post hoc decretum demum sequitur electorum istorum ad gloriam, electio ad fidem. Sed quicquid sit hac de re, certum est, Scripturam, cum electionis ad adoptionem, fidem, &c. mentionem facit, istiusmodi electionen non intelligere, qualem Censor cum suis statuit. Addit; *Nunquam vero docet nos eligi cum jam credimus, multo minus, cum jam in fide perseveravimus*. Contrarium verum est. Nunquam Scriptura nos vocat electos ad gloriam, nisi cum & quatenus credimus, uti ex allegatis locis supra manifestum est, imo diserte eos, qui digne se gerunt divinâ vocatione, idcirco, quod ita se gerant, vocat *electos*, contradistincte ab iis, qui vocati erant, & vocationi divinæ assensi quidem fuerant, sed tamen ea satis digne se non gerebant, uti Matth. 22. 14. videre est, ubi Servator ait, *Multi enim*

Electio ad gloriam semper præsupponit fidem.

ſunt vocati, pauci vero electi. Per electos enim iſthic deſignari eos, qui veſte nuptiali induti ad prandium acceſſerant, & quidem qua tales ex parabola manifeſtum eſt. Ut enim per electos intelligantur iſto in loco, ii, qui veſte nuptiali induti erant, eo quod ab æterno electi, & propter electionem in tempore nuptiali veſte ab ipſo Deo induti erant, adeo abſurdum eſt, ut refutari vix mereatur. Sic enim vocatio cæterorum ſimulata potius quam ſeria fuiſſe dicatur neceſſe eſt, & culpa, quod vocati iſti nuptiali veſte induti non venerint, non adſcribenda erit vocatis iſtis, quod tamen parabola manifeſte propoſitum habet docere, ſed Deo potius, qui eo quod eos rejecerat, eos prandio ſuo dignari, &, ut prandio iſto fruerentur, ſufficiente gratia, id eſt, veſtem nuptialem habendi potentia donare non voluerat, quamquam id facere videri voluerat, quo nihil indignius divina, tum ſapientia, tum bonitate, tum juſtitia ſive rectitudine concipi poteſt. Hinc Theophylactus ad locum hunc, *Multos vocat Deus, vel potius omnes, Pauci vero electi; Pauci quippe ſalvantur dignique à Deo eligi: ita ut Dei quidem ſit vocare, noſtrum vero electos fieri vel non fieri.* τὸ δὲ ἐκλεκτοὺς γενέσθαι ἢ μὴ, ἡμέτερόν ἐστι. Et Hilarius in hunc ipſum locum: Multi vocati, pauci electi: *Non eſt paucitas in invitatis, ſed raritas in electis, quia in invitante ſine exceptione publicæ bonitatis humanitas eſt, in invitatis vero de judicii merito probitatis electio eſt.* Hoc Hilarii teſtimonium idcirco à nobis citatur, quod Cenſor Walæus hunc orthodoxæ veritatis vindicem, per quem Pelagii hæreſis olim detecta ſit, vocet pag. 2. Reſponſionis ſuæ ad Cenſuram Johannis Corvini. Ex hoc conſequitur eos, qui ſic electi dicuntur, quatenus pro iſto tempore ſe digne gerunt divina vocatione, non aliter peremtorie ad gloriam electos vocandos eſſe, quam quatenus in iſto ſtatu ad finem uſque perſeverant, & perſeverando *electionem ſuam*, ut Petrus loquitur, *firmam faciunt* ad mortem uſque. Si enim id non faciant, tum vero fide, juſticia, electione & ſalute ſua exident; *Chriſti enim participes facti ſumus,* inquit Scriptor ad Heb. cap. 3. 14. *ſi modo principium* ὑποστάσεως, *ſubſiſtentiæ* (id eſt fidei quæ ὑπόστασις eſt ἐλπιζομένων Heb. 11. 1.) *ad finem uſq; firmam retinuerimus. At*, inquit Cenſor, *quid electio aliud eſt quam præparatio gratiæ & mediorum in mente Dei, per quæ certiſſime liberantur, quicunque liberantur?* Imo, inquam ego, hanc electionis definitionem eſſe unde conſtat? definitio Auguſtini eſt, non Scripturæ: definitiones arbitrariæ ſunt, & plerumq; ad præconceptas hypotheſes fiunt: Electio nihil minus quam hoc eſt: Prædeſtinatio ne quidem ſic definiri poteſt, niſi ex hypo-

Rejicitur definitio electionis, quam Auguſtin. verbis facit Cenſor.

theſi

thesi Augustini. Sed quid ad nos Augustini definitiones, quem certum est peculiare placitum habuisse in hac materiâ, quod in nulla Synodo unquam approbatum, imo in variis apertè rejectum & condemnatum est, uti supra vidimus? *At Scriptura*, inquit Censor, *fidem & preseverantiam in eâ passim ex electione ac prædestinatione deducit*. Si de prædestinatione & electione ad gratiam id accipiatur, fatemur, at si de prædestinatione vel electione præcisâ sive certa, ut Censor loquitur, ad gloriam intelligatur, falsissimum est. Loca quæ Censor adducit ne per speciem quidem probant id quod vult. Locus 1. est Matth. 24. 24. *si fieri posset, electi seducerentur*. At quis inde colligat, uti Censor hic facit; Ergo ex electione ad gloriam, quatenus Dei actio est, quæ ab æterno facta est, fit quod non seducantur? Pudet tam ineptæ consequentiæ. Sed & rationes manifestæ sunt, quæ vocem electorū sic accipi isto in loco vetant. Nam I. electio ista nihil ponit, nec in eo de quo affirmatur quod seduci non possit, cur seduci aut possit aut non possit, nedum cur nulla ratione, aut cur difficilius seduci possit quam alii, imo fieri potest ut electi aliqui sint, qui antequam fide donantur, non seducantur tantum sed & facilimè cum aliis seducantur, & nihilominus electi maneant ex Censoris sententia. Nec in Deo ipso aliquid ponit, quo fiat ut electi isti seduci non possint, aut actu non seducantur: Electio enim in Deo, juxta Censorem, nihil ponit nisi internum decretum de his aut illis nominatim salvandis, & per fidem ad salutem adducendis, quod in Deo manet, proinde circa eum, cujus seductio impeditur, nihil omnino agit aut operatur, quia potentia, sive gratia spirituali alia opus est ad hoc, ut seductio ipsa possit impediri. Deinde II. electio ista non potest hoc loco adducta dici, ut caussa impediens seductionem, aut seductionis possibilitatem, ne quidem respectu eorum, qui jam fide à Deo donati sunt, cum Censor ipse, aut qui cum eo sentiunt, fateantur fieri posse, ac non rarò fieri, ut electi, etiam postquam crediderunt, ita seducantur, ut non in hæreses tantum sive errores fundamentales incidant, sed etiam in peccata gravissima & atrocissima, quæ hæresibus multo sunt deteriora. Dicere, hoc loco de seductione finali, sive quæ cum exitio seductorum æterno conjuncta est, agi, frivolum est: Sic enim tacitè conceditur fieri posse ut electi seducantur, contra aperta textus verba, quæ Censor urget. II. Sic tacitè conceditur hæreses sive errores fundamentales electis exitiales non esse, aut seductiones exitiales vocari non posse, quibus isti electi seducuntur. III. Sic evertitur tota vis hortationis Jesu Christi,

Ostenditur locum Matth. 24. 24. pro definitione Censoris non facere.

quæ

quæ non tantum eo ſpectat ne diſcipuli paterentur ſe ſeduci exitialiter, ſed imprimis eo, ut nullo modo ſe ſeduci paterentur, eò quod quælibet ſeductio exitialis iis eſſe poterat: alioquin enim dicendum foret ſenſum hortationis Ieſu Chriſti hunc eſſe; videte ne ſeducamini exitialiter; exorientur enim multi qui ſeducerent etiam electos exitialiter, ſi modo id fieri poſſet. Et hæc tertia ratio etiam tertio loco pro ratione ſolida ſervit ad probandum per vocem *electorum* hic non deſignari electos, quos Cenſor vocat: quia, quæ foret hæc oratio Chriſti; videte ne ſeducamini, ô vos electi mei; quia ſeductio tam ingens orietur, ut vos ſeductura eſſet niſi à me electi eſſetis, & propter beneficium electionis vos ſeduci impoſſibile eſſet? Quare per electos neceſſariò intelligendi ſunt, vel in genere fideles & ſancti, quia vel coram Deo electi & pretioſi ſunt, uti vox hæc accipitur Luc. 18. 7. *Nonne vindicabit Deus electos ſuos* (id eſt, cariſſimos & dilectiſſimos ſuos) *clamantes ad ipſum die ac nocte?* 2. Tim. 2. 10. *Ideò omnia ſuſtineo propter electos, ut & illi ſalutem conſequantur.* Rom. 8. 33. *Quis eſt qui accuſat electos Dei?* Vel in ſpecie, qui inter fideles & ſanctos eximii & egregii ſunt, quo ſenſu electi ſive Bachurim in Scripturis vocari ſolent, qui aliqua in re excellunt, vid. in forma, magnitudine, fortitudine, &c. 1. Sam. 26. 2. 2. Reg. 3. 19. Ge. 23. 6. Ier. 48. 15. &c. Iuxta hunc utrumque ſenſum verborum horum emphaſis manifeſta eſt, de qua ſuo loco plenius agetur.

Nec locum Act. 13. 48. Secundus locus eſt deſumtus ex Act. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant* τεταγμένοι (ordinati) *ad vitam æternam.* At I. vox electionis ſive verbum eligendi hic non eſt, de cujus tamen proprio ſignificato quæritur. II. An τεταγμένος εἰς ζωὴν αἰώνιον eadem res ſit cum electus ad vitã æternam, ſaltem controverſum eſt; Nec phraſis id poſtulat: non enim dicitur, quotquot erant præordinati ſive προτεταγμένοι: nec quotquot erãt à Deo præordinati, nec ratio ulla eſt, quæ id flagitat. III. Et rationes complures ſunt, quæ probant phraſin hanc longè aliud quid ſignificare, quodq; cum electione ad vitam æternam, quæ à Deo fiat, multò minus cum illa, quæ eo modo, quo Cenſor vult, ab æterno facta ſit, commune nihil habet. Inter alias quæ variè in actis & Scriptis Synodalibus Remonſtrantium allegatæ ſunt in hujus loci examine, has habe. Si per τοὺς τεταγμένους εἰς ζωὴν αἰώνιον hic intelligerentur ejuſmodi electi ad vitam æternam, tum ſequerentur hæc, I. cæteros, qui non credebant, æternum reprobatos à Deo fuiſſe, ſive ὅσοι interpreteris per quotquot, ſive per qui. II. non Paulum tantum, ſed etiam Lucam Euangeliſtam ipſum id ſciviſſe.

III. Eos id omnibus constare voluisse, atque idcircò id scriptum reliquisse, quod sanè tam variis absurditatibus refertum est, ut omninò falsum videri debeat ei, qui vel leviter tantum istas considerat. Quis enim credat id Paulo & Lucæ à Deo revelatum fuisse, aut si credat id iis revelatum fuisse (aliter enim credere non potest, impossibile enim est ut aliter illi id resciverint) quis credat Lucam id non tantum dicturum, sed scripturum etiam fuisse? Quis enim finis istius scriptionis esse poterat, sive electos illos, sive reprobos respicias. IV. Sequeretur I. Deum istos, quos ab æternâ vita reprobaverat decreto peremtorio, ad vitam æternam vocasse, & Paulo Apostolo, cui revelaverat istos reprobos esse, mandasse ut reprobos istos juberet credere Euangelio, id est, sermonem istum de vitâ æternâ ad se etiam pertinere certò sibi persuaderent, hoc enim est credere Euangelio. II. Cum reprobi isti non crederent Euangelio, Deum & Paulum Dei Apostolum reprobis istis exprobrasse quod Euangelio non crederent, & quod vitâ æternâ se ipsos indignos judicarent. III. Deum statuisse, ut, cum reprobi isti non crederent, aut, quia reprobi isti non credebant, Apostolus ad gentes iret, diceretque quia vos, ô reprobi Judæi, credere non vultis, idcircò mandavit nobis Deus ut ad gentes eamus. Quibus omnibus quid indignius divinâ sapientiâ, & bonitate, imò, quid stultius concipi potest? Ex his efficitur phrasin istam τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον de electione istâ, quam Censor statuit intelligi non posse, quod impræsentiarum satis est ad evincendum locum hunc perperam à Censore hic allegatum esse. Quo verò sensu phrasis hæc usurpata fuerit à Luca Euangelistâ, ut hic à nobis jam explicetur non est necesse. Quovis potius modo usurpata videri debet quam isto. In genere istud constat, voces quasdam, quæ passivæ videntur, per se & in sanctâ linguâ, cujus idiotismum plerumque sequuntur Apostoli & Euangelistæ, non esse passivas, sed activas & significare actionem immanentem vel reciprocam, ut doctissimè probat Sanctes Pagninus in opere suo grammatico ex Hebræorum Doctorum Scriptis. Nam conjugationes Sanctes Pagninus.
Niphal & hithpaël apud hebræos immanentem actionem significare, neque passivas esse, atque ita phrasin hanc τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον accipi Quid sit, τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.
rectè posse, qui se ipsos, auxilio gratiæ istius, quam à Deo acceperant, ordinaverant sive disposuerant ad æternam vitam quavis conditione, quam à Deo proponi intelligerent, capessendam, vel qui apti & idonei erant ad vitam æternam capessendam, & sic seipsos quasi imprudentes ad eam ordinaverant, ut anthithesis elegans appareat inter hos & illos,

qui se ipsos indignos judicasse dicuntur hoc in loco vita æterna; non quod prudentes & ex proposito ita judicarent, sed quod ita se gererent, ac si seipsos indignos judicarent. *At*, inquit Censor, *hoc contra usum Scripturæ est, & omnium interpretum fidem.* Audax assertio. Scriptura enim phrasi ista nuspiam alibi utitur, & non pauci Interpretes Scholastici phrasin istam eo, quo diximus, sensu accipi posse fatentur, ut Martinus Becanus in explicatione loci hujus affirmat; *Duplex*, inquit, *est salutio, una secundum textum græcum, qui non habet* προτεταγμένοι, id est, *præordinati, nec* προωρισμένοι, id est, *prædestinati, sed* τεταγμένοι, id est, *ordinati, dispositi, benè comparati, ut sensus sit, Gentiles audito Euangelio statim crediderunt, præsertim illi, qui ex desiderio salutis erant benè dispositi ad credendum: Judæi autem propter pervicaciam non crediderunt, quia non erant benè dispositi. Hunc sensum*, inquit, *approbant Thomas, Stapletonus, Alphonsus, Salmeron, & Iohannes Lorinus in commentario illius loci* &c. *Sed & absurdum*, inquit Censor, *ac plane Pelagianum est, statuere aliquem esse aptum & dispositum ad vitam æternam priusquam in Christum credat, quum omnis, qui non credit, sub peccato & maledictione sit.* Hoc jam ante sæpius refutatum est: Pelagianum non est, nedum planè Pelagianum, statuere dispositionem prærequiri in eo, qui Euangelio crediturus est. Id penè omnes Antiqui Patres unanimiter statuerunt. Sed Pelagianum est statuere, dispositionem illam viribus naturæ fieri posse ab homine, sine ullâ præveniente gratia. Scripturæ verò tantum abest ut repugnet, statuere dispositionem prærequiri in eo, qui crediturus est, ut id non uno in loco apertissimè in ea expressum legatur. Vide Ioh. 3.21. ubi dicitur, *qui dat operam veritati, is venit ad lucem, ut manifesta fiant facta ejus, quod in Deo facta sint*: & vers. 20. *Quisquis quæ mala sunt, agit, is odit lucem nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius*: Joan. 7.17. *Si quis voluerit facere voluntatem Patris mei, is cognoscet* (id est intelliget) *de doctrinâ meâ, utrum ex Deo sit*: Joh. 8. 47. *Qui ex Deo est, is audit verba Dei. Idcirco vos non auditis, quia non estis ex Deo*: Joh. 10. 26. *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*; Ioh. 8.44. *Quomodo vos potestis credere, cum gloriam alii ab aliis captetis?* &c. Nec contra facit quod Scriptura adfirmat *omnes eos, qui non credunt, sub peccato & maledictione esse.* Dispositio enim illa, & quæ dispositioni isti congruit vita, non sufficiunt ad hoc, ut quis à peccati dominio liber sit, & dignè Deo vivere dici possit, atque ita ad vitæ æternæ hæreditatem obtinendam sit idoneus. Fide in Christum præterea opus est, ut à dominio peccati plenè liberetur, atque ita ma-

Demonstratur Palagianum non esse, statuere dispositionem prærequiri in eo, qui Euangelio crediturus est.

ita maledictionum effugiat, & vitæ æternæ hæres fiat. Non quæ libet dispositio, sed ea demum, quæ Deo digna est, sufficit ad vitæ æternę præmium consequendum. At hæc sine fide in Christum, juxta Euangelii sententiam, haberi non potest: Aliud itaque est dispositum esse ad fidem istam, & per consequens ad vitam æternam, quæ per illã obtinetur, aliud à peccati dominio & maledictione liberum esse. Apparet id manifeste, Act. 10. 34. 35. ubi diserte Petrus ait; *Vere deprehendo Deum non respicere ad personam, sed in quavis gente acceptum esse ei quemvis, qui eum timeat, & operetur justitiam:* ubi quin de iis loquatur, qui nondum credunt in Jesum Christum, occasio dicti istius arguit. Nempe Cornelii Centurionis exemplum, cujus nondum Euangelio credentis pietatem Deo gratam fuisse indicare voluit: Et tamen hunc eundem salutis æternæ hæredem, & sic à maledictione liberum non fuisse manifeste satis indicatur, cap. 11. 14. cum dicitur *Angelus astitisse Cornelio, eique dixisse ut Petrum ad se accersi juberet, ex quo intelligeret ea, per quæ servandus erat ipse, & tota ejus domus.* Dispositus itaque ad vitam æternam, imo & Deo acceptus erat Cornelius, antequam credebat, & tamen salutis & vitæ æternæ particeps nondum erat, proinde nec à maledictione liber. Et sane, hoc solius fidei in Christum privilegium est, quod per eam à peccati dominio & maledictione liberi fieri possimus.

Tertius locus est Rom. 11. 5. *ita etiam nunc reservatio secundum electionem gratiæ facta est. Reliquiæ ergo illæ*, inquit Censor, *quas Deus semper habet in populo illo, servatæ sunt secũdum electionem gratiæ, & non ex operibus. Electio ergo illa gratiæ hanc reliquiarum servationem in mente Dei antecedit:* Locus hic jam excussus est in præcedente cap. vide sis Lector. Hic jam addimus, locum hunc ad rem, de qua hic agitur, non facere. Nam non quæritur, an electio hæc gratiæ, reliquiarum istarum servationem in mente Dei antecedat (quamquam electio hæc gratiæ actionem Dei mentalem nullo modo significat, uti jam ante diximus) sed quæritur, an electio ista gratiæ ejusmodi electionem ad gloriam significet, qualem Censor statuit, quæ vid. fidem præcedit & fidei caussa est? Hoc probandum fuerat Censori. Contrarium præcedenti capite ex Eliæ exemplo, quod in textu citatur, & ad cujus similitudinem hæc reservatio facta dicitur, evicimus. Adde, quod phrasis κατ' ἐκλογὴν hic non significet, ut Censor aliique arbitrantur, *secundum electionem*, quæ jam multo ante, nedum quæ ab æterno facta sit, tanquam si λεῖμμα hoc esset executio decreti illius, quod electio dicitur Censori; Nihil minus; sed tantum

Nec locum Rom. 11. 5.

idem ſignificat, quod ex vel pro electione gratioſa, id eſt, gratioſe, ſive ex gratia, uti ex verſu ſequente liquido patet, ubi Apoſtolus repetiturus vel expoſiturus phraſin κατ' ἐκλογὴν, ſimpliciter dicit: εἰ δὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων, & paulo poſt, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις, ut electio gratioſa aliud nihil hic ſit, quam gratia. Et hoc ſenſu præpoſitio κατὰ paſſim fere uſurpari ſolet. Videatur cap. 1. ad Eph. & res patebit; unde videre eſt quam infirma, ne dicam inepta ſit conſequentia, quam ex hoc loco Cenſor pro iſta ſua electione facit. Quam vero etiam non fruſtra modo, ſed inepte eam hic Cenſor confirmet ex verſ. 7. *electi adſecuti ſunt*, capite præced. aliquot rationibus adductus demonſtravimus. Nota tantum, quod hic Cenſor, id quod Apoſtolus ſimpliciter dixit, *id electi adſecuti ſunt*, explicet per id *ante* adſecuti ſunt, quod plane falſum eſt & præter mentem ac ſcopum Apoſtoli, qui adfirmat id tum adſecutos eſſe electos, qui tum credebant, oppoſite ad operarios, qui tum credere nolebant, cum credere poſſent, & cum per Apoſtolum invitarentur nomine Dei ut

Nec locum capitis ad Rom. 9. 11.

crederent. Quod etiam *illud poſtea explicari ab eodem Apoſtolo* affirmat *per totum caput*, ſimiliter falſum videri debet, quia ſine ulla probatione adſeritur, ut & quod ſequitur, *Apoſtolum idem cap. 9. adſeruiſſe*, cum ait, *Antequam boni aut mali quicquam feciſſent, ut propoſitum illud Dei, quod eſt ſecundum electionem, eſſet firmum* (in textu eſt, *maneret*) *dictum eſt ei, Major ſerviet minori*: Phraſin enim *propoſitum ſecundum electionem* ſignificare *propoſitum quod Deus de illorum ſalute concepit, ſecundum modum illum gratuitum, quo illos in Chriſto elegit,* (nominatim ſc.) ac ſi legeretur, *ſecundum electionem eorum*, ne ſpeciem quidem veri habet, & uti pene pleraque loco citata ſunt, ſine ulla probatione adſeritur, imo ſi oraculum illud, *Major ſerviet minori*, de populis duobus explicemus, uti explicandum eſſe ex Gen. 25. 23. *duo populi ſunt in utero tuo, Major ſerviet Minori*, & ex eo, qui ex Malachia ſubjungitur, pene neceſſariò concluditur, plane falſum eſt: Quis enim tum dicat mentem verborum horum Apoſtoli eam eſſe; Quod idcirco Rebeccæ dictũ fuerit, antequam pueri nati eſſent & boni aut mali quicquam feciſſent, Major populus ſerviet minori, id eſt, primogenitus populus hæres non erit terræ Canaan, ſed ſecundo genitus, ut Deus oſtenderet ſe populum ſecundo genitum elegiſſe ad æternam vitam ea electione, quæ electio ad gloriam præciſe dicitur; primogenitum autem ab iſta gloria æternum reprobaſſe, nulla habita ratione aut bonorum operum quæ iſte, aut malorum quæ hic populus feciſſet? Deinde, qua conſequentiæ ſpecie affir-

mabitur

mabitur Deum voluisse ut à nobis colligeretur, ex eo quod Rebeccæ dictum fuerat, antequam pueri nati essent, *Major serviet minori*, propositum Dei de eligendo & reprobando homines pro arbitrio, absque ullo ad bona aut mala eorum opera intuitu, firmum manere? Nulla hic connexio, nulla vel verisimilis consequentia ostendi potest. At ea manifesta & palpabilis est, si propositum Dei, quod est secundum electionem, intelligatur de proposito, quod est cum electione, sive ut optimè dixit Arminius, cum discrimine, & quidem altero horum duorum modorum. I. Ut intelligatur de proposito, quod jam in domo Abrahami cum liberâ electione Isaaci præ Ismaële demonstratum fuerat, quasi legeretur, ut propositum illud Dei, quod cum electione sc. jam antè in domo Abrahami conjunctum fuisse apparuerat, cum vid. Deus Isaacum eligeret præterito Ismaële, consisteret non ex operibus, sed ex vocante, id est, Deo, qui vocat filios Abrahami quos vult; cui sensui optimè respondet verbum μένῃ maneret. II. Ut intelligatur generatim de proposito divino, quo constituit semel apud se liberam sibi servare electionem, quos & quales singulis temporibus pro semine & veris Abrahami posteris, ad quos benedictio pertineat, designare vellet, quasi diceret Apostolus, uti Deus etiam nunc vel hoc tempore facit, quo Judæos & gentiles, licet peccatores fuerint & indigni qui filiorum Abrahæ loco censerentur, vel filii Abrahæ vocarentur, censere & vocare vult semen & filios Abrahæ, vel populum suum, si modo resipiscant ex animo, si credant in Iesum Christum & Euangelio ejus dignè se gerant: utroque enim modo patet propositum manere *non ex operibus*, *sed ex Deo vocante*, sc. semen quos & quales vult. Respicitur enim ad verbum, *vocandi*, quo usus fuerat Deus, cum diceret Abrahamo, *in Isaac vocabitur tibi semen*. Juxta hanc acceptionem sensus hujus loci clarus hic est; Cum nondum nati essent, sed eodem adhuc utero gestarentur gemelli fratres, populorum duorum capita ac stirpes, in quibus benedictionis promissæ excellentia luculenter admodum eventum sortitura videbatur cumque nihil adhuc fecissent vel boni vel mali quo discriminabantur, aut propter quod hic promissâ hæreditate donatus, ille ab ea exclusus videri poterat, uti in domo Abrahami usu venisse suspicari quis posset; Deus oraculo monuit Rebeccam, velle se ut primogenitus, qui ex ipsa nasciturus erat, & populus deinde ex illo oriundus, quamquam illi potior hæreditatis pars jure primogenituræ competere videbatur, secundo genito & populo ex eo nascituro totam hæreditatem terræ promissæ cederet, atque ita se-

Paraphrasis versus 11. capitis 9. ad Romanos.

cundo genitus semen illud esset & vocaretur, quod promissam hæreditatem suo tempore adiret atque in solidum obtineret. Et quorsum quæso aut quo fine id à Deo factum putatis? Certe ex eo apparet, nullum esse locum suspicioni, quasi Deus Ismaëlem & posteros ejus semen vocare noluerit, quod Ismael ex serva natus & subsannator fratris sui fuerat, sed propositum divinum, quo liberam semper sibi servare decrevit electionem, quos in semine censere aut quibus & qualibus populus omni tempore benedictiones suas conferre velit, cœptum atque inchoatum primo fuisse in domo Abrahæ, cum Isaacum præterito Ismaële semen vocaret, nullo in carnale ejus privilegium, aut hujus illiusve opera, propter quæ hic præferri, iste postferri meritus videri poterat, respectu, & confirmatum ratumque habitum, vel potius eodem filo continuatum esse in domo Isaaci, quippe in qua Iacob, filius, seu semen promissum fuit, non autem Esau, non quod ille melior, hic pejor erat, sed quia Deo placuit illum, ejusque posteros, non hunc aut hujus posteros semen illud vocare, ad quod promissæ terræ hæreditas ex asse devolvenda erat: Et mansisse hoc propositum divinum, verumque comprobatum esse testatur multis annis post Propheta Malachias, cum in eandem sententiam vaticinii sui tempore de posteris utriusq; scriptum reliquit, Ecce populus Israëliticus ex Iacobo oriundus populus iste est, quem singulariter dilexit Deus, & etiam nunc diligit, quippe cui ex pura dilectione & gratia terram promissam, melle & lacte fluentẽ, Abrahamo & Jsaaco olim promissam, velut hæreditatem possidendam dedit: Populus vero Edomæus ex Esau progenitus, populus iste est, quẽ Deus amore isto singulari cõplecti & favore tam prolixo adficere noluit, quippe cui horrida & inculta loca, montes Seir vastos, saxosos desertosq;, & cũ fertili ista terra promissa minime conferendos, habitandos dedit, ut servilis horum, filialis illorum conditio, juxta prægressũ de illorum capitibus oraculũ, clare elucesceret: quasi dicat Apostolus, Similiter nunc propositum hoc Dei manet, quo Iudæos legem præfracte sectari volentes, licet illi præferri debere videantur gentilibus, semen vocare non vult, sed omnes & solos eos, sive gentiles sive Iudæi sint, qui Euangelio filii ejus credunt, etsi hi illis deteriores & indigniores esse videantur. Præter hæc nolo allegare varia ex Patribus loca, qui locum hunc de electione, quæ ex præscientia fidei est, interpretati sunt, uti fatetur Beza in notis suis ad hunc locum; & Vossius probat lib. 7. Historiæ Pelag. Thes. 8. Ex prædictis patet, quam infirmum sit argumentum quod illo loco nititur. *Hisce*, inquit Censor, *Colophonis*

Nec locum Petri 1. Epist. cap. 1. 2

loco

loco addimus locum Pet.1.Epist.cap. 1.2. ubi ſcribit, *electis ſecundum præcognitionem Dei Patris, in ſanctificatione Spiritus,* εἰς ὑπακοὴν, *ad obedientiam & aſperſionem ſanguinis Christi. Ergo non quia jam per fidem Chriſto obediebant, aut ad finem uſque obediverant, ſed ut obedirent, & adſperſionis ſanguinis Chriſti per Spiritum ſanctificationis participes fierent.* Colophon reſpondet cæteris. Nam I. ne quidem in textu dicitur, Electis ſecundum præcognitionem Dei Patris, multò minus, Electis ad obedientiam, uti textum hunc citat Cenſor, & in verſione Bezæ legi ſolet, quod unum ſufficit ad evertendam vim omnem argumenti, quod Cenſor ex hoc loco colligit. Nec electi vox participium paſſivum hic eſt, ſed nomen verbale: Tum verba iſta κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρὸς connecti nihil vetat, adeoque connectenda eſſe omnino videntur ſequentibus, ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, ſupple οὖσιν vel exiſtētibus, eodem ſenſu quo fideles *in Spiritu, in Chriſto* eſſe dicuntur, quaſi legeretur, Electis, id eſt fidelibus diſperſis, qui puro puto Dei Patris ſcito ac beneplacito à Spiritu vel in Spiritu ex parte Dei ſanctificati, id eſt, ſeparati ab impio mundo, & Deo conſecrati ſunt eo fine, ut obedirent ſanctiſſimæ Dei voluntati, atque ita ſanguine N.Fœderis adſpergerentur, id eſt, ejuſmodi beneficia perciperent, quæ in N.Fœdere, ſancito ſanguine Ieſu Chriſti, ſunt promiſſa, ut conſtat ex collatione loci Heb.9.13.14. imprimis, ſi is conferatur cum typo V.Fœderis, de quo videre eſt Exod.24.8.11. Sed poſito etiam in textu dici, aut textum legendum eſſe, Electis ſecundū præcognitionem Dei Patris ad obedientiam, nondum tamen inde efficeretur, electionem hoc loco ſignificare ejuſmodi electionem ad gloriam, qualem Cenſor ſtatuit. Quid enim vetaret vocem *electorum* ab iſtâ electione denominatam dicere, quæ electio eſt ad gratiam? quaſi legeretur, Fidelibus diſperſis, qui non propriâ ſua induſtria & ſponte viam ſalutis repererunt aut ingreſſi ſunt, ſed à Deo ipſo, Patre omnium noſtro, ex cætero mundo electi aut evocati fuerunt ad eam audiendum & ingrediendum, vocati, inquam, pro benevolo ejus affectu, quem præhabuit in ſe nullo ad opera noſtra reſpectu, ut 2.Tim.1.9. & Tit. 3. dicitur. Hoc ſenſu electionis vocem hic intelligi nihil vetat, ut jam III. non dicamus de eo, quod verba hæc, *electis ſecundum præcognitionem Dei Patris*, accipi poſſent de electione, quæ ſecundum præſcientiam fidei eſt, quo ſenſu Patres non pauci loco hoc uti ſolent. Et ſanè, hujuſmodi electionem Patres omnes Græcos ſemper, Latinorum verò illos, qui ante Auguſtinum vixerunt, ut catholicam ſuſtinuiſſe prolixè probat Gerardus Voſſius

Patres omnes Græci, & Latini, qui ante Auguſtinum vixerunt, electionem ex-

Hiſtoriæ

præſcientia fidei adſeruerunt,

Hiſtoriæ Pelag. lib.7. theſ. 8. uti jam ante monuimus : & fatetur Calvinus lib.3. Inſtit. cap.2. ſect.2. & Beza in Notis in Epiſt. ad Rom.9. 39. Sed IV. ratio etiam manifeſta eſt, quæ ſufficit ad perſuadendum cuilibet non omninò præjudiciis excæcato, verba iſta (ſi quidem omninò textum ita legendum eſſe concedatur, electis ſecundum præcognitionem Patris) de talibus nominatim ab æterno electis, ut Cenſor credit, accipi non debere. Nam ſic ſtatuendum foret, Petrum omnes illos, ad quos Epiſtolam hanc Catholicam ſcribebat, id eſt, omnes fidem Chriſti profitentes, ſed diſperſos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam, pro talibus nominatim à Deo electis habuiſſe, aut ſi eos pro talibus non habuit, ad eos tantum, qui inter eos nominatim electi erant, epiſtolam ſuam directam voluiſſe. Si hoc poſterius dicatur, tum neceſſe eſt ut affirmetur Petro revelatum fuiſſe, quod aliqui inter eos nominatim electi eſſent, &, quæ in genere ab eo ſcripta ſunt, ad alios quam ad iſtos non pertinere : proinde admonitiones, hortationes, increpationes omnes cæteros non obligaſſe ad obediendum, nec contemtas neglectaſve obligaſſe ad pœnam : Tum admonitiones, hortationes, increpationes, comminationes, promiſſiones, quæ electos iſtos ſpectant, ridiculas eſſe & ſapientiâ Dei indignas. Si iſtud prius dicatur, tum neceſſe eſt ut affirmetur Petrum, aut per revelationem iſtud certò ſciviſſe, & ſic coincidet cum altero quod jam indicavimus, redibuntque eædem difficultates : Aut certo id non ſciviſſe, ſed ex judicio caritatis ita ſtatuiſſe. At nec hoc veriſimile eſt. Petrum enim credidiſſe paucos ſic electos, multos verò vocatos etiam inter eos, ad quos ſcribebat, eſſe quis non juxta Cenſoris axioma ſibi facile imaginetur? Deinde poſito etiam quod Petrus, non obſtante iſto axiomate, judicium caritatis prævalere voluerit, Deo relinquens & tempori certam ejus rei notitiam, nihilominus tamen ex eo conſequitur, omnes admonitiones, hortationes, conſolationes, increpationes, promiſſiones & comminationes quæ Epiſtolâ hac continentur, invalidas eſſe atque enerves. Nam ſuperſtruuntur fundamento iſti, quod hic jaci vult Cenſor, nimirum gratioſæ electionis, quæ ſecundum præcognitionem Dei Patris, id eſt, purum beneplacitum Dei facta ſit. At judicium caritatis de electione iſtâ reſpectu eorum omnium ad quos ſcribit, incertum erat, non tantum eâ incertitudine, quâ incertum erat an fides illa, quam profitebantur, vera fides eſſet, hoc enim ſemper incertũ eſt alteri, quia Deus ſolus cor hominis novit, ſed etiam eâ incertitudine, quâ incertũ erat, an Deus omnibus

fidem

fidem illam dare vellet, sive, an non essent inter eos, quos à salute & fide reprobaverat, imò an essent inter eos ulli, quos ad salutem & fidem elegerat, proinde an fides eorum esset vera illa fides, quæ electorum propria est. Neque sufficit, si dicas judicium caritatis ejus rei rationem non habere, eò quod judicio isto non ex caussa effectus, sed contra ex effectu caussa colligatur. Nam id locum quidem habet tum, cum ratio nulla obstat cur ex effectu nō potius hæc quam ista caussa colligi debeat. At cum ratio obstat cur effectus huic potius quam illi caussę tribuendus sit, tum profecto judicium caritatis rectum videri non debet, si contra censeat, & effectum illum tribuat non isti, sed huic caussæ. Id in hoc, de quo agimus judicio fieret. Certum enim est, ex Censoris sententia, inter eos qui fidem Christi profitentur, plures esse vocatos quam electos: proinde rationem esse, quæ obstat, cur judicio caritatis statui non debeat, omnes fidem profitentes ea fide præditos esse, quæ electorum propria est, & electionem divinam sui habet caussam. Aliud est præsumere judicio caritatis, aliquem esse bonum, quam diu contrarium non apparet, aliud præsumere id, quod in aliquo est boni, ab electione divina, quæ ab æterno facta sit, profectum esse, cum credas firmiter in pluribus frequentissimè adeoque semper penè bonum istud locum habere, qui vocati tantum, non autem electi sunt aut nominantur. Præsumtio hæc stulta foret, & contra rationem rectam esset. Concludimus ergo verba Apostoli Petri in citato loco sensum istum, quem Censor adsignat, habere non posse.

Locus ad Eph. 1. 5. *Sicut elegit nos in Christo ante jacta fundamenta mundi, ut simus sancti & irreprehensi coram eo in caritate*, quem ad rem hanc *illustrem* esse dicit Censor, jam ex parte à nobis vētilatus est, & alibi prolixè tractatus. Quod is ad hanc rem non modo non illustris, sed ne probabilis quidem sit, id unum satis arguere potest, quod in eo de electione ad gloriam ne agatur quidem, nedum de ejusmodi electione ad gloriam, qualem Censor statuit: saltem de ista electione eo in loco agi ne verisimiliter quidem probare tentat Censor, quod tamen hoc loco τὸ κρινόμενον nostrum est. Quod si de electione ad gratiam, sive de decreto eligendi ad gratiam, verba hæc accipi possint, uti revera possunt, adeoque accipi debent, tum periit tota vis argumenti, quod ex loco isto desumit Censor. Nec enim ineptum est statuere, nos ea electione, quæ electio ad gratiam est, electos esse in Christo ante jacta mundi fundamenta, ut simus sancti, etiamsi fides sub sanctimonia ista comprehensa intelligatur. Et de hac

Nec locum ad Ephes. 1. 5.

hac electione locum hunc exponit Augustinus in libr. de prædest. sanct. cap. 19. Hieronymus in commentario, & alii. Sed & rationes manifestæ sunt, quæ admittere cogunt, locum hunc de electione ad gloriam, qualem Censor statuit, exponendum non esse. Nam sequeretur I. gloriam esse medium ad gratiam. Nam si Deus nos elegit ad gloriam eo fine, ut essemus sancti, tum sanctitas, quæ gratiæ voce denotari solet, finis est respectu gloriæ. II. Sequeretur electionem ad gloriam, qualem Censor statuit, fundari in Christo, sive per Christum factam esse (si propositio ἐν pro διὰ accipiatur) quod absurdum est. Electio enim ad gloriam, ex Censoris mente, est actus divinæ voluntatis purus putus, qui in Christo sive per Christum factus dici non potest, sive Christus consideretur ut Deus, sive ut Mediator. Quomodo enim actus divinæ voluntatis immanens in Deo per Christum factus dicatur? Sic enim actus immanens, immanens actus non foret. Tum, si consideretur hic Christus ut Deus, electio in Christo non magis facta dici potest quam in Spiritu Sancto, imò pari jure Christus & Spiritus S. dici possent nos elegisse in Patre. Si ut Mediator consideretur, in eo facta electio ista ad gloriam dici non potest, quia Christus pertinet ad electionē ad gratiam, quæ Decreto electionis ad gloriam subordinatur. II. Cum nos electi in Christo mediatore dicimur, non possumus considerari nisi ut jam existentes in Christo. Nemo enim in Christo eligitur ad gloriam qui extra Christum est: At si de electione ad gloriam hic agi dicatur, tum fieri non potest ut nos consideremur existentes in Christo, quia electio ista ad gloriam facta est, ait Censor, eo fine ut nos crederemus. Ergo antequam adhuc in Christo existebamus aut ut existentes considerabamur, Quia sine fide in Christo esse non possumus. Dicere, elegit nos in Christo, significare hoc loco, elegit nos quos aliquando daret Christo, Scholastica vanitas est, & quæ seipsam redarguit. Hoc enim tantundem est, ac si legeretur, Elegit nos sine Christo aut extra Christum, sed Christum deinde elegit ut nos ei daret, per quem ad fidem adduceremur; quo ipso sanè tum Christi Mediatoris, tum fidei in Christū necessitas prorsus evertitur, ut cuilibet consideranti manifestum est. Huic locorum expositioni subjungimus interrogationem Censoris, *Quid adversus hæc tam evidentia afferri potest* à Contra-Remonstrantibus, sive à Censoribus his Contra-Remonstr. Patronis, *ut ostendant electionem ad gloriam non esse beneficium Dei, quod credentibus & conversis promittitur?*

Posthæc Censor examinat loca tria, quæ ad marginem Declara-

tionis

tionis suæ adnotaverant Remonstrantes pro acceptione vocis *Electionis*, quam inter promissa divina recensuerunt. *Ea*, inquit, *ad rem nihil faciunt, imo istis nihil ad hanc ipsam eorum sententiam refutandam efficacius adferri potest.* Videamus ista. Primus locus est Marc. 13.20. *Nisi Dominus decurtasset dies illos* (nempe adflictionum & angustiarum) *non servata esset ulla caro. Sed propter electos, quos elegit, decurtavit dies illos. Quid hic quaeso pro electione*, inquit, *ex fide prævisa? an vobis per inde est Remonstrantes quos nam locos in margine citetis aut locetis? nam nulla omnino fidei mentio fit in toto hoc loco, multo minus fidei qua electionem antecessit.* At I. vicissim quærere hic possent Remonstrãtes & majori jure, An vobis perinde est, Censores, quomodo Remonstrantium verba censeatis? Elenchi ignoratio hic manifesta est, quæ in Doctoribus Academicis ferenda non est. Nam Remonstrantes hic non respiciunt ad vocem *electi*, sed ad verba sequentia, *quos Deus eligit*. Deinde per electionem ad gloriam, non intelligunt illam electionem, quæ ab æterno facta creditur ex fide prævisa, sed electionem actualem, quæ in tempore fit, & quæ fidem præsupponit. Dicunt enim diserte, esse electionem, qua è profana pereuntium turba segregantur, & ex ordine damnandorum (quod ad statum præsentem) exemti, veluti in peculium Dei seponuntur. II. Locum hunc non citant Remonstrantes ad probandum quod electio pro electione ad gloriam accipiatur, quæ credentibus promittitur, sed tantum ad indicandum, quod isto sensu eum accipiant & interpretentur. Et sane, cum per electos, fideles hic designari fateatur Censor, quid est, quod vetat verba sequentia, *quos Deus elegit*, pro isto sensu, quem Declararatio habet, adduci à Remonstrantibus? Nam esto, nulla fidei mentio hic fiat, attamen fidem etiam, sub voce electorum, intelligi concedit Censor: Nihil itaque vetat Remonstrantes verba ista *quos Deus eligit*, adducere pro electione, quæ fidem consequitur, imo ratio pene cogit, ut ita fiat. *At*, inquit Censor, *fideles non ex fide, sed ex electione, tanquam fonte fidei, designantur.* Hoc vero est quod probandum erat Censori, ut elenchum faceret, & locum hunc adduci à Remonstrantibus non debuisse, aut non potuisse evinceret. *At*, inquit, *nominantur hic electi, quos Deus elegit, si ergo electus propria & prima sua notione hic significat credentem, tum vox illa, quos Deus elegit, significabit necessario, quos Deus credentes fecit.* Quæ ratio consequentiæ? Imo vero, tum non tantum non significabit necessario, quos Deus credentes fecit, sed contrarium plane significabit, quos Deus ut credentes, aut qua tales, elegit sibi in populum, quem cum cæ-

Adferuntur loca in Declarationis marginis citata ab exceptionibus Censoris.

Primus locus est Matt. 24. & Marc. 13.20.

teris perdere non volebat. Subjectum enim vel objectum electionis istius divinæ forent electi, id est, fideles. Et sane, in hisce verbis, quos Deus elegit, emphasis est ista, quam Remonstrantes urgent, & quæ Remonstrantium expositioni manifeste patrocinatur. Cum enim vox *electos* non participium hoc in loco, sed nomen esse inde appareat, quia additur, *quos elegit*, nihil sane verisimilius est, quam per *electos* designari non eos, qui ante à Deo electi fuerant, sic enim repetitio illa, *quos elegit*, inutiliter & inepte facta videretur, sed nominaliter eos, qui ἔντιμοι, δόκιμοι, sancti, fideles, & eximiis virtutibus fidei & patientiæ præditi erant, quo sensu vocem istam passim in Scripturis accipi jam ante demonstravimus, & per consequens sequentia verba, *quos elegit*, sensum, si non habere, saltem verisimiliter habere posse istum, quem adsignarunt in declaratione sua Remonstrantes, nullo modo autem sensum istum, quem adsignat Censor. Non enim dicitur in textu, electi quos Deus antea elegerat ad gloriam, antequam crederent, aut electi, id est, δόκιμοι essent, nedum quos elegerat ut electi, id est, fideles essent, sed electi, quos Deus tum eligit vel elegerat, ut restarent sibi & nomini suo in gloriam, eo quod Euangelio filii sui crediderant. *Denique*, inquit, *cum expresse hic dicatur, propter electos illos, quos Deus elegit, dies ire decurtatum, significatur manifeste Deum ideo decurtasse dies, ut electi afflictionum mole non opprimerentur, aut animo deficerent, ac proinde electio hic statuitur caussa, quare Deus dies decurtavit.* Hæc conjectura est non ratio, imo conjectura ridicula, si sententia Censoris videatur. Quis enim metus esse poterat ut electi afflictionum mole opprimerentur, aut animo deficerent? An afflictiones, quarum actio nil nisi moralis actio est, vim habere poterant ad evellendam fidem, quæ per physicam & omnipotentem Dei actionem, *quæ nec creatione nec suscitatione ex mortuis minor est*, ut Synodus Dordracena loquitur, animis eorum indita erat, & eadem virtute in iis conservabatur, ut passim urget Censor? Tum quæ ista oratio foret, *Nisi fuissent dies isti decurtati*, seducti fuissent electi & æternum cum cæteris periissent, atque ita electio eorum irrita facta fuisset, *Nam non salvata fuisset ulla caro?* Nugæ, vel ipso Censore judice. Sensus longe alius esse videtur, videlicet, ut non significetur, propter electos istos, quos Deus elegerat, dies decurtatos fuisse, ne videlicet illi cum cæteris afflictionum moli succumberent aut animo deficerent, sed quia illos Deus ita caros sibi ducebat, ut in eorum gratiam populum totum reliquum Israeliticum, quamquam penitus exscindi meruerat, non

tamen

tamen exſcinderet,ſed ex eo reliquias aliquas ſupereſſe ſineret,unde populus iterum reſtaurari poſſet & propagari. Hoc enim ſibi vult,*non ſalva fieret omnis caro*, id eſt,nullus Judæus in terra Judæâ relictus fuiſſet, ſed ad unum omnes deleti fuiſſent atque exſtincti.Hinc non deſunt,qui per electos iſtos Abrahamum, Iſaacum & Iacobum intelligunt, propter quos, quia videlicet illis gratioſa promiſſio facta fuit à Deo, afflictiones decurtatas fuiſſe dicant, ut iis ſemen vel poſteritas reſtaret, juxta id quod dicit Apoſtolus; *inimici propter vos: dilecti autem ſecundum electionem propter Patres*, Rom.11.28.

Secundus locus eſt ex Epiſt. ad Rom. 8.9. De eo jam ante actum eſt ſatis prolixè,uti & de tertio,qui ex Epiſtola Iac.2.5.citatus eſt. Hic tantum addemus, quod prior iſte locus jure allegatus ſit, Cenſor ipſe probat, dum *præcognitionis* voce *denotari in Scripturis ſemper*, ait, *gratuitum Dei amorem, quo ſecundum ſapientiſſimum ſcitum ſuum aliquos à cæteris mente diſcernit:* Hoc enim ſi ita ſeſe habet, tunc vox præcognitionis hoc loco cum electionis voce coincidet. Ac proinde, cum hic Deus præcognoſcere dicatur eos, qui Deum diligunt, id eſt, eos amare & à cæteris tanquam ſibi dilectos ſecernere,electio etiam actus erit divinus,quo eos qui Deum diligunt, tanquam caros & dilectos ſibi ſecernit in populum ſuum, cui æternam gloriam ſuam deſtinat. Nec ad rem faciet, ſi dicas præpoſitionem *Præ* amplius aliquid denotare,unde electio illa ante alios omnes actus divinos ab æterno facta colligitur; Nam id præpoſitio iſta non arguit vi ſua, non enim ex ſe nec præciſe prioritatem temporis, ſive præcedaneam aliquam temporis durationem notat, ſed tantum impromeritam, ſive liberam, & non aliunde quam ex eo ipſo qui diligit, profectam dilectionem, quæ electio ſive prædilectio, præcognitio dicitur, prout ex eo apparet, quod Hebræorum more pro prædilectione accipiatur πρόγνωσις. Hebræi enim ſub antecedẽtibus conſequentia comprehendunt, & potiſſimum intelligi volunt: unde & ſimplex verbum γνῶσις eodem ſenſu accipi ſolet apud eoſdem Hebræos. Quia autem prædilectio, quæ ad vitam æternam eſt,ſupponit fidem in eo, qui prædiligitur, inde facile colligitur per eam non prioritatem temporis propriè, ſed libertatem dilectionis divinæ propriiſſimè deſignari.Quare ſic argumentatur Apoſtolus, Quos Deus præcognoſcit ſive ex impromerito favore amat,illis omnia cedunt in bonum: At,qui Deum diligunt,eos ſic amat, ſive ſic præcognoſcit & eligit Deus: Ergo. Quare, cum Remonſtrantes hic vocem *prænotionis* de prænotione fidei accipere ait Cenſor, in eo fal-

Secundus locus eſt Epiſt. ad Rom. 8.9.

litur, quamquam plerosq; Patres eam sic olim accepisse certissimum est; sicut & in eo, quod ad vocem Prædestinationis Remonstr. respexisse sibi persuadet, cũ id plane alienum sit à mente atque ab hypothesi eorum, qui asserunt, istic agi de prædestinatione non ad gloriam sed ad crucem.

Tertius Locus est ex Epistola Iacob, 2.5.

Locus Iacobi perperam à Censore carpitur isto argumento, quod ἔλλειψιν verbi εἶναι in textu apertam esse velit, quia id plane falsum est, & à scopo Apostoli alienum, uti præcedenti cap. ostendimus: Ratio etiam, quam Censor pro expositione sua adducit, falsa atque absurda est, dum *Apostolum inter cætera argumenta, quæ adfert cur divites in Ecclesiæ conventibus non sint præferendi pauperibus, etiam hoc pro argumento adferre dicit, quod Deus elegerit fere pauperes, ac proinde prætulerit divitibus, ut sint divites in fide.* Nam si consilium ac propositum Dei vocantis, & Apostolorum, imprimis Pauli consilium ac studium videas, apparet Deum promiscue tum pauperes tum divites elegisse, id est, vocasse ad se, ut divites fierent in fide. Nullũ personarum discrimen aut fecit, aut fieri voluit Deus. Nec argumentum Iacobi tale est, quale id facit Censor, sed plane diversum, vid. Cur vos discrimen facitis Fratres: cum Deus ipse discrimen nullum fecerit inter pauperes & divites, cumque pauperes, si modo divites sint in fide, hæredes regni sui æterni scribere voluerit, eosque non minus quam divites, sibi in populum peculiarem seligere ex reliquo mundo voluerit? *At*, inquit Censor, *argumentum Apostoli nullum esset, si id diceret, quia Deus tum eodem modo etiam elegisset divites, qui erant divites in fide.* Imo, inquam ego, idcirco constat argumentum Apostoli; Non esse discrimen faciendum inter divites & pauperes, quia pauperes eo ipso quia credunt, pares sunt divitibus apud Deum. Hoc enim divitem sc. in fide esse, est illud unum, quod Deus requirit ab hominibus, ut eos caros, & dilectos sibi habere, eosque regni sui hæredes facere velit. Adde, quod, juxta Censorum sententiam, argumentum Apostoli valde enervetur, si non prorsus irritum redditur. Nam esto, pone Deum pauperes fere elegisse ut sint divites fide, quæ ratio, quod idcirco divites, quos Deus etiam elegerat ut essent divites fide, (tales enim aliqui erant) non possent præferri pauperibus? Nulla solida ratio dari potest. Quid enim hoc ad rem, quod plures essent pauperes electi à Deo quam divites? Tum pauperes electi divites fieri possunt, & divites vicissim pauperes, adeoque plures in cœtu divites fieri aut esse possunt, quam pauperes. Quid, an tum argumentum Apostoli verum non erit, Deum pauperes hujus mundi elegisse, &c. ac proinde divites pauperibus præferendos non

esse?

esse? Itemque cum planè incertum esset Apostolo, an pauperes isti, qui in cœtibus istis erant, maximam partem electi essent ad gloriam, & non potius externè tantum vocati, quæ vis, quis nervus, quod robur in oratione Apostoli esse poterat juxta istam expositionem? Sed jam satis ineptias has ruspavimus. Habet hic lector abundè ex quo colligere potest quam immeritò Censor hic subsultet, & tanquam si Remonstrantium caussæ jugulum confodisset in examine trium ad marginem citatorum locorum, receptui canat.

Quæ de justificationis promisso obiter subjiciuntur, examinari non merentur. Non enim censuram continent, sed rancidas quasdam, & ad hunc locum non pertinentes quæstiones, ad quas tamen etiam omnes & singulas prolixè suis locis, ac nominatim cap. 11. ad quod Censor Lectorem rejicit, responsum est. Mirum verò meritò videri debet, quod Censor quæstiones non ex verbis definitionis, quæ hoc paragrapho posita est, sed ex verbis quæ cap. 11. prolixè excussa sunt, formaverit, quasi aut ignoraverit quid cap. isto censitum fuerit, aut cornicum oculos quæstionum subtiliorum, quam quas prior Censor attulit, formatione configere propositum sibi habuisset. Sed heus tu Censor, quisquis es, ut sententia tua plenius cognoscatur, & quæstiones hæ clarius proponantur, age ad has quæstiones vicissim responde. Primò, quid per verum satisfactionis pretium ac meritum intelligi velis? Sunt enim termini metaphorici, & qui ad proprios reducendi sunt. II. An pretium illud persolutum esse velis pro electis, ita ut electi per illud verè redierint in gratiam cum Deo, & Deus electis suis irasci desierit? Si non, quomodo itaque hoc pretium verum satisfactionis pretium fuerit pro iis? Si sic, quid itaque electio eorum fuerit, & quale beneficium? III. An pretium illud satisfactionis tale fuisse intelligas quod persolutum fuit pro peccatis electorum omnibus, quæ unquam commiserunt, committunt, aut commissuri sunt, ita ut eo posito fieri nō possit, vel futurum nunquam sit, ut Deus iis peccata ulla imputet? Si non, quomodo pretium istud verum pretium esse velis? Si sic, quid itaque electis istis restet agendum aliud, quam ut securos se reddant de reliquo, & in utramq; aurem dormiant sine scrupulo? Dices fortasse, credere debent, & sibi applicare tenentur hanc satisfactionem. At quæro tum IV. Aut pretium hoc satisfactionis pro ipsis persolutum & à Deo acceptatum est sine conditione, aut non est persolutum, nec acceptatum nisi cum conditione. Si pro ipsis persolutum est & à Deo acceptatum sine conditione, quid ap-

Quæstiones oppositæ quæstionibus Censoris ad pleniorem intelligentiam sententiæ Censorum.

plicatione opus eſt? quid applicatio iſta eſt? quis effectus formalis applicationis illius eſt? Si perſolutum eſt & à Deo acceptatum cum conditione, quomodo tum pro iis perſolutum magis eſt, quam pro reprobis? imò, quomodo tum, ut vos loquimini, perſolutum pro iis eſt? Quod & quale beneficium Dei eſt, quod conditionatum eſt, & à conditione ſuſpenditur? V. Si perſolutum eſt pro electis cum conditione, quæ itaque conditio illa eſt? Si fides, quod itaque fidei iſtius objectum formale eſt? An pretium iſtud perſolutum, ſive meritum Chriſti? Si ſic, quomodo tum perſolutum & acceptatum eſt pro iis cum conditione, credere enim debet id pro ſe reipſa & ſimpliciter perſolutum eſſe? Deinde, quæ tum eſt neceſſitas obedientiæ & bonorum operum? quis eſt actus ille formalis fidei, & an actus ille, qua talis, eſt præſtatio conditionis requiſitæ. Si ſic, quomodo itaque non ex opere Euangelico juſtificatio fieri dicenda eſt? Si non, quo nomine itaque vocandus eſt actus ille? An inſtrumenti applicantis? At inſtrumentum applicans non eſt conditio, ſed applicatio ipſa actualis eſt conditio. An habitus infuſi? At conditio requiſita non poteſt eſſe habitus infuſus. Tum, quomodo inſtrumentum vel habitus infuſus imputabitur in juſtitiam? Hæc aliaque plura infinita, quæ nunc non attingimus, explicanda clare ſunt, Cenſor, ut intelligi poſſit quid ſentias & quid quæras. Sed nos hæc & alia pluribus ventilavimus in examine cenſuræ cap. 11. ad quæ ſimiliter, uti Cenſor facit, Lectorem remittimus.

Paragrapho *ſexto* Remonſtr. tres ordines ſive tria genera credentium ac reſipiſcentium poſuerant, *incipientium* & *proficientium*, ſed qui à fide iterum deficiunt, & *perſeverantium*, qui in fide ad finem uſque perſeverant. Illos eligi, adoptari, & juſtificari vere dixerant, ſed non niſi pro tempore iſto, quo credunt: hos finaliter ac peremtorie: Iſtud carpit Cenſor, tanquam repugnans divini decreti conſtantiæ. *Scriptura*, inquit, *nobis longè aliter de divini decreti conſtantiâ loquitur: Nam fieri non poteſt ut electi ſeducantur, ut Chriſtus teſtatur*, Matt. 24. v. 24. Itane Cenſor? Verba iſta textus non habet. Verba hæc ſunt; *Excitabuntur pſeudo Chriſti & pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna, & miracula, ita ut ſeducant (ſi poſſibile) etiam electos.* Aliud eſt, ſeducent, ſi poſſibile, electos; aliud, non eſt poſſibile ut ſeducant electos: Nec enim phraſis iſta, εἰ δυνατὸν, *ſi poſſibile*, vi ſua impoſſibilitatem futuritionis notat: tum Scriptura & communis loquendi uſus contrarium manifeſte docent, adeo ut contra ex phraſi iſta concludere liceat, fieri poſſe ut electi ſeducantur. Sic Actor. 20. 16. dicitur

Refellitur Cenſoris exceptio contra tria genera reſipiſcentium quæ Declaratio ponit.

Exponitur phraſis, εἰ δυνατὸν.

dicitur

dicitur Paulus feſtinaſſe ut feſto Pentecoſtes die Hieroſolymis eſſet, εἰ δυνατὸν αὐτῷ, quis inde colligat Paulo id impoſſibile fuiſſe, imò quis non colligat contrarium, Paulum id poſſibile ſibi judicaſſe? Quorſum enim alioquin feſtinaſſet? Ad Rom. 12.18. εἰ δυνατὸν, inquit Apoſtolus, *τὸ ἐξ ὑμῶν, cum omnibus hominibus in pace viventes*. εἰ δυνατὸν, & τὸ ἐξ ὑμῶν conjungit, ut doceat phraſin, *Si poſſibile*, non denotare abſolutam impoſſibilitatem. Quomodo enim non eſt poſſibile, in pace vivere cum omnibus, quantum in nobis eſt? imò hoc unum poſſibile eſt. Gal. 4. 15. dicitur, *Teſtimonium vobis reddo, vos, ſi fieri potuiſſet, veſtros oculos effoſſos daturos fuiſſe.* At quis id impoſſibile Galatis fuiſſe dixerit? Sic Matt. 26. 23. dicitur, *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Hoc ſimpliciter impoſſibile eſſe ſi credidiſſet Chriſtus, nec ſerio Patrem ſuum pro eo rogaſſet, nec præfatione, ſive ratione iſtâ uſus fuiſſet, *Pater mi, omnia tibi ſunt poſſibilia.* Imò, non deſunt qui Chriſtum hac in re à Patre exauditum fuiſſe, ac proinde factum eſſe id de quo dixerat, *Si poſſibile eſt*, affirmant. Si communis etiam loquendi uſus attendatur, nihil certius quam phraſin iſtam uſurpari, tum, cum creditur aliquid fieri poſſe, & ut fiat omnis diligentia adhibetur. Hinc ſunt formulæ iſtæ, ſi fieri poterit, hoc ego perſuadebo illi: ſi fieri poterit, pertraham eum in ſententiam meam; aliaque. Et hoc eodem ſenſu phraſin iſtam hic à Chriſto uſurpatam eſſe, quid vetat credere? *Seducent, ſi poſſibile*, ipſis ſc. erit, id eſt, omnem quam poterunt adhibebunt diligentiam, extrema omnia tentabunt, eaque facient, quæ vel ipſis electis ſeducendis idonea erunt; quaſi dicat, per ipſos non ſtabit quominus ſeducantur; ſi quid poterunt, id facient, ut ſeducant electos. Et rationes manifeſtæ ſunt, quæ evincunt fieri non poſſe ut verba hæc eo, quo Cenſor vult, ſenſu à Chriſto prolata credantur. Nam I. quid ſingulare aut emphaticum in ſe haberet oratio Chriſti juxta ſenſum iſtum? Pſeudoprophetæ facient tot & talia ſigna ut ſeducant καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς etiam electos, quos ſeduci impoſſibile eſt? Nec eſt quod dicas, ſenſum horum verborum Chriſti eſſe, Seducerent etiam electos, ſi fieri poſſet, id eſt, ſi Deus electos iſtos vellet ſibi permittere; Nam quid ſingulare in ſe habebit tum hæc oratio Chriſti? Nec enim mirum foret, ſi electi tum ſeducerentur, imò quomodo fieri poteſt ut electi ſibi permiſſi non ſeducantur? Ineptè itaque in textu poſitum fuiſſet, *ſi fieri poſſet.* Nam in tali caſu non tantum poſſet fieri, ſed non poſſet non fieri, ut electi ſeducerentur, ac proinde nihil dixiſſet Chriſtus, quando dixiſſet, ſeducerent etiam eos, quos ſeduci neceſſe

Rationibus aliquot evincitur expoſitionem verborum, *Si poſſibile*, quæ Cenſor facit, abſurdam eſſe.

esset ob naturæ suæ cui permitterentur, fragilitatem ad resistendum tentationibus. II. Quæ ratio magni istius moliminis dabitur, quo Satan excitat, exstimulat & impellit pseudoprophetas ad seducendum electos? an molimine magno utetur vel mediocris ingenii & judicii homo, ut id consequatur quod impossibile est, quodque impossibile esse ex tam clara prædictione intelligit? Nec juvat, si dixeris, diabolum & Pseudoprophetas nescire an hi aut illi electi sint. Nam esto, hoc nesciant, attamen de singulis hominibus sciunt, si vera est sententia Censoris, eos aut esse reprobos, aut electos, itaque sciunt inanem omnem operam esse, quæ collocatur in seducendis his, & non necessariam, quæ collocatur in seducendis illis: uti hi non possunt non perire, ita illi non possunt perire, ac proinde nec seduci, aut si seducantur, id sine ullo salutis eorum periculo ut fiat necesse est. III. Quia paulo ante Servator diserte affirmaverat futurum, *ut multi seducerentur* à Pseudo-Christis & Pseudoprophetis, vers. 5. & 11. *ut multorum caritas refrigesceret* vers. 12. *ut non perseverarent ad finem usque.* Cui autem versimile fiet Christum in eodem sermone tam brevi, tam serio, tam repente sibi contradixisse, & fieri non posse affirmasse, quod antea non posse tantum fieri, sed futurum etiam prædixerat? IV. Quia hac explicatione nervus inciditur hortationi Iesu Christi præcedenti, qua discipulos suos monuit, ut ne crederent Pseudoprophetis, &c. addens, *Ecce prædixi vobis.* Quasi dicat, vestrum est solicite animum advertere & curare ne id fiat. Quod enim os inerit huic hortationi, videte ne credatis Pseudoprophetis, atque ita seducamini; Nam si vos electi estis, vos non poteritis seduci quicquid Pseudoprophetæ molientur & machinabuntur, Atque hæc de hoc loco satis. Locus ex Epist. ad Rom. 9. *propositum Dei quod est secundum electionem manet, non ex operibus, sed ex vocante*, jam ante examinatus est, & ostensum eum perperam à Censore ad has materias allegari. Locus ex cap. 11. ad Rom 2. *Deus non abjecit populum suum quem præcognovit*, (qui ex vers. 7. adjungitur, jam ante fuse etiam tractatus est) ad rem non facit: Non enim quæritur hic an Deus unquam abjiciat populum suum, quem elegit, sed an fieri non possit, ut, qui nunc populus Dei est, desinat esse populus Dei propria sua culpa: Talem enim populum si rejiciat Deus, non rejicit populum suum quem elegit, sed populum, qui populus Dei amplius non est, vel populi Deo subditi officium non facit. Quod si locum hunc pro se facere vult Censor, tum necesse est alterutrum dicat; Aut populum illum, quem semel Deus præcognovit, officium populi Dei semper

Ostenditur locum ad Rom. 11. 2 pro Censoris sententia

ſemper facere, aut (ſi hoc affirmare non audeat) populum Dei ſemper eſſe ac manere populum Dei, quomodocunque ſe gerat, etiamſi in rebellionem & inobedientiam graviſſimam incidat. Hoc ſi dixerit, tum verò viderit quomodo loca iſta omnia ſalvaturus ſit, ubi diſertè affirmatur, Deum populi iſtius Deum eſſe nolle, populum Dei populum, quem vid. Deus carum ſibi habeat, non eſſe qui divinæ voluntati & legi obſequium detrectat. Vide illuſtrem locum 2. Cor. 6. 16. *Quæ conſenſio Dei templo cum ſimulachris? Nam vos templum eſtis Dei viventis, ſicut dixit Deus, Habitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Quapropter exite è medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite,* NB. *tum ego ſuſcipiam vos, & ero vobis pro Patre, & vos eritis mihi pro filiis & filiabus, dicit dominus omnipotens.* Deinde videat quomodo ſalvaturus ſit id quod Rom. 11. penè per totum dicitur, Judæos *propter incredulitatem ſuam defractos fuiſſe*, & Gentes in eorum locum adſumtas, ſed ſimiliter aliquando exſcindendas & repudiandas, *ſi non permaneant in benignitate divinâ* verſ. 20. 21. 22. Poſſem his addere expoſitiones Patrum, qui locum hunc de electione, quæ ſecundum præſcientiam eſt, acceperunt, ut Chryſoſtomi, Hilarii, Hieronymi, aliorumque, quas, ſi admittat Cenſor, quam vana ſit quæ huic loco innititur argumentatio haud dubiè videret. Vide Voſſium Hiſtor. Pel. lib. 5. Theſ. 8. Sed nos iſto argumento eum premere nolumus. Addit Cenſor, *Ac licet totus mundus ſequatur & admiretur beſtiam, excipiuntur tamen ſemper illi, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ à jactis mundi fundamentis, ut videre eſt*, Apoc. 13. 8. & 17. 8. Sed I. neuter locus habet, prout eum citat Cenſor: Non enim in textu excipiuntur illi, quorum nomina ſunt ſcripta in libro vitæ, ſed tantum dicitur in utroque loco, eorum nomina, qui Beſtiam adorant & admirantur, non eſſe ſcripta in libro vitæ, vel in libro vitæ agni: At quid vetat illa verba hoc pacto accipere; *Quorum nomina* (idcirco ſcilicet) *non ſunt ſcripta in libro vitæ?* II. Eſto tamen, textus habeant uti eos citat Cenſor, quæ ratio conſequentiæ, quam ex iis infert Cenſor; Ergo ſcripti in libro vitæ ſunt iſti, quos Cenſor vocat, electi, & qui ſemel ſcripti ſunt in libro iſto vitæ, ii ſemper in eo ſcripti manent? Quis conſequentiam ſimilem non repudiet, tota civitas rebellat Principi, exceptis paucis, qui nomina ſua Principi dederunt, & quorum nomina, ut fidelium ſubditorum nomina ſcripta ſunt in libro civitatis publico, ergo pauci iſti non potuerunt non fideles manere Principi? III. Rationes manifeſtæ ſunt, quæ evincunt

confirmanda non facere.

Similiter oſtenditur locum Apocal. 13. 8. & 17. 8. perperam adduci à Cenſore ad ſtabiliendum ſententiam ſuam.

cunt phrasin hanc eo, quo Censor capit, modo accipi non posse. Nam I. Sic dixisset Ioannes omnes eos, qui bestiam adorabant, jam ante, imo ab æterno à Deo peremtorie fuisse ad mortem reprobatos; proinde fieri non potuisse, ut electorum ulli in istam adorationis bestiæ, sive idololatriæ culpam inciderent. II. Omnes eos, qui bestiam adorabant, idcirco eam adoraturos, quod gratia divina careant eo ipso quia reprobati sunt. III. Sic dixisset Joannes, fieri non posse ut unquam quisquam propter propriam culpam suam deleatur è libro vitæ, cui semel inscriptus fuit, quod non modo non verisimile, sed plane falsum esse sequentiæ probant. I. Quia ipse cap.22.19. affirmat, *Deum ablaturum ex libro vitæ, ex urbe illa sancta, & ex iis, qui scripti sunt in libro vitæ* (ut enim legatur, ut Beza transtulit neutro genere, ex iis *quæ scripta* sunt in libro isto, absurdissimum est) *partem ejus, qui abstulerit ex verbis prophetiæ ejus*, quod affirmare ridiculum foret, si auferri partem ejus ex libro vitæ impossibile esset. II. quia Deus ipse Exod 32.33. expresse asserit, *Qui peccavit mihi, eum delebo ego è libro meo*, quem scripsi scilicet ut ex vers. præced. apparet. III. Quia Prophetæ diserte à Deo erant, ut mali ac perversi deleantur è libro vitæ, ut Psal. 69. 29. *Deleantur è libro viventium*, vel *vitæ, & cum justis non scribantur*: quod Jeremias aliis paulum verbis, sed affirmative enunciat cap. 17.13. *Recedentes à te in terra scribentur; Quoniam derelinquerunt venam aquarum viventium, Iehovam.* Nec juvat si excipias, per librum vitæ intelligi istis in locis, vitam hanc, & per deletionem ex libro isto vitæ, occisionem sive sublationem è medio viventium, quod admodum verisimile est: Nam eo ipso, quod tales, qua tales, exscinduntur è vita, exscindi etiam ex vitæ æternæ libro, id est, à spe regni cælestis excludi eos certissimum est. IV. Quia Apostolus de Dema, qui fuerat *ex coadjutoribus* Pauli, ad Philem. vers. 24. *quorum* (adjutorum sc.) *nomina in libro vitæ* fuisse affirmat, Philip.4.3. diserte affirmat 2.Tim.4.10. quod *eum dereliquerat amore præsentis sæculi inductus.* Hisce tam disertis & claris Scripturis nihil opponi potest vel in speciem verisimile, si hypothesin Scholasticâ de Prædestinationis certitudine jam recepta, tollas. Quæcunque enim exceptiones contra hæc loca fieri solent, eæ omnes ista sola hypothesi nituntur, & ab ea speciem accipiunt, cætero quin frivolæ ac frigidæ sunt. Quod vero phrasin attinet, apparet ex duobus locis Apoc. 21.27.& 3.5. per eos, qui libro vitæ inscripti dicuntur, non intelligi nisi eos, qui digne se gerunt divina vocatione & Euangelio, quod liber vitæ

vitæ agni est, ad cujus formulam vita æterna danda est, obtemperant, & per eos qui ex libro vitæ delendi nunquam sunt, intelligi eos, qui ad finem usque in obedientia mandatorum divinorum perseverant. In isto enim loco dicitur, *Non ingredietur in illam* (sanctam sc. urbem, sive vitam æternam) *quicquam* (id est, quisquam) *quod* (id est, qui) *inquinat, aut abominandum quippiam patrat vel mendacium loquitur, sed qui scripti sunt in libro vitæ agni.* Ubi ex antithesi manifestum est, inscriptos libro vitæ agni denotare contrarium facientes istis, quæ dixerat: In hoc loco dicitur, *Deum nunquam deleturum nomen ejus è libro vitæ, qui vicerit*, id est, ad mortem usque perstiterit in fide Iesu Christi, uti ex phraseos illius usu, & æquipollentibus aliis liquet. cap. 2. 7. 10. 11. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui vicerit nequaquam lædetur à morte secunda:* vers. 26. *Si quis vicerit & observaverit ad finem usque opera mea, dabo ei potestatem in gentes,* &c. & c. 3. 12. 21. &c. Pergit Censor, *Imo & de justificationis ac proinde & regenerationis constantia non minus perspicue multis locis contrarium testatur Scriptura.* Assertio hæc repugnat universæ Antiquitati, cui Augustinus & Prosper etiam apertissime subscripserunt, quæ consentientibus calculis credidit fidem justificantem & gratiam regenerantem totaliter ac finaliter amitti posse, & à plerisque amitti, uti id Sole clarius demonstrat Gerardus Vossius historiæ Pelag. lib. 6. Tes. 12. & 13. quo Lectorem remittimus. Sed hæc antiquitas Censoribus nostris hic sine dubio sordet, quam alibi plenis buccis crepant. Quod tamen idcirco dictum nolumus, quasi contra eos autoritate ista pugnare velimus. Nihil minus; sed ut quam dissimiles sibi sint Censores in antiquitatis judicio æstimando appareat. Scripturam videamus: *Multis in locis*, inquit Censor, *perspicue contrarium testatur.* At loca, quæ citat, & pauca sunt, & non dico non perspicua, sed plane ad rem non facientia. Nam locus Rom. 7. 30. *Quos enim vocavit, illos etiam justificavit, & quos justificavit, eos etiam glorificavit*; De vocatione incredulorum ad fidem non agit, sed de vocatione eorum, qui credunt & Deum diligunt, ad crucem & afflictionem, ergo de justificatione eorum, qui ut credentes & diligentes Deum semper supponuntur. Nisi hoc pro certo statuatur, aut, si cum Censore asseratur, per vocatos intelligi hic eos, qui semel efficaciter ad fidem sunt vocati, & hos tales sic semel vocatos eo modo justificari à Deo, ut semper justificati maneant (de constantia enim justificationis Censor hic agi vult) tum sequetur alterutrum horum; aut fideles istos vocatos incidere non posse vel nun-

Tota pene Antiquitas credidit Fidē justificantem & gratiam generantem totaliter ac finaliter amitti posse.

Locum ad Roman. 8. 30. contrarium non statuere evincitur.

quam incidere in ejuſmodi peccata, quæ peccata contra conſcientiam dicuntur; aut, quando in ea incidunt, & in iis longo tempore perſeverant, nihilominus juſtificatos eſſe ac manere; quo utroque nihil abſurdius dici poteſt, & in Deum ac ſanctam ejus religionem injurioſius, uti ſuis locis demonſtratum eſt. Utrumque hoc abſurdum vitatur expoſitione Remonſtrantium, ſi nimirum vocatio hæc de eorum, qui Deo credunt, vocatione ad crucem accipiatur. Sic enim vis orationis Apoſtolicæ manifeſta eſt. Quos Deus non vocat tantum ad crucem, ſed etiam juſtificat; iis crux ipſa cooperatur in bonum: Atqui diligentes Deum, quos Deus prædeſtinavit ad crucem, non vocat tantum in tempore ad crucem ferendum, ſed eos etiam juſtificat: Ergo illis, quâ talibus, crux cooperatur in bonum. Subjicit Cenſor, *Unde & ibidem omnium fidelium nomine gloriatur Apoſtolus, quod nec mors, nec vita, nec Angeli, nec Principatus, nec poteſtates, &c. nec ulla creatura nos ſeparabit à dilectione Dei, quæ eſt in Ieſu Chriſto, Domino noſtro*, verſ. 38. & 39. At locus hic quid ad rem facit? Nam Apoſtolus in eo non gloriatur, quod Dei dilectio conſtans maneat, quomodocunque nos geramus, ſive quod futurum nunquam ſit, etiamſi graviter peccemus, ut Deus nos æterno amore diligere deſinat; ſed tantum dicitur, nullam rem creatam, nullum malum, quod creatura nobis valet inferre (malum culpæ, quod contra conſcientiam eſt, ſemper excipitur) tantum valiturum, ut nos, qui Deum diligimus, ac proinde non peccamus, divinæ dilectionis fructu ſit fruſtraturum. Nec dicitur, nos, poſtquam ſemel deleximus, ſemper in dilectione divinâ perſeveraturos: Nam ne quidem agitur hoc in loco de dilectione Dei, qua nos diligimus Deum, ſed de dilectione qua Deus nos diligit. Rationes

Ad Rom. 8. 38. 39. non agi de dilectione, qua nos Deum diligimus, ſed de dilectione, qua Deus nos ipſum diligentes diligit, rationibus aliquot probatur.

ſunt, I. Quia ſubjectum enunciationis *Nos* ſupponit dilectionem noſtram, qua nos Deum diligimus, uti apparet ex totius capitis filo, & ſpeciatim ex verſ. 28. II. Quia verſ. 37. apertè dicitur, διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς cujus ἀγάπης excellentia & vis deinde ab Apoſtolo extollitur. III. Quia vocatur ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἡ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. Ineptè autẽ noſtra dilectio, qua nos Deum diligimus, appellaretur dilectio Dei, quæ in Ieſu Chriſto Domino noſtro eſt. IV. Quia ſcopus Apoſtoli eſt oſtendere diligentibus Deum, qua talibus, omnia in bonum cedere, uti ex verſ. 28. apparet, & ex ſequentibus, cum tales juſtificari à Deo dicit, verſ. 33. cum Chriſtum pro iis interpellare ait, &c. Quare idem ſubjectum hoc in loco ut ſtatuatur ratio poſtulat. V. Quia alioqui dixiſſet Apoſtolus id, quod falſum eſſe ex aliis Scripturæ locis manifeſtum

manifestum est. Nam Scriptura disertè affirmat Matth.24.12. futurum ultimis diebus ut *caritas multorum refrigescat*. Refrigerationem autem intelligit eam, cui perseveratio ad finem, quæ salutem sibi annexam habet, opponitur, uti ex vers.13. statim subjuncto liquet. Apoc. 2.4. 2.Tim.4.10. Breviter, nec de dilectionis nostræ, nec de dilectionis divinæ constantiâ simpliciter gloriatur Apostolus, sed de dilectionis divinæ constantiâ, quâ Deus versatur circa Fideles ipsum diligentes, officium suum sedulò facientes, & in mediis afflictionibus ad finem usque perseverantes. Quare, si peccent fideles, & ab officio suo faciendo desistant, & Deus illos, qua tales, odio habere incipiat, manet nihilominus constans Deus in istâ dilectione, & vera hæc Apostoli gloriatio. Nisi hoc statuatur, alterutrum statuendum erit; Aut eos, qui jam diligunt Deum, non posse incidere in peccata, quæ contra conscientiam sunt de quibus affirmatur, quod nos ex regno cælorum excludant; aut si in ea incidant, eos nihilominus tamen dici jure posse Deum diligere. Neutrum Christianus admittet. Eadem est sententia loci Johan.10.29. *Oves meas nemo rapiet è manu meâ.* Nam per *oves* intelligi istic fideles Christi Discipulos, Christo indivulsè adhærentes, & in fide Christi morientes, planissimum est. Nam de ovibus istis agitur, quibus Christus vitam æternam dat, quæ in æternum non peribunt. Rapere itaque ex manu Iesu Christi est istos in fide Christi mortuos, & sic, veluti depositum, manibus Christi concreditos, ut eos aliquando in vitam suscitet, in morte & damnatione detinere, & efficere quo minus ex morte in æternam vitam à Christo suscitentur, & sic æternum pereant. De raptu itaque diaboli, quo illos ad peccandum solicitare, & sic è Christi manibus ad se pellicere potest, hic non agitur. Tales enim non rapiuntur, sive ἁρπάζονται ex manu Christi, sed sponte suâ sive aurem præbentes illecebris diaboli, ex manu Christi exeunt, & diabolo sese dedunt, quos ῥιψασπίδας vocant Græci, quod Christus indicat Iohan.6. cum 70. discipuli penè omnes offensi Christi oratione, à Christo secessissent; duodecim enim Apostolos rogabat, *Num & vos vultis abire?* q. d. id in manu vestrâ est; ego invitos non teneo, quamquam de vobis meliora spero. Aliud est seducere, aliud rapere. Eo ipso quod quis seducit aliquem, non rapit eum. Seducendo enim efficit ut is ultrò ac sponte Dominum deserat, & ab eo regi, pasci & gubernari nolit, ab ipso aufugiat, & doctrinam ejus respuat. Locus, qui ex Matth. 16.18. desumtus est; *Portæ inferorũ adversus Ecclesiam non prævalebunt*, eundẽ cum præcedente sensum

Locum Ioã.10 29. pro Censore non facere evincitur.

Locum Matth.16.18. pro Censore non facere prolixè demonstratur.

ſenſum habet. Portæ enim inferorum, ipſos Inferos ſive mortem ſignificant; Eccleſia itaque hic ſignificat tum ſingulos fideles, tum non niſi fideles in fide Chriſti mortuos. Contra eos enim mors in æternum non prævalebit. Per *portas autem inferorum*, ſive πυλὰς ᾅδου intelligi idem quod per *portas mortis*, per portas umbræ mortis, docet Locus Eſaiæ, ubi phraſis hæc tantum ſemel adhuc occurrit cap. 38. 10. *Vadam ad portas inferni.* Sic enim 70. verterunt πορεύσομαι ἐν πύλαις ᾅδου, id eſt, moriar vel vado ad tumulum ſive ſepulchrum, uti vocem ᾅδου hic exponunt Arias Montanus, Santes Pagninus, Franciſc. Vatablus, & Sebaſt. Munſterus: Eodem ſenſu phraſin hanc uſurpatam legimus duobus in locis Scripturæ Apocryphæ, quos ideò citamus, quia ex iſtis colligi poteſt, quo ſenſu phraſis iſta olim uſurpata fuerit, Sap. 16. 13. *Tu vitæ neciſque poteſtatem habes, ad portas inferorum deducis & reducis.* 3. Mach. 5. verſu ultimo, *ut interventu ſuo miſereretur eorum, qui jam ad portas inferni pervenerant.* Hoc ſenſu dixit Homerus Ὀδυσσ. ξ 14.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς αἴδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.
Odi illum ſicut inferni portas,
Qui aliud corde premit, quam ore promit.

Quare, cum ex phraſi hac, *portæ inferorum non prævalebunt adverſus Eccleſiam*, concludit Cenſor, nunquam fieri poſſe, ut ii, qui ſemel crediderunt, fraude aut verſutiâ diaboli in peccata, & ſic in periculum mortis adducantur, valdè à ſcopo loci aberrat. ᾅδης enim nunquam in Scripturis ſignificat diabolum, aut diabolicam fraudem, ſed, uti Viri docti non pauci obſervant, ſtatum ac conditionem mortuorum, ſeu mortis ipſius dominium, vide Eſai 28. 15. Proverb. 2. 18. Apoc. 20. 13. ubi legitur, *Mors & infernus reddiderunt mortuos quos habebant, & judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera eorum. Infernus autem & mors conjecti ſunt in ſtagnum ignis, quæ eſt mors ſecunda.* verſ. 10. dicitur etiam *ipſe diabolus conjectus in ſtagnum ignis & ſulphuris*, &c. Senſus itaque loci hujus ſimplex eſt idem qui horum; *qui credit in me non morietur, &, etiamſi mortuus fuerit, vivet, Non perdetur æternum: Tranſivit jam de morte in vitam*, id eſt, tam certò aliquando tranſibit, ac ſi jam tranſiiſſet. *Illum ergo non perdam*, ἀπολέσω, inquit Chriſtus ipſe, *ſed ſuſcitabo ultimo die.* Hæc itaque duo loca planè ſunt ἀπροσδιόνυσα. Quia verò ad cætera, quæ citari ſolent, loca, inquit Cenſor, *excipi ſolet à Remonſtrantibus, in illis tantum indicari, neminem fidelem à Chriſto ſeparatum iri, aut periturum per majorem*

potentiam,

potentiam, quam Christi sit, non autem indicari eos per propria peccata à Dei caritate aut è Christi manu non exituros; Hinc ad illud respondet per πρόληψιν: *Absurdum hoc est*, inquit, *Nam nemini verè fideli hoc in mentem venire potest, quod Satan aut mundus sit potentior Deo, ut filios ejus invitos invito ei possit eripere.* Bone Deus! Quam crudè hæc dicuntur! Morti, inferno, diabolo ut Principi mortis atque inferni, potentia, δύναμις, ἰσχὺς, tribuuntur figuratâ loquendi ratione; non quod potentia propriè aliqua à morte aut inferno adhibeatur contra Deum, si homo sub mortis potestate, sub inferni vinculis maneat; sed quod destructio hominis, & destructi in cineres & pulverem redactio, aliquid videatur simile potentiæ, cum propriè nihil aliud sit quam privatio, cujus nulla per se efficacia est, sed quæ efficax tum creditur, cum tolli non potest.

Morti, inferno quo sensu tribuatur potentia sive vis, rapiendi &c.

Sed esto, cruda hæc oratio transeat: Quid deinde sibi vult ratio hæc, *Quia nemini verè fideli hoc in mentem venire potest*, &c. Esto. Quasi verò hæc à Christo propter vere Fideles tantū dicta fuerint. Nam propter alios etiam dicta fuisse textus non obscure arguit. II. Posito quod propter fideles tantum ista dicta fuerint, quasi quisquam crediderit, idcircò ista sic dicta esse, quia vere fidelibus in mentem venire potest, quod Satan aut mundus sit potentior Deo. De Christo agitur, non de Deo. De Christo, inquam, qui cum infirmo, vili & abjecto schemate inter ipsos versabatur, qui iisdem quibus cæteri homines, infirmitatibus obnoxius erat, & qui de se ipso prædicabat, quod oves suas nemo rapturus esset è manibus suis. Quid? an iis, qui recens ad religionem Christi accesserant, & verè etiam Jesum pro Prophetâ & Messiâ promisso receperant, in mentem venire non poterat, an ille potentia tali valeret, ut sectatores suos ultimo die ex faucibus Satanæ, mortis & inferni posset liberare? Quid ni? Nulla dubitatio promtior, nulla hæsitatio facilior. De Deo, ut id ipsis in mentem veniret, absurdum est, & hoc indicat Christus, cum id idcircò fieri non posse affirmat, *quia ipse & Pater unum sunt*: quasi dicat; De potentiâ Patris nemo dubitat, de meâ ne quis dubitet, hoc unum sufficere debet, quod Pater mihi universam potentiam suam dederit, qua ego idem possum quod Pater meus. III. Obscura est oratio ista, *Nemini verè Fideli hoc in mentem venire potest*, &c. Nam *verè fideli*, qua vere & actu in Christum credit, id est, Christum habet pro eo qui divinâ ista potentia præditus est, ut id in mentem veniat, sane absurdum est. Sed vere fideli, non quà, sed qui verè fidelis jam est, in mentem aliquando ejusmodi

Expenditur exceptio Censoris, qua dicit, Nemini vere fideli in mentem venire posse, quod Satā aut mundus sit potentior Deo, ut filios ejus invitos invito ei possit eripere.

modi hæſitationem & dubitationem venire poſſe, quid abſurdi in ſe habet, nedum impoſſibile? Inter varias, quæ mentem fidelis hominis agitare poſſunt, dubitationes, cur iſta etiam dubitatio, non dico de Deo, ſed de Chriſto, imprimis in ſtatu iſto humilitatis, venire non poterat? Nec impoſſibile, nec omnino abſurdum videri deberet, ſi dubitatio iſta diceretur etiam hoc tempore in mentem aliquãdo venire poſſe fidelibus de Chriſto, licet jam exaltato & ad dextram Dei Patris poſito. Quocirca aſſertio hæc Jeſu Chriſti clypei inſtar eſſe debet, quo contra dubitationes ejuſmodi muniti ſemper maneamus. *Sed hoc erat*, inquit, *quod eos ſolicitos habere potuit, nempe, ne per mundi aut Satanæ perſecutiones aut inſidias à ſalute abducerentur, aut à Chriſto deficerent.* Nempe, hoc erat, mi Cenſor, quod eos ſolicitos habere debebat! Quid? An ergo ulli vere fideli (ut te verbis tuis compellem) hoc totum in mentem venire poteſt, quod videlicet Satan aut mundus potentior ſit in ſeducẽdo, quam Deus eſt in conſervando fidem in fidelibus ſuis? Quod ſuaſio diabolica plus poſſit, quam potentia illa Dei, quæ nec creatione, nec ſuſcitatione minor eſt, qua fidem in ſuis electis efficit & conſervat? Quæ ratio ſolicitudinis? Cur ſoliciti ſint de perſecutionum, inſidiarum & artium diabolicarum vi, qui credunt hæc ſequentia? I. Electos perire non poſſe. II. Electos contra artes & fraudes Satanæ ſic conſervatum ire à Deo, ut ſeduci non poſſint totaliter nec finaliter. III. Electis nulla peccata quæcunque committunt, aut commiſſuri ſunt ullo unquam tempore imputatum iri à Deo: IV. Se vere ex iſtorum Electorum numero eſſe. Stulta ſane foret ſolicitudo defectione à Chriſto, quam tales conciperent. Fundamentum hoc Dei ſtare norunt, Electos Dei filios à diabolo nunquam in errores, qui ipſis exitiales, aut peccata, quæ ipſis lethalia ſint, abduci poſſe: Extrema tentet diabolus, fallat, ſeducat, premat, affligat, obruat electos iſtos, fruſtra ſemper erit; Quos ſemel elegit Deus, eos gratia ſua excidere nunquam ſinit. Promiſſiones ut adhibeantur contra ſolicitudinem iſtam, vaniſſimum eſt. Sola illa ſcientia, quod electi totaliter & finaliter nunquam excidere poſſint gratia Dei, in quæcunque demum peccata incidant, ſufficit ad ſolicitudinem omnem eximendam ex animis eorum. Promiſſiones inde vim habent, imo, ſi recte videas, ſupervacaneæ ſunt: Decreto enim iſto ſtante, promiſſio, qua promiſſio, vim nullam habet, dicis tantum cauſa ut fiat neceſſe eſt. Quare, quæ ad hanc Remonſtrantium exceptionem reſpondet Cenſor, vana ſunt & nullius momenti. Locum Luc. 22. 31. jam ante

Oſtenditur cauſſam ſolicitudinis fidelium, quam Cenſor adſignat ineptam & ridiculam eſſe.

excuſſi-

excussimus; Quod sequitur ejusdem farinæ est. *Ideo*, inquit Censor, *& Scriptura alibi hoc quoque apertius pronuntiat, ut fidelibus omnem scrupulum adimat, quemadmodum* Ioa. 4. 13. *Qui biberit ex aqua illa, rursum sitiet, sed qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons vitæ saliens in vitam æternam.* & Ioann. 6. 49. *Patres vestri comederunt manna ac mortui sunt*; & vers. 5. *Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum.* Quid, an Christus hic apertius enunciat, Censor, id quod tu ais? Atqui oratio hæc tota est figurata, quæ nisi in propriam resolvatur, obscura est, & neutiquam argumentativa: ut autem ex ea efficias quod propositum habes, necesse est ut eam in hanc propriam resolvas, Qui semel credidit, id est, semel fide à Deo donatus est, is semper manet fidelis, ac proinde æternum etiam vivet: At hanc esse propriam illam orationem, quam Christus sub metaphora illa intelligi voluit, probandum tibi fuerat. Qua, quæso, specie id fiet? Enim vero, quid vetat verba accipere hunc in modum; Ista aqua non sufficit restinguendæ corporali siti in universum. At doctrina mea, quam ego de cælo nomine Patris mei adfero, talis est, ut, qui eam semel animo suo recte imbibit, ex ea abunde haurire possit, quod restinguendo universo animæ suæ desiderio sufficit: Nihil amplius, nihil melius cupiet aut optabit, si modo eam in animo suo retineat nec revomat: Doctrina ista non absumitur, sed imbibita semel instar fontis perennis erit, unde consolationum rivi perpetui manabunt, quorum terminus erit ipsa vitæ æternæ fruitio. Hoc modo exposita verba aliud nihil continent quam descriptionem Euangelii Iesu Christi, ab innata ejus vi atque efficacitate, ad explendum totum hominis appetitum, spe tam excellentis boni, ut supra nihil desiderari unquam possit; non vero descriptionem fidei, quasi vid. eum, qui semel credidit, semper fidelem manere necesse sit, ob fidei vivificam & semper manentem qualitatem. Tum ratio manifesta probat, fieri non posse ut isto, quo Censor vult, sensu verba hæc Christi accipiantur. Nam certum est, eum qui semel credidit in atrocia peccata incidere, & in iis aliquandiu sine pœnitentia perseverare posse. Hoc autem si ita est, tum ex ista Censoris interpretatione sequeretur, eum qui credidit, in mediis ejusmodi peccatis vitæ æternæ spe plenum permanere, & gratiam ad salutem sitire non posse, aut ut sitiat opus non habere, quod absurdum sane palpabile est, directe enim contrarium legitur Ezech. 18. & 33. ubi diserte Deus affirmat, *justum si defecerit à justitia sua, & fecerit iniquitatem, moriturum nec victurum esse*, & 2. Corint. 10. 5. ubi plerosque eorum, qui *eandem* cum cæteris

Ostenditur locum Ioa. 4. 13. inepte citatum esse à Censore.

Paraphrasis loci.

Idem rationibus aliquot evincitur.

escam spiritualem ederant, & *eundem spiritualem potum biberant*; Deus *non approbaße* dicitur: *prostrati enim sunt*, inquit textus, *in deserto*. Adde, quod mos Scripturæ S. & Scriptoribus pene omnibus familiaris sit, actui aut qualitati uni alicui solitariæ & semel positæ, effectum totalem salutis & beatitudinis attribuere, quem ex eadem Scriptura constat ei non competere, nisi quatenus aliis qualitatibus juncta est, & ad finem usque durat, quo sensu dicta ista omnia accipi necesse est. Sic actui unico fidei, sic paupertati Spiritus, sic mansuetudini, misericordiæ, caritati & dilectioni fraternæ passim Scriptura adscribit salutem & beatitudinem æternam: cum tamen eis, nec solis, nec semel tantum positis, salus competat, sed conjunctis cum cæteris virtutibus,& positis tum, cum judicium futurum est. Hinc disertè Servator ait, *Caritas multorum refrigescet, sed qui perseveraverit ad finem usque, is servabitur*. Matth. 24. 12. &, *Nos sumus Christi participes facti, si modò principium substantiæ* (id est fidei) *ad finem usque firmum retineamus*. Hebr. 3. 14. Et hoc confirmatur non obscurè ex contrario, quando vid. iis, qui non credunt, qui non faciunt opera misericordiæ & caritatis, eadem Scriptura tribuit, quod salvandi non sint, quod eorum non sit regnum cælorum,&c. Non quod iis hoc tribuat eo quod semel actum unum incredulitatis patraverunt, sed eo quod in incredulitate persistunt, & ab impietate sua se abduci non sinunt. Eadem ratio hic locum habet. Et sane, is ipse, quem Censor citat, locus ex Ioan. 11. 23. non obscure id confirmat: Christus enim ibi seipsum vocat *resurrectionem & vitam* eo sensu,quod is, *qui in ipsum credit etiamsi fuerit mortuus*, *victurus sit* (per ipsum scilicet) *& qui vivit & credit in eum* (id est, qui vivus deprehendetur tum, cum ipse mundum judicabit, & mortuos in vitam suscitabit) *non moriturus sit in æternum*; sic enim verba hæc accipienda esse evincitur ex locis istis, ubi fideles mortui primum suscitandi, & vivi non suscitandi ex morte sed immutandi esse dicuntur, & sic in æternum non morituri. 1.Cor. 15.51.52. & 1.Thes.4.15.16.17. Quod enim Censor verba ista, *Omnis qui vivit*, exponit *nempe vitâ hac spirituali*, id absurdissimum est. Nam sic non apparet, quomodo statim deinde addat Christus, *& in me credit*: Sic enim vitam istam spiritualem fidem illam præcedere dicendum foret, nisi fortasse particulam καὶ (&) ἐξηγητικῶς, sive pro, *id est*, positam esse velit, quod nulla verisimili ratione nititur, imò vim & emphasin orationis Christi plane enervat. Christus enim opponit in ea τὸ *vivere*, ei quod ante dixerat, *Etiamsi mortuus fuerit*; Deinde expositio ista etiam

Sensus loci Ioan.11.25.

etiam directè repugnat tum universæ Scripturæ Sacræ, ac nominatim duobus istis jam ante citatis locis ex Ezech. 18. & 33. ubi Deus justum (quem vita spirituali vivere certum est) si defecerit à justitiâ sua, moriturum esse, addito juramento, affirmat; tum rationi manifestæ, quam jam aliquoties adduximus, quod vid. alioquin necessariò statuendum sit, fidelem, cum in gravissimis & atrocissimis peccatis & sceleribus aliquamdiu sine pœnitentiâ vivit, manere tamen semper vita spirituali præditum, quo nihil absurdius dici potest: Perperam verò ad id confirmandum adducitur locus ex Apoc. 20. 6. *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in eum mors secunda non habet potestatem:* Nec enim *prima* ista *resurrectio*, de qua Ioannes loquitur, est resurrectio spiritualis ex morte peccati, uti Censor exponit, cum majusculis literis scribit, *Hæc resurrectio*, sc. ex morte spirituali, *vocatur resurrectio prima:* Manifestum enim est ex vers. præcedenti per *primam resurrectionem* intelligi, resurrectionem eorum, qui in fide Iesu Christi mortui sunt, sive, uti textus ait, *qui securi percussi fuerunt, propter testimonium Jesu & propter sermonem Dei*, quos resurrecturos, & mille annis cum Christo regnaturos dicit Ioannes prius quam reliqui fideles ex mortuis resuscitentur, additque, *Hæc est resurrectio prima.* Quomodo & quo sensu id affirmet Ioannes non est necesse hic exponere: Certum & clarum est, resurrectionem istam primam vocari resurrectionem eorum, qui in fide Iesu Christi mortui sunt, non autem, ut vult Censor, eorum, qui in vitam spiritualem resuscitantur. Hos enim semel suscitatos peccare, & propter peccata sua mori iterum posse, & in eos secundam mortem potestatem iterum habere posse, loca Ezechielis Sole clarius demonstrant, & Scriptura ubique clamat. Nec minus ineptè allegatus est locus Ioan. 6. vers. 49. *Patres vestri comederunt manna & mortui sunt; At si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum.* Nam locus iste non agit de vita spirituali, quæ morti spirituali, sed de vita æternâ, quæ morti illi quam Manna aut tollere aut impedire non poterat, opponitur. Nec opponitur beneficium Christi beneficio Mannæ, in eo quod Christus suos in vita spirituali conservet, id est, efficiat ut qui semel edit, id est, credidit, in fide ista semper maneat, neque unquam ex ea excidat, quod Manna non poterat efficere in iis, qui Mosi sese semel addixerant; Nihil minus; sed in eo, quod Christus suos fideles istâ vita donet, ut aut morituri nunquã sint, aut, si mortui sint, iterũ reviviscant, & in æternum permaneant: cum Manna, quam ederant etiam ipsi fideles Israelitæ in deserto, id effi-

Perperam allegatio loci Apoc. 20. 6. redarguitur.

Quid sit resurrectio prima in prædicto loco.

Inepta citatio loci Ioa. 6. 49. redarguitur.

cere non posset. Etsi enim aliquandiu in vita eos conservabat, tandem tamen mortui sunt omnes, & nemo ejus beneficio aut usu, à morte immunis est præstitus, nemo in vitam revocatus est, aut ullo unquam tempore revocandus erit. Semper itaque in hoc sermone Christi supponitur fides in iis, qui victuri per Christum dicuntur, & fides quidem durans ad illud usque tempus, quo vita ista æterna, de qua Christus loquitur, conferenda est. Sed jam tempus est, ut ad palmaria duo loca examinanda, quæ superbè pro causa sua jactat Censor, accedamus. *Sed quid multis*, inquit, *immoramur? Ioannes in 1. Epist. sua argumenta irrefutabilia adversus Apostasiam hanc suppeditat. Exiverunt*, inquit, *ex nobis, sed non erant ex nobis, si enim ex nobis fuissent, mansissent utique nobiscum, Sed (hoc factum est sc.) ut patefieret non omnes eße ex nobis. Vertite vos in omnes formas Remonstrantes, nunquam hujus argumenti vim eludetis.* Euge! Triumphum video. Nullus locus est, in quo minus præsidii pro causa Censoris est. Age, & rectà eamus in hostem: Nec enim ut nos in formas varias, nedum in omnes vertamus necesse est, ut tam imbellem arcem expugnemus. Ac primò quidem nullum ex hoc loco argumentum exstruitur sed nudum eum tantum citat Censor, quod sanè non est disputare ex locis, sed loca legere. Nec mirum: Impossibile est, ut argumentum ex hoc loco formetur: Nam ex quibus verbis id formabitur? An ex primis, *Exiverunt ex nobis, sed non erant ex nobis?* At quid ex iis aliud concludi potest, quam Antichristos illos non aliunde ad illos delatos; sed ex medio eorum cætu, cujus aliquando membra fuerant, ortos & profectos fuisse; sed tamen non fuisse, antequam se tales Antichristos profiterentur, eo animo erga Christi doctrinam affectos, quo oportebat, sed ab iis quibuscum versabantur, aut alienatos, aut iis planè dissimiles. Ecquid verò ex istó sensu pro caussa sua concludere potest Censor? Dices; Indicari eos defecisse à Christo, quia non erant electi ad vitam, vel viva fide donati, ut Apostoli & alii verè fideles. At I. Nec phrasis, *Exiverunt ex nobis*, postulat, ut explicetur per defecerunt à nobis: Significare enim potest, & revera significat aliud nihil, quam ex medio nostri surrexerunt, ex nostro cætu profecti sunt, ut conveniat cum eo quod legitur, Actor. 20. 30. *Ex vobis ipsis (scio) exorituros vel surrecturos qui perversa loquantur, ut discipulos post se abstrahant*; & Act. 15. 24. *Audivimus quosdam è nobis egressos*, ἐξ ἡμῶν ἐξελθόντας, *vos turbaße verbis.* Ut jam alias significationes hic non allegemus. Sed & posito per phrasin, *egredi ex nobis*, hic significari ab Apostolo, defecerunt à nobis, phrasis sequens,

Examinantur duo palmaria Censoris loca.

Primus locus est ex 1. Epist. Ioannis cap. 2. quem pro Censore non facere, rationibus aliquot evincitur.

ſequens, *Non erant ex nobis*, non ſignificat neceſſariò, Nunquam fuerunt ex nobis, ſive nunquam fuerunt verè fideles & Chriſtiani: Nihil minus; Sed ſignificare poteſt, jam animum ſuum mutaverant. Non amplius erant, quales antea fuerant. Et ſanè id omninò phraſis hæc ſignificare videtur, quod indicat præteritum imperfectum, quo hic utitur Apoſtolus. 2. Particula adverſativa *Sed*, non erant ex nobis: Alioquin enim dixiſſet; Quia non erant ex nobis: Quis enim ſic loquatur; Iſte claudicat, ſed alterum pedem breviorem habet; Ille barbare loquitur, ſed non didicit grammaticam? Nunc autem hic ſenſus eſt hujus orationis: Orti ſunt ex nobis, ſed ne cui hoc mirum videatur, jam eſſe deſierant noſtri, jam alienaverant fidem & animum ſuum à nobis, atque hæc diſceſſionis à nobis cauſſa fuit. III. Ratio etiam manifeſta id evincit. Nam, ſi tales in principio fuerant, nulla ratio dari poteſt, cur cætui iſti Chriſtianorum ſeſe adjunxerint, cum Apoſtolus diſertè eos idcircò non manſiſſe in cætu iſto concludat, quia non erant ex ipſo cætu, ſive cætui iſti addicti. Sanè, ſi hæc ratio Apoſtoli militat, uti militare apud nos debet, etiam iſta ratio noſtra ut militet neceſſe eſt. Sed, ut ejus vis clarius eluceſcat, ſequentia verba expendemus, quia in iis fortè robur & vim argumenti ſui, Cenſor collocat: Conjectura enim nobis opus eſt; quia Cenſor ipſe argumentum nullum facit: *Si enim ex nobis fuiſſent, manſiſſent utique nobiſcum.* Ex his enim verbis hoc efficere volet Cenſor, eos, qui ſemel verâ fide cum Apoſtolis donati ſunt à Deo, ſemper vera fide præditos manere, & contra, eos, qui à fide deficiunt, vera fide præditos nunquam fuiſſe. At, quam infirma & inconcinna hæc ſit collectio, ratio ipſa ſtatim indicat: Nam textus dicit, illi *manſiſſent nobiſcum*: Non dicit ſimpliciter, illi manſiſſent tales quales erant aut fuerant ſemel; ſed manſiſſent *nobiſcum* in cætu noſtro. Inde enim ſic colligo: Si Apoſtolus id indicare hic voluiſſet, quod Cenſor eum indicare vult, ſequeretur neceſſariò, eos, qui ſemel verè fideles ſunt, etiam ſemper profeſſione tales manere, ſive ab externo Chriſtianorum cætu, cui ſemel ſe junxerunt, nunquam ſeſe ſegregare, quod abſurdum eſſe fateri cogitur Cenſor, ſi conſentaneè ſuis loqui vult. Et quid? an non fieri poteſt, ut ſancti aliqui, vel infirmitate aliqua abrepti, vel metu & pudore obſeſſi, vel vi adacti, vel etiam ſponte ſua eo uſque perveniant, ut cum hæreticis & adverſariis Chriſti conſpirent? Sanè, ſi fieri poteſt ut in profanam & diſſolutam vitam prolabantur, cur nõ poſſent prolabi ad id quod minus eſt, id eſt, ad externam profeſſionem, quæ veræ Chriſtianæ Religionis

ligionis professioni contraria est? Sanè, Petri exemplum satis evincit contrarium, & Contra-Remonstrantes in collat. Hag.pag.54. fatentur disertè, *verè credentes posse eo usque prolabi, ut Ecclesia, juxta constitutionem Christi, cogatur testari se ipsos in externa sua communione non posse tolerare,&c.* Cæterum, Apostolum Ioannem istis verbis aliud nihil, quam id quod indicavimus concludere, sic ostendimus: Aut volumus illum de mansione illâ agere, quæ interna est, sive quæ dicitur mansio in vera fide, aut de externâ tantum, quæ est mansio in professione. Si de illa eum agere velimus, tum sic concludet Apostolus; Si fuissent ex nobis, id est, si fuissent verè fideles ut nos, tum permansissent in ista fide nobiscum: At non permãserunt in ista fide nobiscum; Ergo. At verò, ut hæc collectio Apostoli constet, statuendum est Apostolum affirmare, Illos antea fideles non fuisse, propterea quod non permanerent in verâ fide. At utrumque ignotum erat Apostolo, quod verè fideles antea non fuissent, ac proinde an in fide non manerent, etiamsi à fidelium cætu sese separarent. Id apparet ex eo, quia Apostolus statim addit, *Sed hoc factum est, ut appareret non omnes esse ex nobis* (sic enim Censor textum citat) Eo ipso enim significat, ex illâ discessione cognitum & manifestatum fuisse eos in fide non manere, quod antea ignotum & occultum erat: At ex discessione non poterat concludi eos à fide deficere, Ergo de mansione in fide vera hic non agitur. Restat ergo ut concludamus locum hunc, in quo tanquam in palmario triumphat Censor, locorum omnium qui pro ista sententia citari solent, infirmissimum esse, & nihil habere quod vel in speciem Censoris caussam juvat: Sensus enim ejus alius nullus est, quam Antichristos illos, qui ex ipsis Christianis, inter quos versati aliquandiu fuerant, surrexerant, discessione sua à cætu isto Christianorum testatum fecisse, quod non essent amplius tales, quales fuerant aut videri voluerant. Non quasi inde sequatur, aut quasi inde sequi indicare voluerit Apostolus, quod nunquam verè fideles fuissent: Nihil minus; fieri enim poterat ut vel tum, vel paulo ante quam discederent, & Antichristos se profiterentur, animum suum mutassent, & à religione Jesu Christi alienassent: Et sanè, hoc videtur indicare quod sequitur, *Sed non permanserunt nobiscum*, vel hoc factum est, quod discesserunt à nobis, ut manifesti fierent(non enim legitur in textu ut Censor citat ut appareret, aut ut manifestum fieret) quia (ὅτι enim hic rationalis particula est) non sunt omnes ex nobis, id est Hebræa phrasi, nulli istorum Antichristorum sunt ex nobis, sed nobis & doctrinæ isti,

quam

quam nos tenemus, favere desierunt. Nam per discessionem istam manifesti facti fuerunt, quales videlicet jam essent, at per eam manifestum non fiebat (nedum ut ordinariè manifestum fiat, ut Calvinistæ interpretes ad hunc locum notare solent) eos vera fide præditos nunquam fuisse, uti jam ostendimus. Alter locus est desumtus ex ejusdem Epistolæ cap. 5. vers. 4. *Quicquid ex Deo genitum est, vincit mundum, & hæc est victoria quæ vincit mundum, nempe fides nostra.* Si vincit mundum, ergo *nec à mundo plenè seducitur, nec à Christo abducitur.* Quam parum præsidii etiam in hoc loco positum sit, prolixè à Remonstr. in Actis & Scriptis Synodalibus, demonstratum est, & hic satis ipse Censor indicat, cum prædicatum enunciationis hujus Apostolicæ, *vincit mundum*, exponit per *non plenè seducitur à mundo, nec à Christo abducitur.* Nam hac expositione significat se concedere, phrasin illam non tam rigidè accipiendam esse quam sonat, sed amuleto opus habere, ne hypothesin suam evertat, & experientiæ manifestæ reclamet. At hac ipsa expositione sua non parum emphasin hujus Apostolicæ enunciationis & argumenti sui vim enervat. Nam I. textus non dicit, Quod is, qui ex Deo natus est, non *plenè* vincatur; Imo diserte non negat tantum quod vincatur, sed contra affirmat quod mundum vincat. Quid? an vincit mundum qui à mundo, etsi non plenè, vincitur? an seductiones superat, qui à seductionibus, licet non plenè, abducitur? Certè non dignè explicat tam prægnantem sententiam, qui eam tam dilutè explicat. II. Quid hoc est, Non plenè seducitur, nec à Christo abducitur? An non plenè seducitur, qui in errores fundamentales, & in peccata contra conscientiam, eaque gravia & enormia abducitur, in iisque aliquamdiu sine pœnitentia hæret? At regenito id accidere posse fatetur Censor. III. Contrarium patet ex duobus locis, ut jam alia non allegem, quæ plura & penè innumera sunt, I. ex Epistolæ ad Rom. cap. 7. (quem idcirco allegavimus, quia in eo de regenito agi adeo solicite ubique urget Censor, ut pene capitale censeat ei contradicere) ubi Apostolus vers. 23. diserte affirmat, *se videre aliam legem in membris suis, belligerantem adversus legem mentis suæ, & captivum eum reddentem legi peccati*, &c. Qui à lege peccati sic vincitur, ut captivus fiat legi peccati, adeoque, uti vers. 14. ait, venditus sit sub peccatum, an non plene vincitur à mundo? Dicere hoc loco de plenaria victoria non agi, eo quod expresse in eo affirmetur eum, de quo loquitur Apostolus, *facere malum quod non vult, & condelectari legi Dei quoad interiorem hominem*; nihil est: Nam hoc ipsum signum est

Secundus locus est ex 1. Epist. Ioã. cap. 5.4! & in eo Censoris sententiæ præsidium frustra quæri prolixe ostenditur.

de plena victoria istic agi, quod vid. ipsam mentem judicio generali repugnantem peccato, eo quod boni cognitione informata est, non sinit dirigere voluntatem, ut actu ea, quæ recta sunt, velit, sed eam secum captivam abducit, ut quod generali æstimatione malum esse judicat, in particulari non improbet, & sic voluntatem sub peccati dominio relinquat. Facere enim peccatum necessario secum involvit consensum mentis in particulari, & si alioquin mens æstimatione generali repugnet, ut in incontinente videre est. Omnis enim singularis actio, etiam ex mente ipsius Censoris, necessario sibi præcedaneum habet singulare & determinatum judicium mentis practicum. Hinc Apostolus Iacobus ait, cap. 1. 14. 15. *Concupiscentia, postquam concepit* (consensum sc.) *parit peccatum.* Plene itaque vincitur hic, de quo Apostolus loquitur, à peccato, non tamen ea plenitudine, quæ plenitudo graduum dicitur, quasi sc. vincatur sic, ut pessimus fiat; sed quæ plenitudo partium dicitur, qualis in incontinente apparet, qui, licet intemperans non sit, dominio tamen voluptatum, aut affectuum suorum carnalium plerumque succumbit victus ac prostratus, cum virtutis actiones exercendæ sunt. II. Patet idem ex 2. Petr. 2. 18. 19. 20. ubi Petrus expresse ait, *eos, qui ὄντως, id est, vere effugerant eos, qui in errore versantur, aliquando inescari per carnis lascivas cupiditates, sic ut superentur ab iis, & in servitutem earum veniant. A quo quis enim superatus est, huic in servitutem addictus est.* Quid? an hi plene victi dici non possunt? Ne quis dubitet, addit Apostolus, *Facta est eorum conditio ultima deterior priore.* Nec est quod hic Censor excipiat, fidem tamen in istis manere salvam, & sic illos nihilominus reportare victoriam de mundo, *quia fides est victoria nostra*, ut inquit Apostolus. Nam sic necesse est ut fateatur, fidem consistere posse cum erroribus fundamentalibus, & peccatis contra conscientiam, eosque qui fidem abnegant, & in idololatriam & peccata contra conscientiam prolabuntur, adeoque in iis perseverant aliquandiu sine pœnitentia, fidem nihilominus retinere & mundum vincere; quod adeo absurdum est, ut confutari non mereatur. *Bona enim conscientia expulsa, fidei naufragium fieri*, asserit Apostolus, 1. Tim. 1. 19. At sic, inquies, evertitur tamen hæc Apostoli propositio, *Qui ex Deo genitus est vincit mundum.* Nihil minus inquam; Sensus enim propositionis hujus Apostolicæ alius nullus est, quam fideles, qui fidem retinent & bonam conscientiam, solius fidei beneficio atque auxilio, de mundo & mundanis omnibus, seu voluptatibus seu afflictionibus triumphare; quia sola fides facit ut cælestia & æter-

Plenitudo graduum & partium distinguitur.

Quid sit, Qui ex Deo genitus est vincit mundum.

& æterna bona ob oculos habeant, ad quæ mundus & mundana omnia bona & mala alga viliora & pluma leviora sunt; atque hoc indicat Apostolus, cum subjicit: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse Filium illum Dei?* Ejusdem commatos est argumentum, quod Censor ex vers. 18. ejusdem Epistolæ desumit: *Scimus quod omnis, qui ex Deo natus est, non peccat (nempe*, ait, *peccato ad mortem, de quo antecedente versu egit) sed, qui ex Deo natus est, conservat seipsum, & malus ille non tangit eum.* Nam ista ipsa expositione, quam in parenthesi sua facit Censor cum τὸ *peccare* exponit de peccato ad mortem, similiter (uti antea) satis aperte indicat phrasin Apostoli simpliciter, & prout jacet, accipiendam non esse; quo ipso iterum non leviter luxat argumenti sui nervum. Tum, nec necessitas, nec ratio expositionis hujus ulla justa dari potest. Quod enim Censor asserit verbum *peccandi de peccata ad mortem* intelligendum esse, quia *de eo versu præcedente egerat Apostolus*, id verum non est: Nam egerat de peccato quod non est ad mortem; Itaque contrarium potius concludendum Censori fuerat. Imo rationes non leves sunt, cur de peccato ad mortem verbum *peccandi* hoc loco exponi non debeat, quia vers. 16. Apostolus non obscure indicaverat, fieri posse ut frater peccet peccata ad mortem: Occurrit enim dubitationi, quæ oriri poterat in animis quorundam contra id, quod dixerat versibus duobus præcedentibus de certitudine & fiducia exauditionis; Quomodo videl. verum sit, fideles semper exaudiri, vel habere petitiones suas, quas à Deo petunt, cum videamus fideles sanctos sæpe orare pro fratribus peccantibus, sed frustra: Respondet Apostolus, Caussam ejus rei esse, quod fiat aliquando ut fratres sic peccent, ut Deo statutum sit eos morte punire, ac proinde eos, qui pro ipsis orant, non exaudire. Et sane, nisi dicamus fieri posse, ut frater, id est, regenitus, sive filius Dei, ex Deo natus, adeo degeneret, ut peccet peccato ad mortem, quid singulare in se habet nostra pro fratre precatio? qua venia aut vita habet opus frater noster, qui peccat? quæ venia à nobis impetratur fratri? quã vitam ei dat nostra precatio? quid donat ei Deus ad preces nostras? Nam non peccat, nec potest peccare ad mortem; id est, nunquam nec totaliter nec finaliter, ex mente Censoris, gratia divina & vita æterna excidit, aut excidere potest per ista peccata quæ facit. Dices, expresse tamen Apostolum *vers. 16.* loqui de peccato, quod non ad mortem est: Fateor, sed per peccatum non ad mortem, neutiquam intelligitur peccatum, quod amicitiam nostram cum Deo non dissolvit, nosque in statu iræ &

Refellitur expositio Censoris super loco 1 Ioa. 5 18. qua verbum peccandi exponit de peccato ad mortem.

Quid sit Apostolo peccatum non ad mortem.

condemnationis non ponit; Absit, Nam ex eo ipso, quod per preces nostras, fratri peccatum istud peccanti venia & vita à Deo impetratur, contrarium satis manifeste colligitur: Sed tantum vocatur *peccatum non ad mortem*, quia tale nondum est, super quo Deus sententiam mortis irrevocabilem tulit, aut quod morte punire vult sine misericordia, cujus remissionem peti non vult à nobis, aut quam, si petatur, frustra peti hic adfirmat Ioannes. Denique, nisi concedamus fieri posse, ut, qui semel regenitus est, peccet peccato ad mortem, & nihilominus interim concedamus fieri posse ut peccata & scelera pene omnia committat, quæ flagitiosissimi solent committere, janua certe lata aperitur sceleribus & flagitiis omnibus, quando vid. ea sine mortis periculo committi posse, & committi asseritur ab iis, quos ab iis oportebat omnium esse alienissimos. Quid vero certa & firma ista impunitatis persuasio possit, non est necesse ut multis ostendatur. Nullum calcar acrius ad incitandum ingenia nonnihil in peccatum prona, nullum pulvinar, cui suavius indormiunt, ubi peccatis & sceleribus omnibus sese efflictim proluerunt. Quare, rejicienda omnino est hæc Censoris parenthesis, ut jam alia non allegemus, quæ alibi à nobis fuse allegata sunt, & fusius hic à nobis deduci potuissent, si occasionem aliquam nobis dedisset Censor: sed, quia non nisi nuda textus verba allegavit, & pro authoritate tantum sua parenthesin istam inseruit sine ulla probatione, nos etiam à pluribus hic allegandis supersedebimus; si hoc tantum addamus, Sensum propositionis hujus Apostolicæ non esse, quasi fieri non possit, ut is, qui ex Deo natus est, id est, qui animum divinæ voluntatis cognitione & amore imbutum jam habet, peccet, id est, in eum statum relabatur, in quo peccatis operam det; sed tantum eam esse naturam & indolem eorum, qui divinæ voluntatis cognitione & amore imbuti sunt, ut à peccando alieni sint, ut grave sit ipsis peccare, ut peccatum oderint, fugiant & aversentur, ut diligentem sui ipsorum rationem habeant, & quæ sunt ejus generis alia. Phrasis hæc populis & scriptoribus omnibus usitata est; Quando enim subjectum qualitate aut habitu aliquo affectum prædicare volunt & extollere, ut qualitatis & habitus illius naturam & indolem exprimant, solent affirmare subjectum istud incapax contrariæ qualitatis esse. Ita cum virtuosum hominem describunt, solent affirmare eum fugere vitium, odisse malum, non facere, non ferre iniquitatem; & contra, cum vitiosum describunt, omnia contraria eum facere affirmant. Non quod negare velint, eum, qui virtutis aut vitii habitu

Impunitatis persuasio acre ad peccandum calcar est.

Sensus propositionis Apostolicæ, Qui ex Deo natus est, non potest peccare, plenius elucidatur.

habitu prædictus est, habitum illum exuere aut excutere posse; sed tantum quod naturam & indolem habitus illius exprimere velint. Unde, quam frivolum sit, quod Censor per præoccupationem subjicit, manifeste satis colligere est. *Si quis hic excipiat*, inquit, *Non vincitur à mundo quandiu fidelis est, item servat seipsum & malus ille non tangit eum, quandiu regenitus est, ille inepte excipiet; Quia perinde est ac si diceret, Quicquid natum est ex Deo vincit mundum, quandiu non vincitur à mundo*, &, *Qui ex Deo natus est servat seipsum & malus ille non tangit eum, quandiu seipsum servat, & malus ille illum non tangit.* Nam hæc nil nisi mera cavillatio est. Orationes istæ ejusmodi cavillis semper fere obnoxiæ sunt, nisi ex æquo & bono æstimentur, id est, nisi habeantur, pro meris descriptionibus, quibus natura & ingenium rei cujusque exprimitur. Ita sane, si quis orationes has, Mansuetus homo non irascitur, nec potest irasci; Sincerus homo non fingit nec simulat, imo non potest fingere aut simulare; Liberalis homo non agit sordide; ad vivum velit resecare apud eum, qui statueret ex eo non sequi, fieri non posse ut mansuetus homo desinat mansuetus esse, sincerus homo fiat simulator, & liberalis deveniat sordidus aut avarus, promtam habebit cavillationem istam, quam hic Censor facit. Si hoc fieri potest, tum sensus istarum orationum foret, Qui mansuetus est non irascitur quamdiu non irascitur, Qui sincerus est non fingit aut simulat quamdiu non fingit aut simulat, Qui liberalis est, non agit sordide quamdiu non agit sordide. Apagesis tam futiles & pueriles instantias, quæ sane in Doctoribus Academicis Sophisticum potius quam veritatis studiosum animum arguunt. Virtus est vitium fugere, inquit Poëta: Hinc concludere, Ergo. Qui virtute præditus est, non potest vitiosus fieri, quia fieret vitiosus non fugiendo vitium, At virtus est vitium fugere, Vitilitigatorum foret, & eorum, qui in rebus gravibus ineptias amant: Eadem hic ratio est. Si quis concludat, Qui ex Deo natus est, non peccat, Ergo non potest desinere natus esse ex Deo, quia desineret esse natus ex Deo, peccando, inepte concluderet. Sensus phraseos hujus, Qui ex Deo natus est alius nullus est, quam, is qualitatem illam in se habet, quæ peccato & injustitiæ contraria est, & cujus adjumento peccatum & mundum vincere potest, &, si modo animum adhibeat, actu vincit ac superat. Eo autem non significatur qualitatem istam talem esse ut remitti non possit, & sic paulatim magis magisque deficere, ita ut contraria qualitas in locum ejus succedat. Hoc enim diserte, fieri posse indicat Ezechiel cap. 18. & 33. Scriptor ad Heb.

Cavillus Censoris refunditur.

cap.6. & 10.Petrus 2.Epist.2. Ioa.in Apoc.2.& 3 per totum; sed tantum significatur istam esse naturam & indolem eorum, qui Dei filii sunt & vocantur, ac proinde eos, qui se tales profitentur, non ante, nec aliter, statuere de se posse ac debere, quod Dei filii revera sint, quam istam in se indolem experiantur & sentiant. Hic jam Lector mihi vide, quo jure hic superbus Magistellus & nuperus Doctor hæc loca Scripturæ evidentia vocet, quæ audacibus & erroneis assertionibus Remonstrantium (sic enim ferè cum typho loqui amat inflatus Censor) opposita voluit.

Post hæc censentur loca quædam Scripturæ, quæ vel ad marginem Declarationis adnotata, vel in textu citata fuerant à Remonstrantibus. *Ea*, inquit Censor, *nihil ad rem faciunt. Nam primò qui à vobis citantur*, inquit, *ad primum fidelium genus & eorum Apostasiam evincẽdam, quos novitios vocatis* ex Matth.13. & Luc.8. *evincunt quidem, esse aliquos, qui fidem profitentur, & à fide illa abducuntur, quod nos concedimus; sed quod illi, de quibus his locis agitur, attulerunt, una cum sincero adsensu, serium ac deliberatum obediendi voluntati divinæ propositum, sicut hic loquimini, hoc in nullo illorum locorum dicitur, sed à vobis fingitur; imo vero contrarium à Christo asseritur*, Matth.13.10. Luc.8.16. *locis à vobis citatis*. Quid non audent asserere superciliosi hi Magistri? *Nempe*, inquiunt, *Semen verbi ab illis dicitur quidem cum aliqua lætitia accipi, sed tamen in terra petrosa, id est, corde duro, cui Lucas opponit cor* καλὸν καὶ ἀγαθὸν, *honestũ & bonum*. Imo vero, Censor, in textu nec dicitur accipi semen cum *aliqua* lætitia: Vox *aliqua* tuum figmentum est. Nec, cum in terra petrosa dicitur accipi, in corde duro dicitur accipi. Et hoc tuũ figmentũ est. Nec dicitur à Luca cor καλὸν καὶ ἀγαθὸν opponi huic cordi, ut cordi duro, & neutiquam bono & honesto: Et hoc tuum εὕρημα est. Ex his vide audaciam & temeritatem tuam. Semen hoc dicitur accipi ita, ut credatur, & dicitur εὐθὺς, id est, promtè accipi, & dicitur cũ lætitiâ accipi, sive λαμβάνεσθαι, atque conservari usque ad tempus crucis, sic ut, si crux illud non excuteret, in corde permansurum fuisse indicetur. Dicitur autem in terra petrosa accipi, vel simile semini, quod in terra petrosa satum est, non idcirco quia sicut terra petrosa dura terra est, ita etiam cor eorum, qui sic crediderunt, durũ fuerit, cum semen istud reciperent: Repugnant enim hæc duo, *durum cor & credere*, imo recipere sermonem cum lætitia; sed tantum idcirco, quod sicut id, quod in terra petrosa satum est, etiamsi bonum & optimũ semen sit, & bene satum, imo & fructum laturũ esset,

Redarguitur Censorum interpretatio super locis Matt. 13. & Luc. 8. ubi de diversis seminibus agitur, & nominatim de semine, quod in terram petrosam cadit.

si ab æstu & à tempestatibus liberum maneret, tamen orto æstu Solis, aut tempestate aliqua magna, concidit & occidit; ita etiam fides hæc, licet recte & cum voluptate concepta sit, & aliquandiu duret, tamen, ubi afflictio aut persecutio oboritur, non consistit, non permanet: Similitudinem ulterius extendere est scopum ejus, qui ea usus est, non considerare, aut pro arbitrio disputare ex parabolâ, quod sophistarum est. Quando vero Lucas iis, qui ultimo loco credere dicuntur à Christo, & terræ bonæ comparantur, attribuit *cor bonum & honestum*, id non facit idcirco, quod cor eorum, qui secundo loco credere dicuntur, bonum & honestum non fuisse, quo tempore credebant, nedum durum fuisse indicare velit; sed tantum idcirco, quod cor καλὸν καὶ ἀγαθὸν coram Deo nullum censeatur, quod ad finem usque in fide non perseverat, etiamsi alioquin ad tempus sit optimum & honestissimum, in quo pene nihil desideratur, uti ex Ezech. 18. & 33. & aliis locis manifeste videre est. Et hoc apud hominem etiam obtinet. Nihil videtur actum, inquiunt Iureconsulti, si quid superest quod agatur. Hinc Basilius: τὸ γὰρ ὀλίγον γεγονὸς οὐ γέγονε, Quod fere fit non fit. Tertullianus; *Nemo Christianus nisi qui ad finem usque perseveraverit.* Hieronymus; *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis.* Augustinus de corrept. cap. 9. *Tunc vere sunt, quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur; hi autem perseverantiam non habent, id est, in eo, quod cæperunt esse, non manent; non vere appellantur, quod appellantur, & non sunt, apud eum enim hoc non sunt, cui notum est quia futuri sint.* Nota est distinctio boni verique in bonum & verum κατ' οὐσίαν, κατ' ἐπιμονὴν, & κατ' ἐπίτασιν ἢ ἀκρότητα. Non raro id quod verum bonumque est κατ' οὐσίαν, id est, quod habet omne id, quod ad essentiam veri bonique requiritur, tamen verum bonumque non esse dicitur κατ' ἐπιμονὴν, quia non est verum bonumque permanens, ac proinde non sufficiens ad consecutionem finis ultimi, ad quem dirigitur. Et hoc sensu ultimo credentium generi tribuitur cor bonum: isto sensu, cur secundo credentium generi cor bonum tribui non possit, nulla caussa est; dicere bonitatē, quæ κατ' ἐπιμονὴν dicitur, esse de essentia veræ fidei, est petere id, quod in principio, sive quæstione est, & quod Antiquitas tota ipseque adeo Augustinus & Prosper uno ore semper damnarunt, uti prolixe id in historia suâ Pelagiana probat Vossius, & ante illum alii, inter cæteros Richardus Thomson, in diatriba sua de amissione & intercisione gratiæ & justificationis cap. 2. *Reliqui loci,* inquit Censor, *qui notantur ex* 1. Cor. 3. Gal. 1. Apoc. 2. & 3. *agunt de non-*

Quid sit apud Lucam cor bonum & honestum.

Taxatur explicatio aut exceptio Censorum ad loca 1. Cor. 3. Gal. 1. Apocal. 2. & 3.

de nonnullis, qui se in fidei ac morum errores patiebantur abduci, de quo inter nos nulla est controversia. Quasi verò de iis tantum agant ista loca, qui incidunt in leviculos tantum errores & peccata, ut vocant, venialia, quæ *errores fidei ac morum* hic vocat Censor. Imò verò de iis agunt, qui errores tuentur cum fundamento fidei pugnantes, & per quos fit, ut transferamur in aliud Euangelium, ut Gal.1. disertè dicitur, & in peccatis hæreamus, quæ apertè inter opera carnis censentur, quæ nos excludunt ex regno cælorum, ut ad Gal. cap.5. dicitur, qualia sunt ζῆλος, ἔρεις καὶ διχοστασίαι, de quibus agitur 1.Cor.4.3. Apoc.2. & 3. proinde quæ faciunt ut Christianus, qui in iis hæret, qua talis, à fide defecisse censendus sit. At inquit Censor, *Spiritus S. eos ad saniorem mentem revocat, & minis ac promissionibus ad resipiscentiam invitat:* Imò verò inquam, idcircò quia Spiritus S. hoc facit, eos à sana mente defecisse, & à recta via deflexisse significat, quia per resipiscentiam in rectam viam ut reducantur, eos opus habere ostendit. Nam quid sana mente aut reductione in viam rectam opus habent ii, in quibus fidei substantia, & illud omne est ac manet, per quod æternum salvandi sunt? Quod addit, *illa non tantum esse media, per quæ improbi suæ contumaciæ convincuntur, sed instrumenta etiam, per quæ Spiritus S. in electis adhuc reliquus, & à carne penè oppressus, exsuscitatur, & homo ab erroribus illis & pravitate vitæ resipiscit;* plenum est absurditatibus: Nam ut jam de eo non dicam, quod pessimo sensu ea media esse dicit, per quæ improbi suæ contumaciæ convincuntur, de quo superius actum est, non semper sunt instrumenta, per quæ ii, ad quos ea diriguntur, actu revocantur in viam, & ad sanam mentem reducuntur, nec id factum esse dicunt textus, qui citantur, nec nisi ridiculè Spiritus S. in istis sic errantibus & male viventibus reliquus adhuc, & à carne pene oppressus à Censore dicitur. Quasi vero Spiritus S. id est, donum Spiritus S. quod Deus per potentiam irresistibilem hominis menti ac voluntati indidit, per quod eum salvare vult, & quod in eo per eandem potentiam conservare vult, non integrum maneat, aut à carne pene opprimatur? Sane, si id fit, aliter fieri non potest ex Censoris mente, quam quia Spiritus S. propriam potentiæ suæ operationem in istis electis suis, quos vocant, suspendere vult, & sic doni illius sui influxum imminuere. At vide tum, quam ridiculum sit, si Spiritus S. deinde minis ac promissis utatur, velut instrumentis, ad donum istud iterum exsuscitandum in homine, id est, ad operationem suam rursum continuandum, & influxum gratiæ suæ diffundendũ. Pudet tam ineptæ

Refellitur Cẽsor, cum promissiones & minas non media tantum sed & instrumenta esse dicit quibus Spiritus S. in ipsis reliquus & à carne fere oppressus exsuscitatur,

Theolo-

Theologiæ. Et tamen ei ſubjicit Cenſor, pro more ſuo, ſarcaſticam hanc προσφώνησιν, *Nempe hæc eſt conſolatio qua pias mentes afficitis, quod licet longo tempore in Chriſtum crediderint, atque ei ſincero cordis propoſito totâ hactenus vitâ & bonis ac ſanctis operibus ſerviverint, & porro ſervire ſint parati, tamen de perſeverantia ſua ac ſalute certi eſſe nondum poſſint, ac proinde dubitationem Pontificiam ac conſcientiarum carnificinam nobis eſſe revocandã; nempe, quia ſalutem fidelium non ex Dei electione promiſſione & fidelitate, ſed ex fragili filo veſtri liberi arbitrii ſuſpenditis.* Digna certe προσφώνησις, cui alia lege talionis majori jure reponatur: Nempe; hæc eſt illa conſolatio, qua diſcipulos veſtros palpatis Magiſtri noſtri, quod licet in hæreſes & errores fundamentales, ſuperſtitionem, idololatriam, blaſphemiam, Chriſti abnegationem prolabantur, adeoque in ſcelerum & flagitiorum omnium ſordibus ac cæno aliquandiu contra conſcientiam ſuam ſeſe inſtar porcorum ac canum volutent, nihilominus non tantum certi eſſe poſſint, ſed & perſuaſiſſimi eſſe debeant de perſeverantia ac ſalute ſua. Fundamentum enim ſalutis immotum ſtare in æternâ electione Dei, ita ut mille peccata, imo omnia peccata totius mundi, quin omnes diaboli, qui ſunt in inferno, electionem Dei irritam facere nequeant. Hæc eſt illa panoplia, qua armatis eos, contra infidelitatem ſcil. ac pontificiam dubitationem, & conſcientiarum carnificinam reprimitis, qua liberi arbitrii jugum excutitis, ut ſecurè in peccatis ſuis dormiant, & in cælum ſuum deſcendant. Remonſtrantes quod attinet, abſit ut ii Pontificiam dubitationem aut carnificinam conſcientiarum revocent. Pontificii ſtatuunt hæc tria. I. Neminem fidelem certum eſſe debere de ſalute ſua. II. Neminem de ea certum eſſe poſſe. III. Etiamſi quis certus eſſe poſſet, utile tamen non eſſe ut certus de ea ſit aut reddatur. Nihil horum ſtatuunt Remonſtrantes, imo contraria omnia aperte ſtatuunt: De certitudine perſeverantiæ quid ſtatuant, ex præcedentibus liquet. Credunt fidelem certum eſſe poſſe, adeoque certum eſſe debere, Deum nunquam ei defuturum ut perſeverare poſſit & perſeveret ad finem uſque, etiam in graviſſimis tentationibus. At non credunt eum certum eſſe, nedum certum eſſe debere, ex ulla ſive promiſſione, ſive actione Dei præcedanea, futurum ut in fide ſua perſeveret quocunque tandem modo ſe gerat, aut ut ſemper ad finem uſque ſe digne vocatione ſua gerat. Et hac in re conſentientem ſibi habent univerſam Antiquitatem, cui Auguſtinus & Proſper, licet alioquin Prædeſtinationis abſolutæ, ut Cenſoribus etiã videtur, patroni acerrimi, ſubſcripſerunt, quos omnes dubi-

Sarcaſmus Cenſoris refellitur.

Pontificiorum ſententia de ſalutis incertitudine, quam longe diverſa ſit à ſententia Remonſtrantium.

tationem Pontificiam & conſcientiarum carnificinam adſeruiſſe ut Cenſor dicat neceſſe eſt. *At contra illud* (inquit Cenſor,) *expreſſe docet Chriſtus Matth. 13. & Luc. 8. locis jam ante expoſitis, ubi fidem illam, quæ ad tempus tantum durat, expreſſe diſtinguit ſubjectis, id eſt, cordis qualitate, item fidei radice & fructu à vera illa & ſalvifica fide, quæ firmam radicem habet, & fructum ſuum profert cum conſtantia, ac proinde* πρόσκαιρος *ſeu temporaria non eſt.* Imo vero hoc falſum eſſe jam ante oſtenſum eſt. Nam Chriſtus in locis iſtis citatis non diſtinguit fidem ſubjectis, quaſi vid. primi iſti, de quibus aſſeruit quod credant ad tempus, vera fide prædi-ti non ſint, aut præditi eſſe non poſſint, vel quaſi fides eorum ſpecie diverſa ſit à fide illa, quæ poſtremis tribuitur, perinde ſc. ac ſi fides illa, quæ radicem habet & ad finem uſque perſeverat, ejuſmodi fides ſit, cujus priora ſubjecta incapacia ſint: Nihil minus: Sed tantum varia vere credentium genera proponit, inter quæ eos tantum ſalutariter credere, ſive fidem illam habere aſſerit, quæ ad ſalutem æternam prodeſſe poteſt, qui conſtanter ad finem uſque in fide perſeverant, & fructum ferunt cum patientia, id eſt, patiendo ad mortem uſque. Aliud autem eſt aſſerere fidem aliquam non eſſe fidem, quæ durat; aliud fidem non eſſe fidem, quæ durare non poteſt. Nec dicitur in textu, fidem *eorum qui ſermonem recipiunt, &* quidem *cum lætitia*; eſſe temporariam ſive πρόσκαιρον, quaſi natura ſua talis ſit, ut non poſſit durare niſi ad tempus, ſed illi tantum, qui fidem iſtam habent, quæ non durat, πρόσκαιροι dicuntur, quia vid. fidem iſtam veram, quam habent, quæ durare in ipſis & poterat & debebat, non minus in afflictionibus quam ſine afflictionibus, non retinent, unde *ad tempus credere* dicuntur à Luca, cap. 8. Et ratio manifeſta eſt; quia herba illa, cui aſſimilatur ejuſmodi credentium fides, vera & proprie dicta herba eſt, quæ apta nata eſt fructum ferre, & fructum etiam latura eſſet, niſi magno æſtu aliquo adureretur. *Radicem* autem cum *non habere* dicitur, eo ipſo non negatur quod radicem nullam habeat; quomodo enim alioquin oriri & creſcere potuiſſet? ſed eo tantummodo indicatur, quod radicem non habeat ſatis profundam, atque idcirco contra Solis æſtum non conſiſtat: Eadem autem ratio eſſe dicitur eorum, qui ad tempus credunt. Animum habent verâ fide imbutum, & qui ſe ad Euangelii præcepta componit, dum omnia ex animi ſententia fluunt, imo ad perſecutiones uſque in obedientiâ mandatorum Euangelii perſeverat, ſed qui debilitatur ac frangitur vi atque æſtu perſecutionum, quia contra eas non ſatis ſolide obfirmatus eſt;

Oſtenditur falſum eſſe quod Fides, quæ ad tempus durat, à fide vera diſtinguatur ſubjectis Mat. 13. & Luc. 8.

non quod fides ista ad ea eum obfirmandum non suffecerit, sed quod ipse ea fide, ad obfirmandum se contra persecutiones, in ipsis persecutionibus usus non fuerit. Nisi hoc dicatur, tum necesse est ut statuat Censor durationem fidei in adversis de essentia fidei esse, ac proinde neminem de fide sua certum esse posse, antequam adversa tulerit, & in adversis perseveraverit, quod tam alienum est à sententia Censoris, ut contra statuat, fidem ipsam veram salvam manere posse, ac non raro manere in iis, qui à professione fidei suæ adversis fracti deficiunt, & Christum ac religionem ejus abnegant, uti in Syllabo testimoniorum, quæ ad V. articulum in Actis & Scriptis suis Synodalibus citarunt Remonstrantes ex multorum Contra-Remonstrantium scriptis demonstratum est.

Neque vero locus Ezechielis 18. (inquit Censor) *adversus hanc perseverantiam adferri potest, in quo Deus per prophetam minatur, Si aversus fuerit justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem &c. Quod omnes justitiæ ejus, quas fecit, non commemorabuntur,* &c. Quoties inter alios complures hunc imprimis clarum atque illustrem locum considero, toties ab animo meo impetrare non possum, quin credam adversarios nostros vim pene sibi ipsis facere, ut sibi persuadeant eum sententiæ suæ non officere, adeoque per eum sententiam suam non everti funditus. Soli tenebras offundere velle videtur, qui eum à Remonstrantium sententia detorquere conatur. Mirum vero etiam merito alicui videatur, cur Censor hic eum tanquam inanimadversum non maluerit præterire, quam adeo leviter & perfunctorie ad eum respondere. Nos, quia locus hic solidissime contra exceptiones omnes Contra-Remonstrantium adsertus est in Actis & Scriptis Synodalibus Remonstrantiũ de eo hic prolixe non agemus, sed sequemur Censorem, & vestigia ejus prememus obiter. *In eo*, inquit, *non asseritur absolute quod vere justus aliquando deficiat:* Esto: Non enim jam id examinare hujus loci est. Satis manifeste indicatur fieri posse ut justus deficiat, & quod sic hypothetice asseritur, ut ei superstruatur seria communefactio, id absolute asseri credendum est. *Sed quid de eo futurum sit, si deficiat.* Nempe, quid futurum sit, si id fiat, quod fieri non potest, vel quod nunquam futurum est, quod Deus ipse futurum nunquam esse, imo impossibile esse ut fiat (Sic enim exponit Censor phrasin istam, *Si possibile est, seducerentur electi*) affirmat, quodque ii, qui monentur ex ista divina affirmatione (si verum est quod Censor ait) certo sciunt, adeoque scire ac credere tenentur futurum nunquam esse, ne electio divina semel ab æterno facta, irrita fiat: perinde ac si

Locus Ezech. 18. vindicatur ab ineptis exceptionibus Censoris.

ac si dicam: Si tu irritam feceris electionem divinam, tum morte morieris: Si ad staturam tuam ulnam addideris, tum beatus eris. *At*, inquit Censor, *per istam comminationem eos, qui in justitiæ stadio decurrunt, cautos reddere vult, & à defectione absterrere.* Nempe ut caveant sibi à defectione, quam fieri impossibile est, & quæ ut fiat impossibile esse sciunt, aut saltem quam scire ac credere debent eventuram nunquam esse. II. Comminatio illa argumentum erit, quo movebit eos Deus, & quo ii movebuntur ne deficiant: Nempe, pœnam minabitur Deus, quam infligere nunquam vult, adeoque infligere nunquam potest, & pœnam apprehendent electi, quam sciunt ac credunt se incurrere non posse, aut Deum infligere nolle. Quis sanus hæc intelligit? ubi comminatio pœnæ ut argumentum & ratio movens adhibetur, ibi pœna ut possibilis, adeoque certo incurrenda apprehendi debet: At pœnam istam sic apprehendere justi sive electi nec possunt, nec debent, ex mente Censoris, quia alioquin de electione sui, & de Dei fidelitate dubitarent. Et quando eam apprehenderent? Posito enim quod comminationem hanc divinam flocci faciant hodie, cras, & usque ad ultimum vitæ momentum; Quid periculi? Saltem tum ne electio eorum irrita fiat, convertendos se esse sciunt, &, etiamsi non convertantur, se tamen cum ista fide, qua semel à Deo donati sunt, perire non posse, persuasi sunt. Dices Deum non permittere ut ejusmodi cogitationes suis obrepant. Nempe, stolidos eos & fatuos reddi dicendum est, ut convertantur. Cur non sinat Deus eos credere id quod certum est, quodque eos alioquin omni tempore credere ac pro certissimo habere vult. Utinam vero etiam cogitationes hujusmodi compluribus non obreperent ex doctrinæ istius genio, quæ eos in æternum exitium præcipites trahunt! Fieri vix potest, quin obrepant, ubi peccandi occasiones occurrunt, & in peccata proniores sunt animi. Si id non fiat, ex alia caussa id oriri credendum est. Ubi salvandi intentio absoluta & irrevocabilis præcedit, & firma fide apprehendi ac credi jubetur; ibi comminatio pœnæ ut histrionica potius quam seria actio locum habet. Comminationis enim finis aut effectus est, metum incutere: At metus rei, quæ evenire non poteſt, imo cujus contrarium certo certius futurum est, & futurum esse creditur, inanis & frustraneus est metus: Exemplum, quod ex Act. 27. vers. 31. Censor in contrarium citat, quam sit ineptum & alienum in Scriptis & Actis Synodalibus Remonstr. ostensum est. Hic addimus: Posito quod Paulus, ut fieri aliquando solet in magna consternatione aut præsenti periculo, com-

Locus Actor. 27. à Censore in contrarium citatus, breviter elucidatur.

minatione ista usus fuisset eo, quo Censor sensu arbitratur, ad revocandum nautas, aut ad persuadendum vectoribus ut nautas in navi detinerent, quid hoc faceret ad evertendum, aut eodem loco habendum pene infinita Scripturæ loca, quæ serias & accuratas, ac nihil minus quam ex consternatione profectas admonitiones severissimis comminationibus nixas continent? Veruntamen nec ratio nec caussa ulla est, cur credamus Paulum isto sensu comminatione ista usum esse. Contrarium potius evincitur ex ipsa comminatione; vel Promissionem divinam, quæ Paulo facta fuerat, quod nemo eorum, qui navi vehebantur, periturus esset, etiamsi verbis absoluta esset, sensu tamen hypotheticam fuisse, cujusmodi promissiones complures leguntur 1.Sam.2.30. & cap.13. 14. Numer.14.29.30. Nam alioquin comminatio Apostoli falsa fuisset, & divinæ promissioni contraria; vel promissionem, quæ facta fuerat de salute omnium, qui in navi erant, sic factam fuisse necesse est, ut servatio ad arbitrium & consilium Pauli fieret, ac proinde Paulum jure suo dicere potuisse, *Nisi isti in navi manserint, vos non potestis servari.* Nempe, volebat Deus ut constaret omnibus verum esse quod Deus Paulo animas omnes donasset, quod constare non potuisset, si nautæ suopte Marte beneficio scaphæ periculum mortis evasissent. Vel deniq;, promissionem, quæ à Deo Paulo facta fuerat, continuisse quod evasuri omnes essent mortem post naufragium, vel navi fracta; proinde Apostolum dicere potuisse, promissioni locum non futurum, nisi prius omnes naufragium facerent, adeoque contrarium quam quod Promissio in gratiam Pauli facta continebat, eventurum esse. Sic enim dixerat, *Iactura nulla erit cujusquam ex vobis, sed tantum navis*, cap.27.vers.22. Quomodocunque accipiatur, ex comminatione Pauli subsecuta non obscure colligitur, sensum promissionis divinæ, qua condonaverat omnes istas animas Paulo, non fuisse eum quem Censor existimat, nec verũ esse quod addit, Paulum certum etiam fuisse de eo, quod Deus per Naturam ministerium omnes salvare vellet. Contrarinm potius verum est, Deum per nauturam ministerium neminem salvare voluisse. Et sane, nemo per eorum ministerium salvatus legitur. Tum, si id omnino propositum Deo fuisset, tum sane promissio divina absoluta non fuisset, sed cum hypothesi intelligenda, si nautæ isti se ipsi non subducant, & ministerium non detrectent, suæ propriæ vitæ liberandæ studio ac cura occupati. Atque ex his facile intelligere est, quam dilutis coloribus utatur Censor, ut locis directe sententiam suam evertentibus speciem

aliquam det, & quam quæsitis atque elaboratis distinctionibus eam conetur palliare ac tegere.

AD CENSURAM CAPITIS XIX.

Vbi agitur de promissis divinis ad futuram vitam pertinentibus, sive de Mortuorum resuscitatione & vita æterna.

IN *hujus capitis explicatione*, ait Censor, *Remonstrantes diligenter sibi cavent, ne Socinianorum erroribus nimium præjudicent. Quorsum enim alias, in explicatione articuli de Resurrectione carnis & vita æterna studiose omittunt, quæ in Catechesi nostra ad hos articulos expresse traduntur, de beata animarum in cælis post hanc vitam immortalitate.* Censuræ hujus capitis omnes admodum sunt febriculosæ. Nauseat qui eas vel introspicit. Socinianismi vestigia in eo quæruntur, & ecce primum quod subtilis Censor olefacit: *Omittitur*, inquit, *in explicatione articuli de Resurrectione carnis, id quod Catechesis expreße tradit de beata animarum in cælis post hanc vitam immortalitate:* Quæ caussa? *Ne Socinianorum erroribus præjudicent.* Atqui Censor nec de beata animarum in cælis post hanc vitam immortalitate agit Catechesis vestra, nedum ut de ea expresse aliquid tradat, uti tu loqueris. Verba Catecheseos generalia sunt: *Animam meam è vestigio, ubi ex corpore exierit, ad Christum caput suum aßumi.* Iis subscribunt, imo eadem dicunt Sociniani, cum dicunt, animas fidelium ad Deũ redire, cum Christo esse, &c. Sed esto; expresse id tradiderit Catechesis vestra, ejus instar ut in declaratione sua sequerentur Remonstrantes necesse non erat. Istud vobis relinquunt, qui ex ea sola pene sapitis, & pueros jam triennes ex eadem, tanquam perfectos Theologos, sapere docetis. II. Et caussa erat ut istud non sequerentur. Inepte enim sub articulo de resurrectione carnis, de quo Symbolum agit, comprehenditur status animæ ante resurrectionem carnis. III. De statu animæ post mortem variasse videbant olim hodieque variare judicia maximorum Theologorum. Passiva receptaque veterum Patrum omnium, ad nostrum usque sæculum, sententia fuit, Animas fidelium

Putidæ Censoris cavillationes deteguntur, ut Declarationem Socinianam faciat.

Sententia veterum de statu animarum post mortem.

V. Test.

V. Test. non prius in Paradisum fuisse receptas, quam eum morte sua reserasset Christus, primusque illum cum Latrone esset ingressus, uti ait & clare probat Gerardus Vossius in disput. sua de statu animæ separatæ. Qui ante annum Christi quadringentesimum vixerunt Patres, ii omnes judicarunt animas fidelium, postquam Christus Paradisum aperuisset, statim ab excessu recipi in Paradisum. Sed per Paradisum non idem omnes intelligebant. Alii cælum intelligebant, alii ᾅδην seu inferos, per quos non locum tormentorum sed unam ac communem aliquam custodiam intelligebant, quam omnes extra cælum beatorum collocabant, alii vero infra, alii intra terram, alii extra mundum, alii etiam ignotam hominibus putabant. Hinc Lactantius lib. 7. cap. 21. *Nec tamen quisquam putet animas post mortem protinus judicari; Omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen.* Vide hac de re Molinæum Lib. 7. respons. ad Cardinalem Perronium cap. 20. ubi prolixe probat, Patres plerosque & pene omnes Græcos sensisse antiquitus: Animas sanctorum non frui visione Dei, nec mitti in possessionem gloriæ ante diem resurrectionis. Et huic sententiæ Calvinum favisse, non obscure colligere est ex *Psychopannychiâ* ejus, & libris Institutionum. Quocirca mirum merito videri debet, quomodo Censor affirmare non dubitet, *caussam nullam aliam se videre, cur silentio hanc rem præterierint Remonstrantes, nisi quod Socinianorum, qui inter eos latent, caussam condemnare non velint.* Nam I. eo ipso, quod silentio hoc præterierunt, ostendunt se ne quidem audere tantum affirmare, quantum de ea re statuerunt Patres plerique omnes, vid. quod animæ separatæ statim in cælis beatitudine ista non fruantur. II. Ne Sociniani quidem ipsi negant animas statim atque ex corpore excesserunt, in cælos recipi, aut, ut Catechesis vestra loquitur, satis, ut diximus, generaliter, è vestigio ad Christum caput suum assumi, nedum ut affirment eas aut interire; hoc enim diserte falso sibi affingi queruntur, uti in disputatione 7. de extremo judicio pag. 409. Valentini Smalcii contra Frantzium legere est: *Falso nobis*, inquit, *affingi querimur à Frantzio, quod credamus hominem mori quoad animam, & quoad corpus: Credimus enim cum Scriptura, pulverem reverti ad terram, unde sumtus est, Spiritum autem redire ad Deum, qui dedit illum:* aut cum corporibus dormire. Etsi enim videntur statuere animam à corpore separatam voluptate nulla extrinsecus frui, tamen incertum est an negent animam intra se vitales operationes habere, iisque frui, sic ut non dormiat.

Lactantius.

P. Molinæus.

Non-

Nonnulli eorum id videntur aperte satis affirmare. II. Calvinus ipse, quem tantum non adorant pene in omnibus hi Magistri, nihil de eo definit; *imo curiose inquirere, quis sit status animarum inter mortem & extremum judicium, nec decorum nec utile esse* ait, adeoque *stultum & temerarium*. Lib. Instit. 3. cap. 25. sect. 6. & lib. 4. cap. 1. sect. 12. in eandem sententiam ait, *Quæ enim ob hoc unum Ecclesiæ dissideant, si altera citra contentionis libidinem, citra pervicaciam asserendi animas è corporibus demigrantes in cælum convolare putet, altera nihil ausit definire de loco, cæterum vivere tamen domino certo statuat?* I nunc Censor & Socinianum etiam Calvinum dicito, & bilem tuam in eum effunde, qui tibi insuper contentionis libidinem & pervicaciam adserendi adeoque stultitiam & temeritatem tribuet, quod non contentus silentio Remonstrantium, eos cum Catechesi tua loqui & tecum sentire jubeas, & de quibus ille ne quidem affirmare audet quod errent, eos tu non errare tantum, sed perniciosum errorem errare contendas: Sic enim subjicis. *Et vero, si diligenter ad verba eorum, quæ hoc secundo paragrapho proponuntur, attendamus, ea haud obscure huic pernicioso errori patrocinari deprehendentur. Quid enim sibi volunt*, inquit, *hæc verba; Tunc enim (nempe ultimo die) fideles & sanctos, qui quidem mortui fuerunt ex pulvere terræ in vitam æternam & beatam suscitaturus est, eosque solos glorioso & incorruptibili corpore donaturus est.* Intende hic aciem mentis, Lector, & vide quid in verbis istis innoxiis sit, quod errori alicui pernicioso patrocinatur. Poteratne malignitas suspicionis & calumniæ virulentia se fœdius prodere? Sunt pene ipsissima verba Scripturæ. Quid enim? An non Daniel cap. 12. 2. (quem locum de resurrectione carnis interpretandum esse fatetur, & multis contendit Rivetus, Censorum horum unus, in disputatione sua de resurrectione carnis) sic loquitur: *Multi de iis, qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in ignominiam sempiternam*; & Hiob cap. 19. 25. quem locum idem Rivetus, in eadem disput. eodem pertinere contendit, cum ait, *Scio quod Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum*; & Servator ipse Ioan. vers. 28. & 6 39. 40. 44. 54. cum dicit, *Deum suscitaturum mortuos, eosque prodituros è monumentis*; & Paulus cum dicit, *Deum dare semini cuique corpus, uti vult.* 1. Cor. 15. Quare Censor ex sanctis istis exquirat, quid per mortuos intelligant, an corpora eorum, an aliud quid? Nec enim suspicari audeo Censorem hic Remonstrantes in suspicionem vocare velle, quasi credant animas cum corporibus in pulverem redigi, & ex pulvere isto iterum in vitam suscitatum iri

Quæstio de statu animarũ inter mortem & judicium extremum, nec decora, nec utilis adeoque stulta & temeraria est, Calvino judice.

Quæ hic carpit in Declaratione Censor ea pene ipsissima S. Scripturæ verba esse ostenditur.

ultimo die. Sane, si id Censor propositum fuit, virus animi sui detexit nimium turpiter. Quod attinet Quæstionem, *An eadem corpora sanctorum intelligantur à Remonstrantibus, an alia corpora à Deo creanda*, eam cum Calvino inter curiosas potius quęstiones quam inter utiles ponendam esse censent. Vide Epist. Calvini 103. quam Lælio Socino inscripsit. Rationes pro utraque parte probabiles sunt. Nec fieri potest ut solide lis hæc decidatur, quamdiu certo non constat, An hoc corpus pars essentialis hominis, an vero instrumentum tantum sit animæ humanæ, quatenus in hac vita ejus ministerio indiget, ad se in eo sustentandum, & quod in futurâ vita plane necessarium non erit. Litem hanc decidet aliquando Deus in futuro sæculo, ubi tum demum intelligemus & sentiemus, eodem an novo corpore nos donaverit Omnipotens. Faxit ille, ut digni aliquando habeamur isto sæculo, in quo ejus rei experimentum capient sancti & fideles.

Quæstio de corporum post resurrectionẽ numerica idẽtitate inter curiosas à Calvino censetur.

Secunda sectione censetur quod Remonstrantes phrasi ista utantur, quod *Christus de tribunali Patris sui vivos & mortuos sit judicaturus. Ea non est Scripturæ phrasis, sed Sociniana*, inquit Censor, Itane? An non expresse Christus ipse Apoc. 3.21. *Thronum suum* appellat *thronum Patris sui? Qui vicerit, dabo ei ut sedeat mecum in throno meo, ut ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus*. Tum quid refert tribunal Christi, an tribunal Patris dicatur? Christi enim Mediatoris tribunal, non est Christi, nisi quia id ei à Patre traditum est, proinde quod non ad gloriam Christi imminuendam, sed ad eam extollendam Patris Christi tribunal merito vocatur. *Nam Christus ipse non sumsit sibi hunc honorem, sed eum accepit à Patre*, ut est Hebr. 5.5. *Pater enim dedit Iesu Christo potestatem judicandi*, ut est Ioan. 5. *quatenus filius hominis est*, unde & *venturus filius hominis* dicitur, *cum gloria Patris sui, quando reddet unicuique secundum facta ipsius*, Matth. 16.27. Marc. 8.38. quod Lucas enunciat, cap. 9.26. *in gloria sua & Patris*. Hinc tribunal, quod Christi vocatur Rom. 14.10. eodem in loco Patris tribunal esse arguitur, uti ex citatione loci ex Esaia vers. 11. manifestum est, & ex eo, quod statim subjicitur, *unumquemque nostrum de seipso rationem redditurum Deo*. Quare, quod Censor subjicit, Remonstrantes in confessione sua id fere agere, ut Christi divinæ Majestati ac gloriæ occulte detrahant, calumnia est, quæ colorem non habet. Christi Mediatoris gloriæ ac Majestati nihil detrahunt, qui eam Patri acceptam ferendam esse ubique urgent, & Christo eam datam esse dicunt ad gloriam Patris. Id Christus, in

Tribunal Christi, tribunal Patris est.

terris versans, ipse semper egit, & Apostoli, postquam Christus in cælum fuit sublatus, idem unanimiter urserunt. Quare, contrarium potius observare licet in Censoribus his, quod sic ubique Christi, quatenus Mediator & θεάνθρωπος est, gloriam efferant, ut Patris prærogativæ, Majestati, & gloriosæ donationi, qua Christo Mediatori omnia in manum dedit, eique omnino, se solo excepto, subjecit, tantum non aperte detrahant, uti alibi eos Christi merito & satisfactioni, per absolutam suam Prædestinationem, non obscure detrahere, ostensum est.

Adsignatio præmiorum & pœnarum pro qualitate & quantitate operum, quam carpit Censor defenditur ex Scriptura & ratione.

Posthæc carpuntur hæc declarationis verba: *Christum iis omnibus, pro qualitate ac quantitate operum suorum, quæ in corpore suo gesserunt, sive bonorum, sive malorum, præmia justa pœnasque condignas assignaturum. Hæc verba*, inquit, *in rectum sensum accipi possunt, tamen Scriptura sic non solet loqui.* Atqui, Censor, idcirco tamen ea in rectum sensum accipi posse dicis, quia Scriptura sic loquitur; Citas enim illa verba, *Qui enim parce seminavit, etiam parce metet*, & *dabitur nobis justitiæ corona in die illo.* Hæc non conveniunt. Tum, quid aliud sibi vult Scriptura, cum dicit *Deum unicuique redditurum secundum opera sua?* Bene, & quidem constanter agentibus, vitam æternam, cæteris iram, indignationem &c. Rom. 2. 6.7.8.9.10. Matth. 16.27. Rom. 14. 12. 1.Corinth. 3.8. Gal. 6.5. Apocal. 2. 23. & 10.12. &, *unumquemque reportaturum quod in corpore fecerit, congruenter ad id quod fecerit* (sic enim interpretatur Beza phrasin græcam πρὸς ὃ ἔπραξεν) *sive bonum sive malum.* Unde etiam quantitatis & qualitatis operum qua bonorum, qua malorum, rationem habitum iri non obscure colligitur. Et Scriptura id alibi non uno in loco significat. Ac bonorum quidem operum quantitas in censum veniet, juxta id quod Apostolus 2.Corinth. 9.6. ait: *Qui benigne seminavit, etiam benigne metet:* Matth. 19.28. *Amen dico vobis, vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ, vos etiam, inquam, sedebitis in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Israel;* Eodem pertinet, quod dicitur Apoc. 20.4.5.6. Malorum operum quantitas similiter, juxta id, quod ex opposito dicit Apostolus citato loco 2.Cor. 19.6. *Qui parce serit, parce etiam metet:* & Luc. 12.47. *Servus, qui novit voluntatem Domini, & non facit, plagis pluribus vapulabit?* & quod Matth. 11. vers. 22. dicitur, ubi de extremi judicii agi Censor concedit: *Quin etiam dico vobis, Tyri & Sidonis conditio tolerabilior erit in die judicii, quam vestra, ô Corazin & Bethzaida;* & vers. 25. *Terræ Sodomorum conditio erit tolerabilior in die judicii, quam tua, ô Capernaum;*

ut alia

ut alia jam non allegemus. Ratio etiam ipsa id postulare videtur. Nam præmiorum ratione, ut ii gradus, quos Deus in Ecclesia militante hic esse voluit, in Ecclesia triumphante etiam locum habeant, æquissimum omnino est. Pœnarum ratione, ut qui gravius peccarunt, gravius etiam puniantur, nec crudelissimorum Tyrannorum par & æqualis sit ratio, quæ est aliorum, qui peccatores quidem fuerunt, sed injuriam nemini fecerunt, aut non nisi levem, saltem non eam, quæ cum Tyrannorum sceleribus sit comparanda. Unde etiam colligitur, præmiorum & pœnarum assignationem ex justitia distributiva futuram esse, non rigida illa, sed quæ cum moderatione stricti juris conjuncta erit. Atque hoc adeo clarum est, ut Apostolus ipse id, tum præmiorum, tum pœnarum ratione, futurum esse in terminis affirmaverit 2.Thess.1.6. *Si quidem justum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui vos affligunt, afflictionem, vobis vero, qui premimini, relaxationē, quum patefiet Dominus Iesus de cælo, cum angelis potentiæ suæ,* &c. Quæ contra hæc allegat Censor, ea adeo sunt aliena, ut quid sibi velit intelligi non possit. Eo videntur spectare, ut concludat præmiorum & pœnarum æqualitatem futuram post hanc vitam, quamquam id ex professo non audet asserere. Quod perabsurdum sane placitum ex doctrina ejus de prædestinatione sequitur pene necessario. Nam si electio horum, reprobatio illorum, absoluta voluntate Dei facta est, absque ullo respectu ad bona aut mala eorum opera, & bonum omne, quod in electis est, sola Dei irresistibili gratia in illis efficitur, malum vero, quod in reprobis est, à solo gratiæ illius defectu est; nulla sane ratio dari potest cur præmiorum & pœnarum diversitas aut inæqualitas, ratione operum bonorum aut malorum, statuatur futura post hanc vitam; cur justum sit apud Deum reddere afflictionē iis, qui nos affligunt, &c. imo ratio recta non patitur, ut ulla præmiorum aut pœnarum distributio locum habeat. En quam tetra & fœda placita scateant ex impuro isto & sordido fonte.

Æqualitas præmiorum & pœnarum in futura vita Censori videtur probari, & ex sententia ejus de prædestinatione necessario sequi.

Quæ paragrapho tertio subjiciuntur, de ultimo nostræ redemtionis complemento, nempe glorificatione, ea valde sunt jejuna & macra, inquit Censor, *cum S. Scriptura passim de vita æterna gloria & gaudio illustriora multa suppeditet, sed malunt generalibus tantum verbis insistere; ne errores scilicet, qui occulte ab iis foventur, in lucem erumpant.* Quem non pudeat tam malignæ Censuræ? Quid? an Remonstrantes etiam in suspicionem vocabis, ô impudens & superbe Censor, quasi de vitæ æternæ gloria & gaudio non cupiant optima & illustrissima quæque

Maligna Censura quæ refellitur.

 concipi,

concipi, dici, & asseri? Quis id de capitalissimo hoste suo suspicetur, vel si stultissimum eum putet? Non sunt adeo injurii in seipsos, ut non excellentissima quæque sibi conferri velint in futuro isto beatitudinis ultimæ sæculo. Concipe, enuncia, extolle quicquid potes, Censor, quod ad gloriam & gaudium ævi istius pertinere posse putabis, volentibus, & lubentibus illis facies: Sed quicquid conceperis, quicquid dixeris, id longe infra magnitudinem gloriæ & gaudii illius erit. Macrum, imo macies ipsa erit, & tandem, velis, nolis, devenies ad ultimas illas Remonstrantium voces, *Gloria & gaudio ineffabili perpetuo fruentur sancti.* Istis optime & nervosissime expresseris præmii futuri magnitudinem; & hoc cum dixerunt Remonstrantes, nihil ultra à se dici posse crediderunt.

Ultimo loco, *Mirandum* esse, dicit Censor, *quod in hac tanta eorum cautione* (quæ cautio, incaute Censor?) *universalem totius mundi corruptionem & totalem perditionem hic audeant constituere, contra communem plerorumque Theologorum consensum.* Quasi vero crimen sit hoc audere, aut id ita audeant Remonstrantes, ut secus sentientes damnent; aut primi id audeant inter reformatos. Fatentur utique Veteres pene omnes aliter sensisse, uti videre est apud Eusebium lib. 15. præparat. Euangelicæ. Sed nec desunt inter Scholasticos & Theologos Reformatos neotericos, qui se ab iis dissentire jam pridem palam professi sunt: quod agnoscere videtur Censor, quando ait, sententiam de totali mundi perditione, *repugnare communi*, non omnium sed *plerorumque Theologorum consensui.* Videatur testimonium luculentum, quod ex *Iohanne Chassanione* Theologo Gallo citat *Gerardus Vossius* in disputat. sua de fine mundi. Gemina isti habent Lutherani pene omnes. Ita *Wolfgangus Frantzius* in disput. suis contra Pontificios, Calvinianos, Socinianos, disputat. 7. de *Iudicio extremo* sect. 6. *An & quomodo mundus sit interiturus*; post recitatas utriusque partis sententias & rationes, concludit tandem Thes. 37. *Verisimilior igitur est illorum sententia, qui statuunt finem mundi futurum in adventu Filii Dei talem, quod nimirum Filius Dei totum mundum, quoad substantiam, igneâ flammâ resolvet & perdet, ita ut non amplius sint stellæ, Sol & Luna in cælo, elementa non amplius appareant, & quod in illo transitu mortui omnes revocabuntur in vitam. Eo enim etiam respexit Iobus*, cap. 14. 12. *quod homo non resurget, donec non fuerint cæli.* Cur idem Remonstrantibus non licuerit? An idcirco meruerunt tam acre convitium, quale his iis impingit Censor, *quod nullum Theologorum consensum curent, modo ne ipsi à suis præconceptis hypothesibus minimum recedere cogantur.*

Sententia de totali sive substantiali mundi interitu, nec nova est nec inter dogmata necessaria censenda.

cogantur. Mactentur itaque eodem convitio, quotquot hac in parte præeuntes sibi habent Remonstrantes. Sed & cur mactentur? Argumenta certe, quæ pro substantiali mundi interitu militant, & Scripturæ loca, quæ ei fini serviunt, tam sunt multa & evidentia: quæ vero pro accidentali interitu adhibentur, tam levia & pauca, ut mirum videatur Remonstrantes cur non pro ista potius parte universalis consensus, quam pro hac steterit. Si cui aliter videtur, ille fruatur judicio suo. Locus sane desumtus ex 8. cap. vers. 19. ad Rom. cui sententiam suam hic superstruit Censor, & ad quem cæteros Scripturæ locos, qui de mundi interitu agunt, exigi vult, plane impertinens est. Nam I. non desunt inter eos, qui locum hunc de Veteri creatura accipiunt, qui substantialem nihilominus mundi interitum propugnant, quippe qui tantum hic agi dicunt de liberatione creaturæ à turpi illo abusu, cui nunc, quamdiu homines hic degunt, obnoxii esse conguntur. II. Negatur hic de Veteri creatura agi, imo tantum abest, ut de ea agatur, ut contra non nisi de ipsa nova creatura agatur, quæ exerto capite expectare dicitur revelationem filiorum Dei, id est, suam phrasi Hebræa. Et ratio est manifesta; Veteri creaturæ, id est, jumentis, equis, asinis, bobus, piscibus, avibus, quæ prorsus destruenda sunt, absurdissime tribuitur, quod *exerto capite expectent revelationem filiorum Dei*, quod sperent liberationem *ex servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, quod *suspirent & parturiant ad hoc usque tempus*; sperarent enim sui ipsorum destructionem & annihilationem. Cum enim revelabuntur filii Dei, tum ignis omnia ista vastabit & perdet. Optime autem id omne tribuitur creaturæ novæ afflictionibus pressæ, & sub cruci gementi. Neque quicquam est quod huic expositioni officit: Nec creaturę vox, quia *nova creatura* κατ' ἐξοχὴν simpliciter *creatura* aliquando appellatur in Scriptura, ut Col. 1. 15. Eph. 2. 10. Iacob. 1. 18. Apoc. 3. 14. Nec phrasis illa, *Creatura expectat revelationem filiorum Dei*, pro *creatura nova*, id est, *filii Dei, expectant suam revelationem*. Hebræi enim solent non raro antecedens loco relativi ponere. *Vt* 1. Reg. 8. 1. *Tunc convocavit Solomon seniores Israelis ad regem Solomonem in Jerusalem*. Gen. 1. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem Dei*, Gen. 5. 1. 1. Sam. 3. 21. & 25. 22. 2. Paral. 8. 2. 1. Cor. 1. 8. 2. Thess. 3. 5. 2. Timoth. 1. 18. *Det Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum, in die illo*. Sed impræsentiarum hac de re satis est.

Impertinens citatio loci ad Rom. 8. 19. redarguitur.

AD CENSURAM CAPITIS XX.

In quo agitur de divinis comminationibus ac impiorum pœnis, tum ad hanc tum ad futuram vitam pertinentibus, puta Reprobatione, Induratione, Excæcatione, deque æterna morte & damnatione.

Pœnæ ad hanc vitam pertinentes in hoc capite vocantur quæ in hac vita infliguntur, & sic temporales dici possunt.

PRima hujus capitis Censura merus cavillus est. Per pœnas ad hanc vitam pertinentes, intelligunt Remonstr. pœnas, quæ homini in hac vita infliguntur, & sic ad hanc vitam pertinent. Phrasin hanc usurparunt juxta propriam ejus significationem, non autem juxta Scripturæ stylum: Deinde Reprobationem non vocant temporalem punitionem, uti Censor perperam affirmat, nisi per vocem temporalem intelligatur punitio, quæ in hoc vitæ tempore contingit, quo sensu Reprobationem temporalem punitionem vocari posse, mirum est à Censore negari, cum ipse in disputat. sua de prædest. Thes. 45. quæ in Synopsi purioris Theologiæ exstat, diserte *aliam æternã, aliam temporariam Reprobationẽ* esse affirmet, & eum in finem loci ex Ierem. 6. 30. citet, ubi Deus de maxima populi parte ait; *Argentum reprobum vocabuntur illi, quia Iehova abjecit vel reprobavit eos.* Inepte vero temporalem & spiritualem opponit Censor: Sed omissis vocibus, rem videamus. *Reprobationem,* inquit Censor, *definiunt eorum impiorum & incredulorum, qui præfracte credere ac resipiscere nolunt, & licet diu multumq; vocati, moniti, reprehensi, &c. nihilominus tamen Euangelio inobedientes esse pergunt. Qui ergo tales sunt,* inquit, *ex Remonstrantium sententia, sola temporali reprobatione puniuntur, non etiam æterna.* Duplex inconsequentia hic apparet. Nam I. non sequitur, Ergo illi tales temporali reprobatione puniuntur. Quid si enim Deus eos tales è vita tollat, prout merentur, & non raro etiam facit; sequitur tantum, Ergo, qui reprobantur ista reprobatione, ii puniuntur pœna, quæ in hac vita locum habet. II. Nec sequitur, Ergo tales sola temporali reprobatione puniuntur, non etiam æterna: Sed tantum sequitur, Ergo reprobatio ista censenda

Quo sensu Reprobatio actus divini judicii ad hanc vitam pertinens vocetur à Remonstr. contra Censoris exceptionem.

ſenda eſt inter iſtos actus divini judicii, qui in hac vita tantum exercentur, quod eſt illud ipſum, quod Remonſtrantes aſſerunt. Tum, poſito quod conſequentia juſta ſit, quid abſurdi? Nam, ſi per æternam reprobationem intelligatur reprobatio iſta, quam Cenſor ſtatuit, quæ ab æterno & ante omnes alias cauſſas facta ſit, qua ii, qui in tempore increduli manent, reprobati antea fuerunt à vita æterna, & ab omnibus ad credendum, & vitam æternam conſequendam neceſſariis & ſufficientibus mediis; eam Remonſtrantes, ut peſſimum humani cerebri commentum, reprobant & repudiant. Si vero intelligatur reprobatio, quæ poſt longum gratiæ contemtum æternam ſeparationem à gratia divina, & gratiæ omnis ſalutaris ſpe notat; eam Remonſtrantes, etiamſi locis Scripturæ & rationibus quibuſdam ſpecioſis niti videatur, in hac vita fieri non arbitrantur, & ad punitiones, quæ in futura vita, vel, poſt mortem, locum habent, referendam eſſe exiſtimant; quamquam Scriptura, cum de reprobatione loquitur, de alia quam de ea, quæ in hac vita fit, nedum de æterna iſta, Tyrannica Calviniſtarum reprobatione, loqui non videtur, uti diſcurrenti per omnia loca manifeſtum eſt. Quare, quod Cenſor ſtatim ſubjicit, vaniſſimum eſt. *Quum hic*, inquit, *de Reprobatione agatur, quæ electioni opponitur, & quidem electioni ad gloriam, ſicut ex collatione hujus capitis cum initio 18. apparet, quomodo electioni ad gloriam temporalis reprobatio opponatur, ipſi viderint.* Atqui vide ſis initium cap. 18. & obſervabis iſthic non agi niſi de electione ad gloriam, quæ in hac vita fit, & quæ actualem ſeparationem credentium ex numero & ordine damnandorum, *quoad ſtatum præſentem*, ſignificat, uti verba diſerte habent. Unde colligere facile eſt, & merito colligere Cenſor debuiſſet, Reprobationem hoc loco actum talem denotare, quæ electioni iſti opponitur. Sed hæc non conſiderat Cenſor, præ cenſendi libidine. Hinc etiam eſt illud, quod ſequitur: *Reprobatio*, inquiunt, *eſt juſta improborum hominum rejectio. Improbi autem illi ſunt, qui rebellant Euangelio. Nemo ergo gentilium, qui de Euangelio nunquam quicquam audivit, aut audire potuit, à Deo rejectus aut reprobatus eſt.* Quæ ratio conſequentiæ? Sequitur tantum, Ergo nemo gentilium iſta reprobatione rejectus aut reprobatus eſt; quod ut veriſſimum concedunt Remonſtrantes. An interim ſit aliqua, & quænam ſit iſta reprobatio, qua Deus circa gentiles verſatur, eoſque qui Euangelium nunquam audiverunt, aut audire non poſſunt, nuſpiam definiunt Remonſtrantes in hac declaratione ſua: Nam non niſi intra vocatorum cætum ſtant, ad quos Eu-

Diluitur exceptio Cenſoris de gentilium Reprobatione.

angelii

angelii notitia pervenit. Cæteros Deo & divino ejus judicio permittunt certi interim & persuasi, Deum neminem eorum, ad æternos animæ & corporis cruciatus absoluta voluntate destinasse, aut supplicio ullo adfecturum esse, nisi propter propriam & vincibilem cujusque culpam. *Non enim est personarum respectus apud Deum*; *In quavis gente acceptus est ei, quisquis eum timet & operatur justitiã*; Act. 10.35. &; *Quicunque sine lege peccaverint, sine lege quoque peribunt, & quicunq; in lege peccaverint, ex lege judicabuntur*. Rom. 2.12. Loca, quæ ad marginẽ declarationis citata sunt, id non obscure arguunt. Tantum enim agunt de reprobatione eorũ, qui, licet diu multumq; vocati, moniti, reprehensi, nihilominus tamen Euangelio inobedientes esse pergunt, quos, ut tales, à Deo rejectos, reprobatos, exclusos, & avulsos esse dicunt, sed adsumendos, admittendos, & inserendos rursum, si vel tandem resipiscant, & ab infidelitate sua desistant: Primum locum Matth. 8.12. excipe, nisi quis eum exponere velit de reprobatione increduli populi Iudaici à felici statu fidelium in hoc mundo, quorum præcipui, & tantum non proceres fuerunt Abraham, Isaac, & Iacob: qui status Allegorica sive figurata loquendi ratione hic describitur per sessionem ad mensam convivalem, luminaribus, & omni delitiarum genere instructam, & qui illustratur ex opposito per ejectionem eorum, qui mensæ & delitiarum istarum participes esse potuissent, nisi noluissent in locum tenebris & tristitiarum omni genere refertum, ubi pro vino lachrymæ, & pro cibo vacui, & præ ciborum defectu stridentes inter se dentes locum habent, cujusmodi status etiam in hac vita esse potest; quasi legeretur; filii regni, id est, Iudæi, ad quos vi promissionis divinæ regnum Dei, id est, gratia Euangelica, &, quæ per eam obtineri potest, cælestis felicitas, tanquam ad filios & hæredes pertinet, sed qui oblatam gratiam præfracte repudiant, atque ita Abrahami, Isaaci & Iacobi vestigiis nolunt insistere, rejicientur, id est, à fœlici isto statu, tanquam spurii & nothi deturbabuntur, & ad eum statum deprimentur, qui merito infelicissimus & miserrimus in hac vita censeri potest, similis eorum statui, qui extra locum convivii, ubi omnia luce & gaudio plena sunt, in tenebris agunt, nihil habentes, quo sitim restinguant, aut quod dentibus molant. Hujusmodi enim aut similibus figuratis locutionibus describi in Scripturis eos, quos Deus in hac vita gratia sua singulari privat, manifestum est. Hoc sensu locus hic commode adductus videri potest, quamquam omitti potuerat, quia expositio hæc nova forte alicui

Vindicantur loca ad marginem Declarationis citata.

Excusatur citatus locus ex Matth. 8.12.

& in-

& insolens videbitur; Locus Matth. 21. vers.43. immerito sane censetur. Est enim proposito Remonstrantium accommodatissimus. *Atqui*, inquit Censor, *dicit quidem fore, ut tollatur regnum Dei à Judæis, sed non dicit hanc esse temporalem tantum abjectionem.* At nec dicit abjectionem esse æternam. Imo vero idcirco, quia dicit regnum Dei tollendum esse ab ipsis, temporalem, id est in tempore vitæ hujus futuram abjectionem dicit. Non enim dicit eos sublatos iri, & sublatos mansuros ex regno Dei, sed regnum Dei ab iis ablatum iri; cumque regnum Dei significet Euangelium regni, & ablatio regni à toto populo Iudaico futura dicatur, fieri non potest ut abjectio hæc de alia, quam de abjectione ea, quam Declaratio Remonstrantium statuit, intelligatur. Totum enim populum æterna reprobatione reprobatum iri, quis à Christo dictum credat? Imo vero certum est, stante ista reprobatione, fieri adhuc potuisse, quamquam difficulter, ut ab errore suo resipiscerent, & Euangelio crederent: *At*, inquit Censor, *statim additur, qui ceciderit super lapidem istum, nempe Christum, conquassabitur, super quem vero ceciderit, dissipabit eum.* At inquam *cadere* isto in loco, non est simpliciter credere nolle, sed in incredulitate perseverare velle, & Christo ad mortem usque se opponere, quo sensu verbum *cadere* accipitur vers. 2. cap.11. ad Rom. Tales enim in infidelitate morientes proprie cadunt, ita ut nunquam ex miseria sua resurgant. Atqui nunc credere nolunt, ii tandem adhuc ab incredulitate sua desistere possunt, antequam cadent super Christum, hostilem sc. animum ad mortem usque retinentes; Et horsum videntur hæc verba Christi addita esse, quasi legeretur; Videte ut in tempore resipiscatis; Frustra enim eritis, imo cum maximo vestro damno tandem sentietis, quid sit credere nolle: Rex hic, & regnum ejus stabit immotum; Quotquot ei sese opponent, eos tandem ruina opprimet, saxi instar, quod sive quis in illud præceps ruat, sive illud super aliquem cadat, infractum semper manet, protritis pessumdatisque cæteris omnibus, quibus allidituR. Resipiscite ergo, dum tempus est; antequam aut vos cadatis super illum, aut ille super vos cadat, vosque æterna ruina opprimat. Locus desumtus ex cap.11. ad Rom. vers.2. & 20. perperam carpitur à Censore, quasi in eo non de temporali, sed de æterna abjectione agi adeo clarum sit, ut non nisi per manifestam vim alio torqueri possit. Obsecro enim, qua vel specie id dicitur? Contrarium meridianâ luce clarius est, I. ex vers.12. ubi diserte Apostolus quærit, *Num igitur inquam ego impegerunt ut laberentur, aut caderent?* Id enim idem est ac si quæreret, Num igitur æterna & per-

Vindicatur locus Matth. 21.43. in Declar. citatus.

Quid sit, cadere in prædicto loco.

emtoria eſt eorum reprobatio? & reſpondet: *Abſit, ſed per eorum ruinam ſalus obtigit gentibus, ut eos ad æmulationem provocaret.* Quo ipſo Apoſtolus aperte ſignificat, conſilium Dei in reprobando populo ſuo & transferendo gratiam Euangelii ad gentes, non fuiſſe, ut hac ratione populum ſuum ab omni ſpe gratiæ ac ſalutis ſecluderet, ejuſque ad meliorem mentem reducendi curam nullam amplius haberet (hoc enim hic eſt πίπἰειν labi ſive excidere finaliter ex favore divino, & ſpe reditionis in gratiam cum Deo, id eſt, ἐκπίπἰειν, contra quam accipitur ab Apoſtolo verſ. 22. ubi pro incidere in iram divinam, non ſine ſpe reſtitutionis accipitur, ut ex natura rei liquet) ſed contra, ut ea ipſa tranſlatione Euangelii ad gentiles, veluti acri ſtimulo quodam, populum ſuum ſtupentem ac ſomnolentum excitaret ad reſipiſcentiam & fidem; quaſi legeretur: Poſtquam Deus omnia fruſtra à ſe tentata, nihilque apud populum ſuum profectum vidit, multis & crebris, omnique exceptione majoribus argumentis, ſignis, ac prodigiis; unicum & extremum quaſi remedium ſupereſſe adhuc judicavit, ſi eos deſereret, & gratiam ſuam ad extraneas gentes transferret; eaſque per fidem in populum ſuum adſciſceret, diviniſque ſuis beneficiis largiter perfunderet, ut hoc videntes increduli Iudæi, veluti Zelotypia incenderentur, & relicta lege Moſaica, ad imitandum gentium illarum fidem & obedientiam exſtimularentur, ſicque iterum favoris ac gratioſorum beneficiorum, ipſis primitus promiſſorum, participes fierent. Reprobatio itaque hæc populi Iudaici, quam Apoſtolus nunc παράπἰωμα nunc ἀποβολὼ, nunc ἔκκλασιν, nunc ἥἰημα vocat, æterna reprobatio eſſe non poteſt, uti Cenſor vult, ſed temporaria, & quæ bono ipſorum Iudæorum, ſi modo ſanabiles adhuc eſſent, animumque advertere vellent, ſervire poterat, utque ei fini ſerviret à Deo facta erat. Confirmatur hoc planiſſime ex verſ. 13. & 14. ubi Apoſtolus ſeipſum Apoſtolum gentibus à Deo deſtinatum eſſe adſerit, eo fine, ut conſanguineos ſuos, à Deo reprobatos, ad æmulationem provocaret, &, quantum in ſe erat, aliquos ſaltem ex iis adhuc ſervaret. Servari itaque poterant adhuc reprobati illi, & ut ſervarentur conſilium Dei erat. Reprobatio itaque non æterna, ſed temporaria ut hic intelligatur neceſſe eſt. Adde his II. quod Apoſtolus diſerte verſ. 23. adfirmet, Iudæos reprobatos iterum *inſertum iri, ſi non permanſerint in infidelitate*; & ratione addit, quod *Deus eos rurſum poſſit inſerere*, quod ſane ridiculum eſſet & prorſus abſurdum, ſi reprobatio hæc æternam reprobationem ſignificaret, qualem Cenſor ſtatuit. Quæ contra hæc adfert Cenſor, leviora

Paraphraſis ſupra dicti loci.

viora sunt, quam ut vel expendi mereantur. Nec minus leve est, quod sequitur. Dixerant Remonstrantes, Deum improbos homines abjectionis pœna punire, cum eos amplius pro populo suo habere non vult. *Reprobatio ergo*, inquit Censor, *tantum erit totorum populorum*, *nulla singularium hominum*. Quasi vero populus, qua populus, Logice aut abstracte sumtus, reprobationis objectum esse possit, aut populus aliud quid sit, quam singuli inter se juncti. Sophismata hæc indigna sunt seriis disputatoribus. Cum dicunt Remonstrantes, Deum improbos homines & præfracte aliquamdiu ipsi rebellantes, quos antea populum suum vocaverat, pro populo suo amplius habere nolle, tum impios illos simul sumtos, non ut totum aliquod Logicum intelligi volunt, sed ut totum Physicum, quod reipsa à singulis partibus non differt: quasi dicerent: Deus omnes & singulos istos tergiversatores & rebelles non amplius vult tractare uti populum suum, sed tanquam alienos & extraneos, familiari aut benigna tractatione seipsos judicantes indignos: Eundem plane ad modum quo ex opposito dicit Deus 2.Cor.6.17. *quapropter exite è medio eorum*, *& separamini*, *dicit Dominus*, *& impurum ne attingite*, *tum ego excipiam vos*; & uti versu præced. dixerat: *Habitabo in vobis*, *& inambulabo*, *& ero Deus vester*, *& vos mihi eritis populus. Sed pergamus*, inquit Censor, *ulterius. Unde vero constat, reprobos illos in Dei populo non haberi? Hoc in sequentibus sic definiunt, quando Deus gratiam Spi. S. ab ipsis sæpe spretam, jure iisdem substrahit*; *imo externa etiam media illa interdum iis conferre dedignatur*, *quibus ordinarie ad salutem populi sui uti solet*, &c. *Ismael Ergo*, inquit, *& Esau reprobati non sunt*. ℞. Sane, si de personis eorum loquatur Censor, uti verba ejus præ se ferunt, antequam ipsi rebellabant parentibus suis, propriaque sua culpa se indignos divina benedictione reddebant, reprobatione ista reprobati non fuerunt à Deo. *Attamen*, inquit, *de primo eorum testatur Apostolus*, *quod in semine isto censitus non fuerit*. Ita est. At in semine isto non censeri, non erat reprobatione ista reprobari de qua hic agitur; Sed aliud nihil erat, quam reprobari à typica illa hæreditate terræ Canaam, quam Isaaco Deus assignabat, non Ismaeli, cum qua reprobatione consistere poterat, adeoque consistebat, gratia divinæ vocationis, cujus beneficio Ismael divinum, favorem, & æternam benedictionem ambire & consequi poterat, sicut cum gratia electionis, qua Deus Isaacum in semine isto censebat, consistere poterat hæc reprobatio, si videlicet Isaac ea se digne gerere non voluisset; prout apparet ex eo, quod Ismael ipse circumcisionis signum accepit

Quid sit, Deum improbos præfracte rebellantes pro populo suo habere amplius nolle.

Quid sit Ismaelem in semine censitum non fuisse.

jussu divino, non minus, quam Isaac, & Ismaelitæ deinde omnes, etiamsi à seminis istius privilegio exclusi, ejusdem terræ hæreditate aut potius beneficio gaudere poterant, si ritus & sacra eadem cum Isacidis amplecti vellent, imo, quod magis est, Deo propitio frui poterant, si modo in terra sua Deum patris sui recte colerent, & ab idololatria omni immunes se gererent; quod Jsmaelitas multos fecisse manifestum est; Et contra, quod Isaaci posteri, per Iacobum descendentes, & hæredes terræ istius Canaam, reprobari à Deo potuerint, & eorum non pauci à Deo reprobati fuerint æterna reprobatione, qui Deum in terra ista hæreditaria non rite colebant, & indignos se divina benedictione præstabant, uti ex historia V.T. manifestum est. Eadem est ratio Esavi. *At de eo tamen,* inquit Censor, *testatur Apostolus, quod nondum natis pueris, cum necdum boni aut mali quicquam fecissent, ut propositum Dei,* &c. Ita est: At dictum Dei, *Major serviet minori,* &, *Esau odio habui,* significare Esavum à Deo reprobatum fuisse æterna reprobatione, ita ut à spe omni gratiæ & favoris divini seclusus fuerit, qua vel specie dicitur? Aliud est reprobari à typico isto beneficio terræ Canaam, & non censeri in populo illo, quem Deus hæredem terræ istius facere volebat; aliud reprobari à beneficio gratiæ istius, quæ necessaria est, ut quis Deum pro Deo suo habeat, & divini ac cælestis favoris particeps fiat. Hoc modo Esavum à Deo reprobatum fuisse, nec isto dicto asseritur; nec ex isto dicto vel per speciem concluditur. Ratio est: Quia, sicut cum isto beneficio, quo Deus Iacobum & posteros ejus censebat in semine, quo eos diligebat, & Dominos fratrum suorum Edomæorum esse jubebat, stare poterat eorundem reprobatio & condemnatio, si vid. Deo non obedirent, aut eum rite non colerent; ita cum hoc, ut ita loquar, maleficio odii, sive potius amoris hujus & beneficii singularis defectu, stare poterat Esavi & posterorum ejus æterna salus, si vid. in terra sua Deum rite colerent, non quidem ex præscripto legum istarum, quæ populo Israelitico in terra Canaam datæ erant (ad eas enim extra terram istam non obligabantur posteri Esavi) sed ex præscripto isto, quod à patre suo Jsaaco Esau acceperat, ad quod præscriptum circumcisionis etiam pertinebat; prout ex eo manifestum est, quod multi Esavitæ Deo grati & cari fuisse legantur, & sanctimoniæ laude in terra sua claruerint. Solum Iobi exemplum, & historia sapientum istius ævi fidem ejus rei facit certissimam, ut jam alia non allegem. Quod porro Censor colligit ex eo, *quod Remonstrantes inter signa abjectionis sive reprobationis*, quam

Sensus verborum, *Major serviet minori & Esau odio habui.*

vocant,

vocant, *collocant hoc etiam ſignum, quod eos, quos abjicit aut reprobat, relinquat aliquando ſine veris paſtoribus piiſque doctoribus, ex eo*, inquam, *conſequi illos, quibus veros paſtores pioſque doctores adhuc concedit, reprobatos non eſſe*, in eo vehementer errat. Non enim convertuntur hæ duæ propoſitiones: Cum Deus rebelles relinquit ſine veris paſtoribus, id ſignum eſt, quod eos rejiciat & reprobet; & cum Deus tales reprobat, tum eos relinquit ſine veris paſtoribus piiſque doctoribus. Nec Remonſtrantes affirmant, abjectionem ſive reprobationem iſtam, quam deſcribunt, ſemper conjunctam eſſe cum ejuſmodi deſertione, imo contrarium non obſcure dicunt, cum affirmant Deum *interdum* (NB) *interdum* inquam, talibus externa media illa non conferre, quibus ad ſalutem populi ſui uti ſolet. Eo ipſo enim ſignificant, Deum aliquando hoc, aliquando illo, aliquando pluribus, aliquando omnibus iſtis ſignis ſimul teſtatum facere, ſe præfractos & rebelles iſtos punire pœna reprobationis. Non enim omnes eodem ſemper modo, nec æquali punitionis gradu in hac vita punit, ſed pro arbitrii ſui libertate: Quare, quod poſthac prolixe diſputat de privatione gratiæ Sp.S. à contumacibus iſtis diu multumque ſpretæ, qua Deum iſtos, quos abjicit, punire dicunt Remonſtrantes, plane ineptum & ſuperfluum eſt. *Hoc non convenit*, inquit, *per omnia cum veritate nec cum ipſorum aliis hypotheſibus. Non cum veritate*, inquit, *quia etſi verum ſit Deum gratia Spiritus ſui & verbi quoque miniſterio ſæpe privare eos, qui adverſus illud* (cur non addis Cenſor & adverſus illam gratiam Spiritus S.? nam & hoc volunt Remonſtrantes) *contumaces ſunt, uti loca adducta, oſtendunt; tamen Deus non ſemper id facit, quia miſeretur cujus vult:* At nec Remonſtr. dicunt Deum ſemper id facere. Contrarium ex antedictis liquet; divino arbitrio id relinquunt. Imo tantum abeſt ut id dicant, ut ne quidem dicant, quod hic à Cenſore, nimis ſane inſcite, dicitur, Deum Iſraelitas, id eſt, populum ſuum Iſraeliticum, poſt tempora aſcenſionis Chriſti in cælum, ſic reprobaſſe, ut eum pro populo ſuo amplius noluerit agnoſcere. Contrarium ſatis manifeſtum eſt, ex cap. 11. ad Rom. ubi diſerte *diligi adhuc dicuntur propter Patres, ſecundum electionem*, adeo *ut vocatio illa & donatio illa*, qua Deus illos ſemel populum ſuum vocare, iiſque populi ſui nomē donare voluit, dicuntur eſſe ἀμεταμέλητα. Latitudo itaque in reprobatione hac agnoſcitur à Remonſtrantibus, quam Deus pro arbitrio ſuo intendit, & remittit, extendit, contrahitque. Addit Cenſor: *Non convenit etiam cum ipſorum hypotheſibus, quia ſtatuunt omnibus hominibus gratiam Spiritus S. ad ſalutem ſufficientem ſemper*

Exceptio Cenſoris diluitur de ſigno reprobationis ſive abjectionis populi alicujus.

adsistere. Hoc vero eſt manifeſte prævaricari,& verba Remonſtrantium calumniari. Nam cum Remonſtrantes aſſerunt,Deum ſufficientem gratiam ad ſalutem omnibus ſemper concedere, non id volunt, quaſi Deus nunquam homines ullos, etiam contumaciſſimos, gratia Spiritus ſui S. privet,ſed tantum, quod Deus illos non in tantum privet gratia omni,ut plane inpoſſibile ſit,tales ad pœnitentiam rurſum redire, & per preces, aliaque exercitia amiſſam gratiam recuperare. Semper enim clementem Deum viam aliquam apertam relinquere credunt, per quam redire poſſunt in gratiam cum Deo; non quod via iſta,vel auxilium iſtud,quod Deus talibus relinquit, per ſe ſemper ſufficiens ſit ad ſalutem, ſed quod ſit ſufficiens ad id faciendum,quo gratiam ſufficientem ad ſalutem recuperare poſſint. Atque hoc idcirco urgent, quia Socinum, alioſque ſtatuere vident, Deum in hac vita ſæpenumero gratiæ oſtium ſic occludere, ut prorſus nulla veniæ aut miſericordiæ divinæ recuperandæ ſpes ſit, quamquam ſententiam iſtam adeo falſam ac noxiam non putant, ut tolerari non poſſit; Abſit. Qui eam tenent,eos,ſi rationibus ab ea abduci nequeunt, indicio ſuo frui ſinunt. Quare, calumnia potius videri debet hæc Cenſoris ratio, quam juſtum argumentum. Et eadem eſt ratio ejus quod de Lege naturæ hic adfert Cenſor, prout ex antecedentibus aliiſque locis, ubi ea de re prolixe actum eſt, manifeſte perſpici poteſt. Quæ de excæcatione & induratione dicuntur in Declaratione,ea fere probat Cenſor. *Modos etiam excæcationis atque indurationis adductos, ex parte agnoſcit, niſi quod reprobatio*, inquit, *antea ab iis definita, & excæcatio hic explicata plane coincidant*. Sine cauſa; Nam aliud eſt privari gratia Spiritus S. aliud erroribus, qui etiam ſine gratia illa declinari poſſent, miris modis implicari, quod Scriptura S. appellat *efficaciam erroris immittere*, &, *in mentem reprobam dare*, que nec probat quod rectum eſt, nec probari alii ulli poteſt, qui vel ſolum naturalem rationis rectæ ductum ſequitur. Aliud privari gratia Spiritus S.; aliud peccatis & peccandi occaſionibus, quæ etiam ſine gratia iſta evitari poſſunt, involvi, quod ſane multis variiſque modis fieri poteſt. Aliud privari gratia Spiritus S. aliud Satanæ tentationibus, præſtigiis, & illuſionibus circumagi & ſeduci. *Cætera*, inquit Cenſor, *à nobis probantur. Sed deſinant deinceps Remonſtrantes Calvino, atque aliis Orthodoxis ſcriptoribus calumnias ſtruere, quando ejuſmodi quoque loquendi modis, qualibus & ipſi hic, utuntur*, &c. *Imo à nemine noſtrorum facile aſſeri obſerves: Quod denique ſubjiciunt Remonſtr. quod iis, (nempe à Deo, de cujus judicio hic agitur) occaſiones errandi*

Rejectio populi alicujus & ſufficientis gratiæ relictio ſive conceſſio non pugnant.

Reprobatio, excæcatio & induratio quomodo diſtincti actus ſunt.

errandi & peccandi multiplices, objiciuntur, &c. Nempe hæc occaſio ut clava ubique arripitur à Cenſoribus, aliiſque ipſorum ὁμοψήφοις, ut adverſarios ſuos convicio aliquo mactent, & pudendum reprobationis ſuæ, & quæ ei adhærent, placitum, veluti colore aliquo tegant: ὁ γὰρ ἄδικος λόγος νοσῶν ἐν αὐτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν. Quaſi vero quiſquam adeo cæcus ſit, ut non videat quam immane diſcrimen ſit inter hoc dictum Remonſtrantium, & horrendam ac bonis omnibus pudendam Cenſorum de Reprobatione ſententiam. Dictum Remonſtrantium hoc eſt; Deus occaſiones errandi & peccandi, id eſt, ea, quæ per ſe occaſiones ad errores & peccata evitandum ſunt, per accidens tamen errandi occaſiones ſunt, aliquando objicit iſtis hominibus, qui propria, diuturna & inexpugnabili ſua contumacia ſe quovis Dei ſupplicio dignos reddiderunt. Sententia autem Cenſorum de Reprobatione hæc eſt, Deus, ad declarandum Iuſtitiam & miſericordiam ſuam, id eſt, ad gloriam nominis ſui illuſtrandam, peccato opus habet: Hinc Adamum peccare vult; in Adamo autem peccante cenſet omnes ex Adamo naſcituros, iiſq; peccatum Adami imputat, adeo ut omnes propter iſtud reos velit eſſe mortis utriuſque temporalis & æternæ: Deinde propter peccatum illud omnes punit peccato Originis: Tertio, Peccati iſtius Originalis vi omnes & ſingulos inevitabili peccandi neceſſitati obſtringit, uſque adeo, ut omnes & ſinguli natura ſua propenſi ſint ad odium Dei & proximi: Multo maximam eorum partem ſub illa peccandi neceſſitate relinquit: Nonnullis eorum externam gratiam Euangelii ſui offerri curat, illos hortatur, orat, obteſtatur, & promiſſis, minis aliiſque invitationum modis movere ſtudet, ut à peccando deſiſtant & gratiam oblatam recipiant: Non recipientes, propter iſtam peccandi neceſſitatem, qua laborant ex punitione præcedente, quæ facit, ut non poſſint recipere gratiam Euangelicam, excæcat, indurat, ac tandem gravioribus, iiſque temporalibus atque æternis animæ & corporis cruciatibus excarnificat. Hæc ſumma eſt ſententiæ Cenſorum de Reprobatione. Profecto qui hæc tot barbara, & ab omni recta ratione aliena pronuntiata confert cum dicto iſto Remonſtrantium, adeoque (ô pudor!) iſta ut dicto iſto Remonſtrantium leniora, ac mitiora cenſet, quid aliud facere credendus eſt, quam cum ratione inſanire velle? Nunquam eluet Cenſor fœditatem tot ac tam barbarorum pronunciatorum, que ſententia iſta de Reprobatione veluti inter ſe concatenata habet,

ψευδολόγων κανόνων φεῦ πλήθυος.

Oſtenditur diſcrimen inter Calvini duras & horridas locutiones de Reprobatione & eam qua utuntur in eadem materia Remonſtrantes, cum dicunt, Deum errandi & peccandi occaſiones pertinacibus & diu Euangelio relactantibus objicere.

AD CENSURAM CAPITIS XXI.

De ministerio verbi Divini, deque ordinibus Ministrorum.

Mirumne est, Lector, Censuram hanc, in vastum volumen exisse? Eadem centies censentur, & sine causa. Nec à minimis abstinetur. Et adeo curiosum & subtile aliquando acumen est, ut nescias quid censeatur. Caput hoc vide & palpabis. Quid hic non cribrat & ventilat novus hic vitilitigator potius quam Censor? A titulo orditur. Adeo tener est ejus oculus ut illum non ferat. Et quid in eo taxat?

Cavilli aliquot diluuntur ex ordine.

Primo, inquit, Remonstr. *Capite hoc toto non agunt nisi de Ministerio N. Test. Veteris Test. omnino præterito.* Nempe igitur multo majore Censura dignus est Apostolus, qui se & Apostolos omnes cæteros non tantum dicit esse Ministros N. Test. præterito Vetere, sed etiam diserte negat esse Ministros Veteris Test. 2.Cor.3. vers.6. *Qui etiam fecit ut idonei simus ministri novi Fœderis, non literæ, sed Spiritus:* Quod si idem dixissent Remonstr. an non cum Apostolo multo plus dixissent quam hic dicunt? *Ac ne unum quidem testimonium ex V. Test. producunt*, inquit Censor. Nempe & hoc necesse erat fieri, ut Orthodoxa esset Declaratio: At si clara satis sunt testimonia, quæ ex N. Test. citantur, an non hoc sufficit? Sane, nam Vetus Test. ejusque ministerium, ut divinum & à Deo profectum, diserte confirmatur in N. Test. Quæ analogia, proportio, & convenientia inter utrumque sit, non est hujus loci inquirere. In præcedentibus id satis superque factum est. *Deinde*, inquit Censor, *totum Ministerium sacrum definire videri possunt Ministerio Verbi divini, ita ut omnibus communem faciant ejus administrationem.* Quasi vero id ex titulo colligatur, qui est de Ministerio verbi divini, deque gradibus Ministrorum. Pudet, dicam, an piget tam futilium consequentiarum? Ministerium Verbi divini nominatim tantum describunt, quia primum est, quod fundandis cæteris ministeriis necessarium est, & principem merito locum ac gradum tenet inter ministeria. Paragrapho primo quid censeatur hariolandum pene est. In suspicionem videtur vocare Censor, *quasi Remonstr. publicam verbi prædicationem non statuant medium necessarium à Deo ordinatum ad conversionem hominum*, directe contra

scopum,

ſcopum, quem propoſitum ſibi habent Remonſtr. in hoc capite, & contra verba expreſſa, quæ paragrapho 5. exſtant, *Unde nata eſt totius miniſterii Eccleſiaſtici perpetua neceſſitas & multiplex utilitas. Tranſitio porro eſt eadem in theſibus Epiſcopii*, inquit Cenſor, Nempe & hoc Cenſura dignum erat. Nos tranſeamus tam ineptas Cenſuras. *At tranſitione iſta declarant ſe voluntatem hanc Dei, Miniſterii N. Teſt. adæquatum ſubjectum facere.* Quid tum? *At in titulo objectum Miniſterii ſtatuunt verbum Dei, quod ſane per ſe longius patet, quam Dei illa voluntas. Reſpicit enim illud & naturam & opera, & voluntatem Dei.* Ita eſt. Sed voluntatem Dei reſpicit per ſe, Naturam & opera propter voluntatem Dei: Nam naturæ & operum Dei cognitio non continetur verbo, ut aliquid, quod Deus per ſe aut ultimo intendit, ſed quod tantum intendit ut medium ad voluntatem Dei præſtandum neceſſarium. Quare, cum Remonſtr. objectum Miniſterii ſtatuunt voluntatem divinam ſtrictiore ſignificato ſumtam, tantum abeſt ut ſic excludant naturam & opera Dei, ut ea includant; quatenus vid. voluntas divina præſtari non poteſt ſine præcedanea cognitione Naturæ & operum divinorum. Nemo enim poteſt Dei præceptis parere, & promiſſis ejus fidere, niſi de Natura & operibus ejus antea ſit inſtructus & perſuaſus. Voluntas itaque Divina eſt objectum Miniſterii per ſe: Naturæ & operum divinorum cognitio propter aliud, quippe ea ſemper ſupponitur in Voluntatis Divinæ tum prædicatione tum præſtatione. En, ut operoſa hæc & ingens Cenſura,

Pulveris exigui jactu concuſſa quieſcat.

Denique inquit Cenſor, *Miniſterii hujus officia & partes reſtringunt ad doctrinam prædictæ illius voluntatis, non item ad Sacramentorum adminiſtrationem, & diſciplinæ exercitium:* Inepte. De Miniſterio hic agunt, quo Deus uti vult ad colligendum ſibi Eccleſiam: At Sacramentorum adminiſtratio, & diſciplinæ exercitium ad Eccleſiam jam collectam pertinent, & in Eccleſia collecta locum tantum habent. Unde de iis poſtea agunt.

Expenditur quod de peculiari miſſione & vocatione Cenſor deſiderat in Declaratione Remonſtrantium.

Paragrapho ſecundo & tertio videri poſſunt, inquit Cenſor, *miſſionem Dei tantum referre ad Apoſtolos, qui immediate à Deo miſſi fuerunt, neque ulterius eam extendere, aut peculiari aliqua vocatione & miſſione opus eſſe docere.* Quid per peculiarem vocationem & miſſionem hic intelligat Cenſor incertum eſt. Ioannes Polyander collega ejus in Synopſi purioris Theologiæ, per eam intelligit *internum Spiritus S. inſtinctum, quo virorum Dei præcordia ad Sacroſancti Miniſterii deſiderium efficaciter flectuntur, atque excitantur.* Idem & hic Cenſor paſſim hic

videtur indicare. Hoc si ita est, nihil ineptius à Censore disputari potest: Nam nemo unquam istum instinctum missionem vocavit. II. Nec Censores ipsi quid iste instinctus peculiaris sit unquam explicabunt, aut qua ratione à pura puta imaginatione, quam quisque apud seipsum formare potest, distingui possit ac debeat. III. Ubi id explicaverint, nemo erit, qui istum instinctum non requiri dicet in eo, qui ad alios docendum se comparat: Nec Socinus uspiam hujusmodi instinctum requiri negat, ut inepte Polyander videtur in suprad. disput. statuere. Quare hac significatione præterita, de missione proprie dicta quæritur, de qua ita statuunt Remonstrantes. Missionem, seu immediatam, qualis fuit Apostolorum, seu mediatam, ut ita loquamur, qualis fuit ordinatio Episcoporum per Apostolos, aut eorum successores, non existimant esse præcise necessariam ad constituendum ministrum Euangelicum, sive ad hoc, ut quis jure & legitime Euangelium per Apostolos prædicatum, porro aliis hominibus prædicet: Ubi cætus formati sunt, & in cætibus jam certus ordo constitutus est, fatentur mediatam seu ordinariam missionem locum habere & posse, & debere: Ibi enim ut mittantur, id est vocentur, qui cætus istos ex ordinis constituti præscripto doceant, ordinis & decori ratio postulat. At ubi cætus nondum sunt formati, aut ordo nullus in cætibus adhuc constitutus est, ibi prædicandi Euangelium jus habet, quicunque donis ad docendum idoneis, juxta Canonem Apostolicum 1.Tim.3. Tit.1. præditus est, quem popolus aut rogat ut doceat, pro modulo suo, aut quem docentem ultro audire sustinet. Alia missione hic opus non est. A Deo mittitur, quisquis hac ratione populum vias Dei docet, non quidem si præcisa missionis, sive verbi mittendi significatio, sed si usitata tantum attendatur. Quod si hoc Socinianum esse credit Censor, uti hic non obscure indicat; Socinianus itaque Collega ejus est, Ioannes Polyander, qui in Synopsi purioris Theologiæ disp.42. Thesibus 42. 43. 44. diserte idem affirmat; & quidem postquam prolixe contra Socinum disputavit pro missionis necessitate. (Quis non miretur viri acumen?) Verba ejus hæc sunt: *Si vero ex illis aliqui in principio Reformationis absque pravia certæ cujusdam Ecclesiæ vocatione Euangelium Christi plebi ipsis reclamanti annunciarunt, illi eodem Spiritu ad illud opus S. Ministerii acti fuerunt, quo olim Apollos, Cyprii, & Cyrenii, qui olim in Judæorum Synagogis, & coram gentibus* mysteria *Iesu Christi, prædicasse dicuntur, Act.11. & 28. tametsi aut à Iudæis, aut à gentibus, aut ab Apostolis, aut Euangelistis ad illud munus fuisse ordinatos, nusquam*

[Margin: Missio immediata qualis fuit Apostolorum, aut mediata, qualis fuit ordinatio Episcoporum per Apostolos aut eorum successores, non semper aut præcise est necessaria ad constituendũ Ministrum Euangelicum.]

[Margin: Confirmatur testimonio ipsorum Censorum.]

nusquam legatur. Interim, sicut illi, accedente postea Apostolorum approbatione, per Barnabam aliosq; Christi Discipulos in isto munere inchoato solemniter fuerunt confirmati, teste Luca Act. 11. 17. & 18. 27. Sic Origenes alicui in urbe, in qua nullus est Christianus, Euangelizanti contingere posse asseverat, ut postmodum communi auditorum, quos ad Christum convertit, suffragio Episcopus ordinetur. Hom. 11. in 18. Num. Et sane, ubi nulla est Ecclesia, ibi viris à Deo ad Euangelizandum missis, non est ab hominibus, Deum ignorantibus expectanda vocatio, sed Deo mittenti immediate obtemperandum ex communi obligatione, ad regnum ipsius, pro occasione oblata, promovendum, donec tum Ecclesiæ ab ipsis colligendæ, tum fratrum vicinorum, aut remotorum consensu, in inchoata functione stabiliantur. I nunc, Censor, & Socinianismi dicam scribe Collegæ tuo, &, si placet, eandem scribe *Petro Molinæo*, qui, in Resp. sua ad Cardinalem Perronium, integro capite 34. probat, complures ab omni ævo Verbum Dei prædicasse, sine ulla præcedente missione, aut vocatione, &, quod mirere, tam extra, quam in casu necessitatis, eosque id jure ac recte fecisse. Similiter dicam scribe Amesio tuo, qui nuper in Bellarmino suo enervato, Tom. 2. lib. 3. cap. 2. de vocatione, his verbis utitur: *Missio nusquam in Scriptura significat vocationem ordinariam, quæ per homines in aliquem derivatur, neque sua significatione notat actum aliquem hominum vocantium hominem ordinaria ratione vocandum. Apostoli ipsi nunquam hoc sibi arrogabant, ut missionem suam haberi voluerint pro vocatione ordinarii pastoris: quomodo prædicabunt, nisi mittantur? supple (ait Cajetanus) à Deo.* Quin imo, tibi ipsi dicam scribe, Censor, qui pag. seq. 274. diserte asseris istud ipsum. Hæc verba tua sunt in fine paginæ: *Interea tamen non diffitemur in Ecclesiæ prima institutione, cum ordo non est, aut ejus restitutione, ordine collapso, aliam rationem (quæ tamen vicem habeat vocationis) iniri posse, sed extraordinarie.* Vide etiam eundem *Amesium* sæpius idem asserentem, in cap. de ordinatione in Bellarmino enervato, aliosque Reformatos complures. Ex his eadem opera æstima, Censor, quam aliena sint, quæ à te allegantur loca, ad probandum missione ordinaria opus esse, ad constituendum ministrum Euangelii; & imprimis, quam inepte à te, ex mente *Amesii*, citetur locus, ex Epist. ad Rom. 10. 15. ut probes ordinariam missionem. Denique quam immeritò Socinianos facias Remonst., cum locum istum de missione Dei extraordinaria, sive quæ à Deo fiat, tantum intelligendum esse dicunt, quia idem forte Socinus dixit, cum Amesius vester diserte affirmet, *Missionem in Scripturis nunquam vocationem*

Et Petri Molinæi.

Et Amesii.

nem

nem ordinariam, aut eam, quæ per homines fit, significare; & missionem illam cum Cajetano, de missione illa, quæ à Deo fit, intelligendam tantum esse.

Sectione tertia: *Apostolis, quibus singularem autoritatem ac ἀνυπεύθυνον & irrefragabilem potestatem tribuunt*, inquit Censor, *adjungunt socios tum Prophetas & Euangelistas, tum doctores & Pastores, quibus, qualem, & an similem autoritatem tribuant, non dicunt.* Nempe, silentium tam controversæ & incertæ rei etiam censuram patitur. Quin potius audacia hæc Censoris censura digna est. Quæcunque enim hac de re disputantur, ea, ut ut speciose ventilentur, talia tamen non sunt, ut pro certis atque indubitatis haberi aut possint, aut debeant. *Certe*, inquit, *Prophetis eam detrahere nequeunt, quum Ecclesia dicatur inædificata super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, scilicet tum V. tum N. Testamenti, Eph. 2. 20. & 3. 5.* Nec Remonstrantes eam Prophetis vel verbulo detrahunt. Attamen per Prophetas intelligi istis in locis, quos Censor citat, Prophetas tum V. tum N. Testamenti, quæ Socini explicatio est, non usquequaque est certum. Et causam dubitandi justam habent ii, qui locum 1. ad Corinth. 14. 32. ubi de Prophetis & Prophetarum autoritate agitur, exponũt de subjectione, qua Prophetæ pauciores pluribus contra sentientibus subjecti esse debent. Etenim, si ista Prophetarum N. Test. conditio fuit, non fuit sane autoritas eorum ἀνυπεύθυνος, nec potestas irrefragabilis. At si de subjectione illa agi dicatur, qua Prophetarum proprii Spiritus, sive divinæ inspirationes ipsis prophetantibus subjectæ erant, ita ut eas non lymphatorum in morem, sed composito animo atque oratione, suo tempore atque ordine proferre possent in medium, minor dubitandi causa est, quamquam & alia loca sunt, quæ indicare videntur, Spiritus ejusmodi Prophetarum probari etiam à fidelibus ominibus debuisse, an ex Deo essent. *Nec Euangelistis*, inquit, *quod hi σύνεργοι, cooperari Apostolorum passim dicantur.* Quæ & qualis autoritas Euangelistarum fuerit, incertum adeo est, ut necdum certum sit qui Euangelistarum titulo censiti fuerint, aut censeri à nobis debeant: Saravia 70. discipulos immediate à Christo vocatos, & alios quosdam ab Apostolis deinde assumtos, Euangelistas fuisse vult: Lucam & Marcum in Euangelistis non censet, nec Titum, Timotheum, &c. Beza id meram fabulam esse vult. Remonstrantes de eo contendere nolunt. Hic tantum admiratio illos tenet, quod Censor Euangelistis parem cum Apostolis autoritatem tribuat. Si quidem constans est sententia Ecclesiarum, disparem fuisse

Qui per Prophetas intelliguntur Ephes. 2. 20. & 3. 5.

Quæ Euangelistarum autoritas fuerit.

fuisse Euangelistarum & Apostolorum autoritatem in docendo & scribendo, imo scripta Euangelistarum pro divinis & Canonicis censenda non fuisse, nisi autoritate Apostolicæ alicujus approbationis confirmata fuissent. Recte an secus ita sentiant Reformatæ Ecclesiæ, merito adhuc controvertitur. Nec justa satis ratio pro sententia eorum est, quod Euangelistæ συνεργοι Apostolorum passim dicantur. Aliud enim est συνεργον esse, aliud parem in docendo autoritatem & potestatem habere. Quod ex eo manifestum est, quia Apostolus doctores omnes συμπρεσβυτέρους suos vocat 1. Pet. 5. 1. Et, quos non vocat Apostolus συνεργους suos? Vide Phil. 2. 25. 4. 3. Col. 4. 11. Philem. 1. An eos omnes dicet Censor Apostolicam autoritatem habuisse? An Euangelistæ Rom. 16. vers. 7. Apostoli vocentur, ut Censor ait, incertum est; imo quod de Euangelistis istic agatur, parum verisimile est. Sed & generali vocabulo eos sic appellari posse nemo facile iverit inficias, & phrasis loquendi id videtur arguere, quia eximii inter Apostolos vocantur. Atque hæc, quamquam Remonstrantes pro certis atque indubitatis non adserunt: tamen ex iis facile est colligere, quam longe absit à mente Remonstrantium Censor, cum iis tribuit, quod non Euangelistis tantum, sed & pastoribus & doctoribus (quos pro iisdem habere videtur Apostolus) parem cum Apostolis autoritatem & potestatem tribuant.

Sectione quarta, inquit Censor, *Doctores & pastores diversos ab Episcopis & presbyteris faciunt:* Nihil minus: Distinctionis tantum illius, quam Apostolus facit, Eph. 4. 11. cum *alios à Deo datos Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores & Doctores* asserit, rationem habuerunt: An autem Doctores & Pastores iidem non fuerint etiam Episcopi & presbyteri, id vero non definiunt. Et posito, quod Doctores hos diversos ab Episcopis facerent, id est, diversam fuisse eorum functionem, ab Episcoporum functione, quid in eo absurdi foret? Sane, in scholis aut domibus & familiis eorum functio locum habere potuit, ut Episcoporum in Ecclesiis, nullo autoritatis discrimine. Nec refert, quod voces istæ Doctorum, Pastorum, Episcoporum & Presbyterorum, aliquando permisceantur in Scriptura: nam & Prophetarum & Euangelistarum & doctorum, adeoque Apostolorum voces permiscentur in Scriptura, cum tamen Paulus diserte affirmet, Deum alios dedisse Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores, ratione scilicet; habita ad peculiares cujusque functiones, quibus inter se discriminabantur, eodem plane sensu, quo *aliis per Spiritum datum*

De Doctoribus & pastoribus.

fuisse dicit 1. Cor. 12. *sermonem sapientiæ, aliis sermonem notitiæ, aliis fidem, aliis dona sanationum, aliis Prophetiam, aliis discretiones Spirituum*; cum tamen sæpe unis iisdemque omnia ista, aut multa simul, obtigerint. *Cæterum*, inquit, *in Episcopis, presbyteris & diaconis, utuntur designationis & præfecturæ vocibus, et, ut in Belgico exemplari est, constitutionis, et quidem ab Apostolis aut Ecclesia; non autem missionis Dei, aut Spiritus ejus mentione facta*. At missio hæc Dei, aut Spiritus Dei, quam specialem Dei actionem tibi notat Censor, quæ à constitutione illa, quæ ab Apostolis, aut ab Ecclesia fit, distincta est? An immediatam actionem, qualis erat ea, qua Deus mittebat, id est, instinctu peculiari adflatos ablegabat, Apostolos, & Prophetas? Immediata itaque Missio semper necessaria est ad hoc, ut quis, Episcopus, Presbyter, aut Diaconus hodieque fiat. An eam, qua quis sibi ipsi persuadet, se à Deo missum & vocatum esse ad docendum? At persuasio missionis, non est missio, imo posterior est missione, adeoque communis omnibus etiam falsis Doctoribus. An mediatam? At quid tum aliud missio ista est, quam constitutio illa, quæ ab Apostolis aut Ecclesia fit, cujus mentionem faciunt Remonstrantes? Quid? An eam missionem Dei aut Spiritus ejus non esse dices? Quid ergo est missio hæc Dei aut unde hæc cognoscetur? Capiat qui potest. Vide quid Amesius vester in Bellarmino suo enervato cap. 2. de Vocatione Ministrorum dicat Thes. 1. Resp. 5. *Post electionem & ordinationem legitimam, nulla vocatio aut missio generaliter est expectanda, neque intelligi potest, quid vocationis desit ministro sic electo & ordinato*. Atque ex hac una re manifestum est, quam vana & frivola sit tota illa, quam de necessitate missionis paulo ante & hic iterum moleste moves, disputatio. Nec enim intelligi potest quid tibi velis. *Missionem necessariam esse dicis, quæ à persona Ecclesiastica manuum impositione, prævia vocatione Ecclesiæ fiat*. At hæc Missio, est constitutio illa, quæ ab Apostolis, aut ab Ecclesia fit, præter quam adhuc missionem aliam, quæ à Deo, & Spiritu ejus fiat, necessariam esse dixisti, adducto eum in finem loco Act. 20. 28. *Attendite igitur vobis ipsis & toti gregi, in quo Spir. S. vos posuit Episcopos*. Sed esto: Missio ista tua explicanda tibi relinquatur. Quod attinet ad Missionem illam, quam hic describis, jam ante diximus, Remonstr. haud gravate adsentiri in cætibus formatis & constitutis eam necessariam esse, necessitate ordinis & decori, cujus Deus ipse autor est (Impositionem manuum excipit ipse Amesius vester in Bellarmino suo enervato Cap. de ordinatione parag. 10. *Ritus impositionis manuũ non est absolute necessarius ad esse*

De Missione.

Amesius.

ad esse pastoris, non magis quam coronatio ad esse Regis, aut nuptiarum celebratio ad earum esse.) At in prima Ecclesiæ institutione, cum ordo non est, aut in ejus restitutione, cum ordo collapsus est, eam necessariam esse negant, proinde eam de essentia muneris Ecclesiastici, quod in Verbi legitima prædicatione, consistit, non esse habendam: Quod cum totidem verbis in fine hujus paginæ Censor agnoscat, quid aliud facit quam contra umbram suam dimicat, & quam aliis labem Socinianismi, inustam cupit, eam sibi ipsi turpiter inurit? Et cum in fine hujus Sectionis diserte à clariss. viro Episcopio Missionem & Vocationem solemnem & ordinariam præscripto Magistratus (ubi videlicet Ecclesia constituta est) definiri adserit, adeo ut crimen læsæ Majestatis committi, eum adseverare dicat, si quis injussu Magistratus ad publice docendum, in Ecclesiam istam involet, an non satis aperte totam hanc Disputationem suam eversum it, quando Remonstrantibus tribuit, quod missionem sive vocationem nullam mediatam necessariam esse contendunt? Tu Lector judica. Clausula, qua Censor in fine hujus paragraphi utitur, cum ait: *Cujus criminis læsæ Majestatis an non sint rei, ipsi viderint*, sine causa, sine occasione paragrapho adjecta, non nisi fel Censoris, & malam conscientiam arguit. *Majestatis crimen*, ait Tacitus, *fere eorum est, qui crimine vacant*, & qui ejus rei sunt, plerumque eo gravare solent eos quos oppresserunt, ubi cum honoribus, quos quieta Repub. desperabant, perturbata consecuti sunt licentiam quidlibet impune audendi, dicendi, ac scribendi. Quisquis per factiones opprimitur, velit nolit, factiosus audire cogitur, & qui oppressit, factiosus, & Majestatis reus esse desinit. Factio nunquam triumphantis, sed succumbentis, aut, licet per vim & injustitiam oppressæ partis, nomenclatura est.

Sectione quinta, inquit Censor, *Episcopos cum Presbyteris copulant, & confundunt utrosque docendi & regendi officiis, nisi forte hæc distincte, & cum certo officii cujusque respectu accipi velint:* Fatendum est verba Remonstrantium, sic concepta esse, ut distincte & cum certo officii cujusque respectu accipi possint; etiamsi potissimum in eam partem inclinent, quæ Episcoporum & Presbyterorum functionem eandem olim fuisse statuit. *Atqui*, inquit Censor, *sententiam suam ita in ambiguo occultant, ne authori de pietate Ord. Holl. refragari videantur*, &c. Nempe, hoc illud erat, quod Remonstr. movit: Pulchre conjecisti, mi Censor. At, cur non conjecisti potius id factum à Remonstrantibus, ne universis Magnæ Britanniæ Theologis, viris anti-

De distinctione inter Episcopos & Presbyteros.

quitatis

quitatis melioris peritissimis simul ac retinentissimis, refragari viderentur? Hoc præjudicium, credo, nimis grave tibi, visum fuit. Author libelli de pietate Ord. Hollandiæ ut primus ac solus sententiæ hujus patronus crederetur, causæ tuæ intererat. Sed, si omnino res ita se haberet, non gravarentur confiteri Remonstr. istius viri autoritatem, in rebus ad antiquitatem & ritus priscos pertinentibus, tanti apud se momenti esse, uti nisi gravissimas rationes habeant, sententiæ ejus refragari nolint. Est enim antiquitatis & juris prisci ad miraculum usque peritissimus, ut jam alias ejus dotes, quibus Hollandiam illustrat, & propter quas Hollandiæ nostræ decus appellari meretur, non attingamus. Et, rem hanc quod attinet, etsi Remonstr. litem nemini propter eam movendam esse statuant, jure sane ac merito Presbyterorum hanc distinctionem, in *Presbyteros docentes*, & *Presbyteros regentes* tantum, novitium εὕρημα Vir iste Clarissimus pronunciavit. Nihil in toto N. Test. est, quod distinctioni isti fundandæ sufficit. Tota antiquitatis praxis ei repugnat; & non paucæ sunt rationes, propter quas merito culpari debeat, nisi quidem necessitas eam exerceri postulet; quo casu eam, non inutiliter in Ecclesia usurpari posse, haud inviti concedimus: non ut Apostolicam institutionem, sed ut ordinationem humanam. Unus tantum locus est 1. Epist. ad Tim. 5. 17. unde distinctio illa peti posse videtur. Et hunc Censor unicum pro causa sua citat. At, si is propius videatur, apparet non usque adeo clarum esse, ut solide pro distinctione ista, tanquam Apostolica, adferri possit. Nam in textu non dicitur *Presbyteros* alios esse simpliciter προεστῶτας, & *non laborantes in verbo*, id est, non docentes alios κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, sed inter Presbyteros καλῶς προεστῶτας dicuntur alii esse κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ: alii non. Κοπιᾶν ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, non est simpliciter docere, aut docendi provinciam, veluti laborem, sustinere, neque tantum fideliter aut gnaviter docere, opposite ad eos, qui negligenter & perfunctorie in docendo occupantur; sed cum magno labore, fatigatione, & cura docendi provinciam sustinere, sive quia multi adversarii, sive quia multæ res graves occurrunt, quæ docenti magnum laborem & curam adferunt, præter eam, quæ in cæteris docentibus requiritur, diligentiam & solicitudinem. Hos, inter eos, *qui bene præsunt*, id est, diligenter & gnaviter officium suum in docendo faciunt, præcipue duplici honore dignos, id est, stipendio, aliisque ad functionem istam difficilem sustinendam, necessariis aut utilibus emolumentis, dupliciter dignos esse dicit Apostolus. Quare, quod

Distinctio inter presbyteros docentes & regentes novum εὕρημα est.

Quid sit in Epist. 1. ad Timoth. 5. 17. κοπιᾶν ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ.

quod Censor ait, *idcirco phrasin οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ διακριτικὴν non esse ad eos, qui munus non æque gnaviter agunt, quia alioquin ignavi quoque duplici honore digni forent*, id nimis exile, adeoque futile est. Nam id plane præter mentem Apostoli est, ut jam ostensum fuit, qui eos etiam, qui non laborant in Verbo, recenset inter καλῶς προεστῶτας. Adde, cum honor, de quo hoc loco agitur, ex scopo loci, & sequente vers. 18. *dignus est Operarius mercede sua*, honorarium stipendium significet, quod Presbyteris regentibus tantum & temporariis, ac plerumque annuis aut biennalibus adsignari non solet, adeoque adsignari debere non conceditur, fieri vix potest, ut locus hic de Presbyteris istis intelligi debere credatur. Quod attinet praxin antiquitatis, ex ea vid. id demonstrari posse idoneis documentis, ut Censor asserit, ingentis audaciæ & temeritatis est, adeoque tam clare refellitur à Theologis Anglis, aliisque antiquitatis peritis, ut verbum addere non sit necesse. Hæc tamen, ut jam diximus, sic accipienda non sunt, quasi ordinem sive regimen illud Ecclesiasticum, quod in Ecclesiis Reformatis receptum est, illicitum aut damnandum putemus, sed ut appareat istud tale non esse, quod ab Apostolis in Ecclesiis constitutum, & ubique necessario observandum ad Apostolorum seu præscriptum, seu exemplum, censeri debeat.

Sectione Sexta, inquit Censor, *Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum autoritas limitatur (cessante extraordinaria missione & infallibili instructione) secundum præscriptionem regulæ perpetuæ cum de doctrina tum disciplina: Minus bene, si opposite id intelligatur, quasi primis Ecclesiæ Doctoribus illis regula, quam sequi oportuerit, nulla, certa ac præscripta fuerit, sed solus divinus adflatus & instinctus; Successoribus vero regula scripta fuerit ac præscripta.* Mira Theologia. Quid ergo? An Apostoli, quando à Spiritu Dei adflabantur, opus habuerunt certa aliqua regula, ad quam adflatum istum probarent, utrum rectus & divinus esset? Si non, solus ergo adflatus & instinctus ille divinus regula & norma erat, juxta quam omnia sua componere debebant, nulla alterius regulæ, ut regulæ, consideratione. Si opus habuerunt certa regula, tum adflatus isto divino sic moti non fuerunt, ut intelligerent eum divinum adflatum esse. Si enim id intelligebant, quorsum alia regula opus habebant? Divinus enim adflatus omnium est certissimus: Certum quidem est, Apostolos, cum Iudæis cæteris omnibus, regulam certam habuisse, quam sequi eos oportebat, ubi adflatu & instinctu peculiari Dei non donabantur, sed

Mira Censorii Theologia in hac Censura detegitur.

ubi illo donabantur, ibi regulas omnes cessare, adeoque regulas omnes ad adflatum istum exigere & interpretari eos necesse fuit. Quare, hoc discrimen semper statuendum est inter Apostolos, & subsequentes Episcopos ac Doctores: Quod afflatus Divinus, quo Apostoli à Deo donabantur, norma eorum erat, ad quam Vetus Testamentum, quantum ad rem, quæ afflatu isto continebatur, attinebat, interpretari opus habebant, non contra: Cæterorum vero Episcoporum omnium norma sit hæc ipsa, quæ per adflatum Divinum tradita & scripta est ab Apostolis, adeo ut ad eam, Spiritum omnem, id est, omnem inspirationem, omnem adflatum, omnem interpretationem, quocunque demum titulo veniat, exigere ac probare debeant, non contra. Hæc tyrocinia sunt Religionis Christianæ, quæ turpe est convelli à Doctoribus Academicis, dum impense nimis contradicere volunt iis, quæ à Remonstrantibus alio quam revera ab iis fit, fine adseri autumant. *Apostoli*, inquit, *non ita divinitus recti directiq; fuerunt, ut doctrina suæ informationem à Doctrina sacra V. Test. non acceperint.* Contrarium verum est. Apostoli informationem doctrinæ suæ acceperunt à puro puto Spiritus divini afflatu, & juxta afflatum istum genuinum & verum Veteris Testamenti sensum, quem antea ex doctrina Vet. Test. non percipiebant; imo quem antea male percipiebant, informandum esse didicerunt: *Attamen*, inquit Censor, *passim doctrinam suam eo revocant.* Ita est; Non quia ex ea informationem acceperant, sed quia de ejus recto, atque à Dei Spiritu intento sensu, per spiritus divini afflatum informati erant. Eo vero revocarunt doctrinam suam, quando ipsis cum Iudæis, aliisque res erat, qui afflatum istum divinum nolebant admittere, nisi eum cum V. Test. doctrina consentire adeoque ex ea probari intelligerent. Atque hinc est quod Judæi, hodieque tam difficulter ad Religionem Jesu Christi adduci possint à nobis, qui afflatus istius divini auxilio destituimur, cujus beneficio sensus genuinus V. Test. ut eruatur necesse est: quodque nos qui Christiani jam sumus, doctrinæ V. Test. intelligentiam consequi in multis rebus locisque vix, ac ne vix quidem, possimus, nisi ex Apostolorum informatione, quam à Spiritu divino acceperunt. Quod subjicit levius est: *Mirum est*, inquit Censor, *quod in testimoniis margini adscriptis Timotheum & Titum in Episcopis censeant.* Adeone hoc mirum est, Censor, cum videamus totam pene Antiquitatem eos in Episcopis censuisse, ut prolixe in scriptis suis de diversis Ministrorum gradibus probat Saravia? Vide Eusebium Historiæ Eccles. lib. 3. cap. 4. *Ex Discipulorum Pauli numero fuit Timotheus,*

De Timotheo & Tito an Episcopi fuerint.

Timotheus, *qui Ecclesiæ, quæ est Ephesi, primus Episcopatum obtinuisse creditur. Titus*, *qui Ecclesiis in Creta præfuit*, &c. cui consentanee ad finem Epistolarum Pauli ad Timotheum & Titum diserte uterque Titus & Timotheus Episcopi vocantur. In fine Epist. 2. ad Timot. hæc verba sunt: *Scripta est Roma secunda ad Timotheum*, *qui primus Ephesi ordinatus fuit Episcopus, cum Paulus iterũ sisteretur Cæsari Neroni*. In fine Epist. ad Titum dicitur: *Ad Titum, qui primus Cretensium Ecclesiæ ordinatus fuit Episcopus, scripta ex Nicopoli Macedoniæ*. Si dicas inscriptiones has de substãtia Epistolarũ non esse, & suppositiitias esse, non quidem admodũ refragabimur; attamẽ hactenus merito allegari possunt, ut constet, nõ esse hanc opinionem, quod Titus, & Timotheus Episcopi fuerint, novam, nec Remonst. εὕρημα. Tum quicquid ea de re sit, rationes certe tuæ, quas hic adfers, ut probes, eos Episcopos nõ fuisse, tam sunt leves, ut mirũ sit, si quis propter inscriptionem illam, quæ sane per antiqua est, non malit credere Timotheum & Titum Episcopos fuisse, quam propter rationes has tuas contrarium credere, aut inscriptiones illas in dubium vocare. Vide quæ hac de re prolixe & diserte contra Bezã scripsit Saravia, in libris suis de variis Ministrorum gradibus. Sed hæc res tanti non est nobis, ut propterea litigandum putemus. Operæ pretium fuit ostendere obiter, quas minutias censuerint hi Magistri nostri, ne quid non vidisse crederentur, pro acumine suo Scholastico.

Sectione septima nihil taxat, sed ex obliquo tantum, & per suspicionem, more suo, Declarationis verba in calumniam trahere studet. Dixerant Remonstr. ex eo, quod Episcoporum & Presbyterorum omnium munus sit, juxta propositam ab Apostolis formam Ecclesias docere, ac regere, manifestum esse, aliis in alios imperium ac potestatem, nullo jure divino, competere: Se tamen idcirco omnino improbare nolle, multo minus superbe rejicere gradus illos docentium ac regentium, qui in variis Christi Ecclesiis ordinis & decori sive εὐταξίας conservandæ causa, jam olim instituti sunt, & passim adhuc obtinent, si modo ii tandem non degenerent in tyrannidem, & dignitatis, potestatisque cujusdam mundanæ potius, quam Spiritualis ministerii, & Christi Discipulos decentis modestiæ speciem præ se non ferant: Ex hac tam innoxia Remonstrantium periodo arripit, quod de gradibus inter Presbyteros docentes & regentes dicitur: *Scilicet, id ab ipsis insertum est*, inquit, *ut pietatis Ordinum Holl. authori, id in regimine desideranti, hic subscribant*. Calumniose sane & impudenter. Verba ipsa innuunt, id ab ipsis factum in gratiam Ecclesiarum, Calumniæ Censoris.

 clesiarum,

clesiarum, in quibus gradus istos locum habere, nemini ignotum est. Quibus sane, si favit, hodieque adhuc favet Vir Clarissimus D. Grotius author eruditissimi & utilissimi istius libelli, cui titulus est, *Pietas Ordinum Hollandiæ*, quid mirum? Causas sine dubio gravissimas & ex ipsa antiquitate petitas habet Vir prudentissimus: cujusmodi non paucas à Theologis Magnæ Britanniæ, ubi gradus isti obtinent, passim allegari constat. *At, quinam isti gradus sint*, inquit Censor, *non explicant*: Imo vero tantum non exerto digito eos designant, cum dicunt, *qui in variis Christi Ecclesiis instituti sunt, & adhuc obtinent*; quas Reformatas Ecclesias esse Censor ipse diffiteri non audet, quales sunt Ecclesiæ Anglorum, ubi Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi &c. Lutheranorum, ubi Pastores, Superintendentes, &c. sunt, aliorumque ubi Episcoporum, pastorum, coadjutorum, Decanorum &c. gradus ac nomina sunt. Variant enim gradus, pro ratione quantitatis Ecclesiarum & locorum, in quibus Ecclesiæ collectæ sunt, diversa constitutione. Quare, dubitativa ista particula opus non erat, qua utitur Censor, cum ait: *Forte in Diaconis, Archidiaconorum, & Subdiaconorum: in Presbyteris, Archipresbyterorum, atque Decanorum: in Episcopis, Archiepiscoporum, &c. ordines intelligunt.* Imo vero & hos, & alios, qui aliis in locis vigent, intelligunt. Nec enim adeo præsumtuosi sunt, ut ordines istos, qui in Ecclesiis Anglicanis obtinent, tanquam illicitos damnent: Nec adeo contentiosi, ut cum Puritanis, Brunistis, aliisque propterea in partes eundem, & ab Ecclesiis istis secedendum esse arbitrentur, quod ordines isti, tanquam ab Apostolis instituti, & ab Antiquitate tota observati, ibidē in usu sint, vel εὐταξίας causa in illis locum habeant, si modo ii, in tyrannidem non degenerent, quod expresse cavent Remonstrantes. Mirum vero merito hic videri debet, quod Censor ordines hos, & propter eos Ecclesias Anglicanas, aliasque ubi illi vigent, ex obliquo taxare, & tantum non damnare audeat; cum obscurum non sit, primos Reformatores nihil æque male habuisse, quā quod ordines & gradus hi proscripti essent ex Ecclesiis, eosque proinde reducere studuisse, ubi ubi potuerunt. Vide quæ ea de re prolixe citat testimonia Saravia in Defensione tractatus sui de diversis Ministrorum gradibus, Cap. 16. pag. 158. 159. 160. 161. Deinde, constat etiam Censorem hunc, aut præcipuos, qui cum eo sentiunt, ab ordinibus istis alienos non esse, adeoque eos in patriam nostram ad instar Anglicanum, introductos velle & optare. Quod ne temere quis à nobis adseri credat, en testimonium Sole clarius, quod paucis abhinc mensibus

Varios Ministrorum gradus non præcise urgent, multo minus ut illicitos damnant.

Puritanorum & Brunistarum error.

mensibus hac de re dedit *Georgius Carleton*, Episcopus Chicestriensis, qui Regis M. Britanniæ nomine, Synodo Dordracenæ interfuit, & ex præcipuis eorum, qui ex Fœderato Belgio ad eam Synodum Deputati erant, id se coram intellexisse asserit, in libro suo, quem nuper edidit contra authorem libri, *Appello ad Cæsarem* pag. 111. *Cum eo res venisset, ut consentiremus in Confessionem Belgicam Dordracenam, publice protestatus sum in Synodo, Peregrinam esse propositionem illam, quæ in Confessione extat, qua statuitur paritatem Ministrorum à Christo institutam esse: Declarabam apertè meam ab ista propositione dissensionem. Ostendebam nusquam à Christo in Ecclesia* ἰσοτιμίαν *istam institutam esse: Duodecim Apostolos ab eo ordinatos fuisse, & 70. Discipulos: Duodecim Apostolorum autoritatem supra alios fuisse. Ecclesiam hunc ordinem, à Christo relictum, constanter retinuisse*, &c. Et paulo post: *Et hac in re provocabam ad judicium Antiquitatis, & Doctorum omnium virorum, qui adhuc in vivis sunt, adeoq; postulabam hac in re satisfieri mihi, an Doctorum ullus contrarium sustinere posset. Dominus Salisburiensis testis mihi est, & omnes, quos mihi Socios habebam: Omnes enim in eandem sententiam loquebamur. Et ad hoc nemo erat qui respondebat. Vnde colligebamus, omnes protestationi isti nostræ annuere.* Nota, quod in Synodo hac tres Censores nostri Ioannes Polyander, Antonius Thysius & Antonius Walæus sederunt, unde non obscure colligere est Rivetum, quartum horum Censorum, qui tum adhuc in Galliis erat, Censuram hanc scripsisse, ignarum scilicet eorum, quæ in Synodo acta fuerant, & quid Collegæ sui in sinu foveant. Pergit Episcopus. *Possum etiam narrare id, quod ego solus, & seorsim à cæteris Collegis meis, tum ex iis cognovi. Nam conferebam cum diversis, iisq; doctissimis in ista Synodo: Dicebam iis, causam turbarum omnium istarum, quas patiebantur, hanc esse, quod Episcopos non haberent in Provinciis, quorum autoritate reprimi possent turbulenti homines, novitatum authores. Quemlibet pro libitu suo quidvis loqui & scribere. Hinc, quamdiu Ecclesiastici nulli essent, quorum autoritate contentiosi isti homines in officio retinerentur, aut censuris notarentur, Ecclesias eorum nunquam pacatas fore, aut sine turbis. Respondebant: Multum se honorem & reverentiam deferre bono ordini, ac disciplinæ Ecclesiæ Anglicanæ, & libenter, atque ex toto animo se cupere ordinem istum in Ecclesiis suis stabilitum; sed id hoc rerum statu, vel in statu hoc sperari non posse. Nihilominus se sperare, cum non possent facere quod vellent, Deum propitium sibi futurum, ut facerent quod possent, Hoc erat eorum responsum. At hoc* (NB.) *credo sufficere ad eorum excusationem, quod videlicet aperte non tueantur*

Censorum & Calvinianorũ quorundã qui ad Synodum Dordracenam convenerant cum Episcopo Chicestriensi collatio de Ministrorum gradibus, unde quid de hac eorum Censura judicandum sit, optime perspicitur.

ἀναρχίαν & popularem confusionem: Res est: Sub onere isto ἀναρχίας scilicet gemunt, & ab eo liberari cuperent, si possent. Et hæc optime norunt omnes, qui in Synodo ista adjuncti mihi fuerunt. En, quid optent, quid cupiant, quid ambiant, quid affectent ii, qui, quod de gradibus his obiter inseruerant Remonstr. censere non erubescunt, aut ut censeatur, non reclamant. Ad id quod quærit: *An non ita inter Patriarchas processu quodam parili ordinis & cõsensus, primatus quoque οἰκουμενικὸς, id est, universalis totius orbis, seu, ut vocant, Papatus perinde stabilietur?* Respondetur, dubium non esse, quin periculum ejus rei sit. Per gradus enim ascendit ambitio, nec quiescit priusquam culmen attigerit. Sed periculo isti obviam eundum est, quantum fieri potest. Obices & repagula omnia ponenda sunt, quo minus ad istum gradum perveniat, prout hic monent Remonstr. Scimus id difficile admodum esse. Sed & scimus, eam esse conditionem rerum humanarum, ut pericula omnia evitari non possint; optimis rebus sua semper aut adstant pericula, aut adnascuntur. Quod adeo verum est, ut in ipsa ἀναρχία periculũ sit Papatus. Fere enim ex consilio & arbitrio unius, qui cæteris judicio pollet, omnia geruntur. Atque is, etiamsi titulo careat, reipsa Rex, monarcha, & dictator est. Tum ex altera parte ἀναρχία aut ἰσοτιμία sua etiam habent pericula, & incommoda, quæ Papatu sæpe non sunt leviora. Vera sane ἀναρχία Tyrannide multo pejor est: ἰσοτιμία vero pessimæ confusionis mater est, quando plures adversum paucos bene consulentes insanis consiliis & pertinacibus studiis certãt, & suffragia eorum, qui adhuc pulverem trivialem olent, in bilance appenduntur, cum suffragiis eorum, quos ætas, prudentia, & experientia longe supra neophytos istos & imberbes sæpe adolescentulos extollunt. Breviter: Nullus status, nullum regimen, nullus ordo dari potest; cui non adhærent magna pericula. *Optimus ille est, qui minimis urgetur.* Talis status iste est, qui inter effrænem licentiã, & superbam tyrannidem, veluti inter Scyllam & Charybdim, medium semper cursum tenet. Atq; hoc est illud, quod Remonstrantes in declaratione sua unice monitum atque consultum voluerunt, haud gravate alioquin concedentes, ut quælibet Ecclesia (quando universalis consensus sperari per orbem Christianum vix potest) pro ratione temporum, personarum, locorum, aliarumque circumstantiarum, ejusmodi regiminis formam condat quam promovendæ pietati, caritati, & paci ac concordiæ Christianæ convenientissimam, & minimis periculis, atque incommodis obnoxiam esse animadvertit, aut persuasum sibi habet.

Cautio qua mediam vitam inter Papatũ & ἀναρχίαν tenendam esse docetur.

EXA-

EXAMEN CENSURÆ CAP. XXII.

De Ecclesia Iesu Christi, ejusque notis.

IN hoc capite non agitur nisi de Ecclesia Christi, quæ per Ministros illos, de quibus Cap. præced. actum fuit, colligitur. Id indicant satis aperte verba Declarationis; *Porro Cætus illi, qui aut publica horum Ministrorum opera, aut alioquin per verbum Euangelii quocunque modo prædicatum, lectum, auditumve, in unum quasi corpus congregantur.* Quare inepte hic Censor postulat agi *de Ecclesia Veteris Test. At titulus tamen est*, inquit, *de Ecclesia Iesu Christi in genere, quæ utramq; Ecclesiam tum N. Test. tum Vet. comprehendit.* At per Ecclesiam Jesu Christi, Ecclesiam Jesu Christi patefacti, & revelati in carne tantum intelligunt, ut ex reipsa & connexione Capitis hujus cum præcedente manifestum est. Quo ipso propositum non habuerunt negare fideles V. Test. ad Ecclesiam Iesu Christi ullo modo pertinere, & per Christum aliquando salvatum iri: Absit: Nihil minus: Sed de Ecclesia N. Test. tantum egerunt, quia istud ordo & series tractationis postulabat. Quod attinet quæstiones illas, An Ecclesia V. Test. eadem specie fuerit Ecclesia, cum Ecclesia N. Test. Sive, An eadem specie fides in Iesum Christum à Deo præscripta fuerit sub V. Test. quæ sub novo, an eadem præcepta & promissa sint sub V. Test. quæ sub novo, aliasque ejus generis plures, ut eas hic in sua Declaratione tractarent & deciderent, nec necessarium nec operæ pretium putarunt. Quid enim hoc ad Christianum hominem facit, sive quæstiones illas sciat sive nesciat? ut quis Christianus sit, & ad Ecclesiam Iesu Christi hodie pertineat, ea sola fide opus est, quæ in N. Test. præscribitur; istis præceptis obediendum, istis promissis fidendum, quæ in Euangelio tradita sunt, quod fieri posse sine quæstionum illarum scientia, aut decisione, quis adeo cæcus est, qui non videat? Tum quicquid de istis dixeris, haud magnopere contendent Remonstr. Sufficere credunt, si, quod Euangelium aperte testatur, Nemini unquam Iustitiam & salutem ex operibus Legis, sed per gratiam Iesu Christi obventuram esse, aut obvenisse, extra dubium ponatur. Cætera Scholis relinquunt, & curiosis disputatoribus, qui vix haberent quo juventutem vexarent & torquerent,

Cavillatio Censoris de Ecclesia V. & N. Testamenti ut frivola & inepta obiter diluitur.

rent, si quæstionibus istis veluti fidiculis destituerentur. Quid interim de hisce quæstionibus obiter statuant Remonstrantium salvo aliorum judicio, jam ante sæpius per occasionem indicarunt. Quæstiones enim hæ per totam Censuram veluti Scholæ quædam cantilena sunt, quam Censores singuli eodem pene accentu ubique cantillant.

Sectione prima, censetur disjunctiva Remonstrantium oratio; *Quia Ecclesiam Christi congregari dicunt aut publica Ministrorum opera, aut alioquin per Verbum Euangelii, quocunque modo prædicatum, lectum, auditumve: Sic*, inquit Censor, *disjunctim plures modi constituendæ Ecclesiæ proponuntur, & opponuntur, quasi qualiscunque prædicatio, lectio auditioque Scripturæ, per se singula, sufficientia & solitaria esse possint media, & causæ Ecclesiæ, cum sane hæc media, privata sc. lectio & publica prædicatio, non disjunctim sed cõjunctim sint accipienda ex divina ordinatione.* Quam inscita sit hæc Censura pene ex terminis apparet: statuit enim fieri non posse, ut quis per privatam Lectionem Scripturæ Sacræ, sine publica Euangelii prædicatione, adducatur ad amplectendum & profitendum Religionem Iesu Christi, & sic ex Iudæo, Turca, pagano aut profano, evadat Ecclesiæ Iesu Christi membrum. Quid vero inscitius à Reformato dici potest, qui statuit aut statuere debet, si convenienter principiis suis loqui vult, uti quidam eorum etiam aperte loquuntur & scribunt, Scripturam Sacram adeo claram & perspicuam esse in iis, quæ ad salutem necessaria sunt, ut à quolibet privato, etiam sine interpretatione, possit intelligi, & privato cuilibet lectionem ejus à Deo mandatam: cum vero etiam prædicatum verbum reipsa idem sit quod lectum, & ea possint incidere tempora, ut prædicatio Verbi publica, imo & privata haberi non possint: Quid? an isto casu lectio Sacræ Scripturæ medium sufficiens non est ad hoc, ut quis vere Christianus fiat? Misera itaque foret, hodieque esset multorum conditio, quos aut tyrannis, aut carcer, aut locorum distantia, aut doctrinæ totius corruptio, hic illic publica verbi prædicatione distitutos vivere cogunt. *At vero*, inquit Censor, *quomodo alias usus & necessitas Ministerii publici & ordinarii perpetuique constabit?* Quasi vero usus & necessitas Ministerii publici & ordinarii perpetuique sit absoluta, & non ex hypothesi vel temporis, si videlicet ministerium publicum exerceri possit, vel divinæ voluntatis, quia videlicet Deus, quando impossibile non est ut exerceatur, id perpetuo exerceri voluit, ad meliorem veritatis suæ conservationem & propagationem, Publicum enim Ministe-

Refellitur Censura qua privatam S. Scripturæ lectionem citra prædicationem sufficiens medium ad conversionem esse negatur.

Diluitur instantia Censoris.

Ministerium Verbi necessarium est, quia Deus id semper obtinere voluit, cum obtineri potest. Deus autem non voluit illud obtinere, quia præcise necessarium est ad semper, & pro semper, ut loquuntur, cum fieri possit ut quis per Verbum Dei lectum, aut auditum ad fidem Iesu Christi tum amplectendam, tum profitendam adducatur, atque ita fiat Ecclesiæ Iesu Christi membrum. Et hoc est illud, quod in Thesibus suis optime dixit Claris. Vir Episcopius. Sed nos fontem, unde hæc tam inscita Censura orta est, videamus. Eum sequentia indicant: Dixerant *Remonstrantes*, *Ecclesiam aliud nihil esse, quam cœtum hominum per Euangelium vocatorum, & in Iesum Christum credentium, aut saltem nomen & doctrinam ejus, tanquam salutarem, ore profitentium. Hæc*, inquit Censor, *non est plena & adæquata Ecclesiæ Catholicæ definitio, sed partialis, seu Ecclesiæ specialius acceptæ, &c. At Ecclesia in plena rectaque definitione non à personis tantum credentibus, sed à statu tum interno tum externo definienda erat: quæ & Christum caput totumque Ministerium sacrum, ejus media colligendæ & confirmandæ, ordinemque insuper comprehendit, ut in sacris passim definitur.* Ex hoc fonte nata est prima censura. Nempe, ut postea ait: *Ecclesia est definienda statu & ordine, quemadmodum Respublica seu civitas: ubi status ordoque non est*, ait Censor, *ibi neque est Ecclesia.* At hæc omnia gratis adseruntur. Quod ut pateat, altius paulum res repetenda est. Ecclesiæ, de qua hic agitur, vox, in Scholis fere aliter accipi solet, quam in Scripturis. In Scholis accipitur pro cætu & statu formato & certo quodam ordine modoque coadunato: qualis status & cætus est, ut Bellarminus ait, populi Romani, vel regni Galliæ, vel Reipubl. Venetorum. At in Scripturis rarissime ejusmodi statum significat: sed plerumque simpliciter multitudinem (magnam, parvam) credentium in Christum, aut religionem ejus simul profitentium, nulla habita ratione ad definitum statum & ordinem, qualis in Repub. sive civitate est: quæ multitudo corpus Christi dicitur, & unum corpus, adeoque Christus ipse, 1.Cor.12.12. Apparet id non tantum ex locis istis, ubi Ecclesiis dari & præfici dicuntur Presbyteri, imo ab Ecclesiis Presbyteri eligi; ubi Christus Ecclesiam suam collegisse; denique ubi Ecclesia etiam in domo & familia alicujus esse dicitur; sed & ex locis illis ipsis, quæ in Declaratione perperam à Remonstrantibus allegata Censor esse dicit, & ex quibus definitionem suam liquere vult. Locus enim Matth.16.18. agit manifeste de Ecclesia, contra quam portæ inferorum non prævalebunt: At contra Ecclesiam, quatenus statum & ordinem significat formatum, quis dixerit portas inferorum

De notione & significatione Vocis Ecclesiæ ex S. Scripturæ sensu.

Quid Ecclesia significet Matth.16.18.

non prævalituras? Portæ enim inferorum inferi ipsi sunt, id est, status & conditio mortuorum: ut portæ mortis sunt mors, veluti antea prolixe à nobis demonstratum est: At mors & mortis vis ad Ecclesiam, ut cætus & status est, non pertinet; cætus enim, qua cætus, non moritur, sed ad Ecclesiam, ut Ecclesia homines credentes & in fide Iesu Christi morientes significat. Locus etiam Matth. 18. 17. (quamquam is paulo videtur speciosior) agit de Ecclesia, quatenus multitudinem quandam significat eorum, qui in Christum credebant, & doctrinam ac religionem eandem Christi profitebantur, non quæ jam certo ordine ac statu formata erat. Neque enim ejusmodi Ecclesiam Christus Dominus adhuc instituerat, sed quæ numerum tantum magnum piorum fratrum faciebat, quorum hortationem & judicium pluris facere, aut saltem non æque facile adspernari debet injuriator, uti judicium duorum aut trium testium, de quibus antea dixerat Christus. Scopus enim Christi hoc loco tantum est monere, ut quisque pro virili sua id agat, ut fratrem suum peccantem, id est, à quo injuria affectus est, adducat ad resipiscentiam, sic enim futurum ut lucretur fratrem suum. Modum autem, quo id tentare debet, triplicem indicat Christus, quorum ultimus est, ut eum à multis, adeoque, si fieri possit, omnibus fratribus, qui Ecclesia hic vocantur, officii sui moneri curet, si forte ista via ad sanam mentem reduci possit. Æquissimum enim esse, ut quis non refragetur multorum, adeoque omnium piorum fratrum consentientium hortationibus, in re quæ manifesti juris est, cum videlicet agitur de notoria injuria, & contra quam excipi non potest. Et hac significatione usurpatur in Scripturis frequentissime, si non semper, vox Ecclesiæ. Nunquam vero, aut saltem omnium rarissime eo sensu, quo Censor hic & Pontificii fere eam accipere solent, nedum ita, ut presbyterium vel Collegium Pastorum & seniorum quorundam, Ecclesiam totam repræsentans significet. Quare falsum est quod Censor ait, *ubi status ordoque non est, ibi non est Ecclesia*, si significatio vocis Ecclesiæ, prout eam Scriptura usurpat attendatur: Status ad Ecclesiam, qua Ecclesia est juxta Scripturæ phrasin, non pertinet: imo Ecclesia semper ante statum est: Hinc Ecclesia nunquam Pastorem in Scripturis complectitur. Nec mirum, Pastor est Ecclesiæ Pastor. Ecclesia dicit quidem relationem ad docentem vel vocantem, sed non ut cum illo ordinem & statum formans, sed ut illius doctrinæ subscribens. Hinc Ecclesias colligebant aut faciebant Apostoli, quibus ordinarios presbytero multo post curabant præfici, *Deinde*, inquit

Quid significet Ecclesia Matth. 18. 17.

Ecclesia rarissime significat in Scripturis statum formatum.

quit Cenſor, *in ea notione, qua Eccleſia ad perſonas refertur, non generali utuntur definitione, ſed ſub ratione diſtributionis viſibilis & inviſibilis, ſeu credentium jam & profitentium ſaltem actione, eam definiunt. At vero hæc fides & profeſsio in definitione Eccleſiæ non disjunctim, ſed conjunctim accipienda eſt. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore fit confeſsio ad ſalutem.* Iuxta hanc Cenſuram Eccleſia nulla viſibilis eſt, quæ non ſimul etiam inviſibilis eſt: Id eſt, nulla eſt Eccleſia, quæ non quod ore profitetur, etiam corde credit: quod abſurdum eſt. Locus ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſsio ad ſalutem*, non dicit quid illud ſit, quod Eccleſiam viſibilem conſtituit, ſed tantum quid requiratur ad id, ut Eccleſia, quæ viſibilis eſt, Deo grata ſit, & juſtitiæ ac ſalutis particeps fiat. Definitio itaque Eccleſiæ, quam hic facit Cenſor, cum eam vocat cætum in Ieſum credentium, & nomen ac doctrinam ejus ſalutarem, non *ſaltem* ſed *revera* profitentium, certo ordine & ſtatu cum Chriſto per miniſtros certoſque ritus conjunctorum, abſurda videri debet. Nam definitio iſta non pertinet ad omnem Eccleſiam. Non enim Eccleſia omnis eſt cætus vocatorum revera credentium in Ieſum Chriſtum, & ſimul revera Chriſtum profitentium. Eccleſiæ viſibili, qua viſibilis eſt, hoc non competit. Hæc enim pro vera Eccleſia habenda eſt, quando & quamdiu ſalutarem doctrinam profitetur, etiamſi fide vera prædita non ſit, & corde non credat, quod profitetur, uti apparet ex eo, quod Eccleſiæ iſti, ut Chriſti Eccleſiæ nos adjungere debeamus, cum tamen an vere credat, quod profitetur, ſcire non poſſimus, nec ut ſciamus, neceſſe ſit. Tam diu enim præſumitur eſſe bona & vera Eccleſia, quamdiu non apparet contrarium. *At*, inquit Cenſor, *iſta Eccleſia non eſt niſi æquivoce Eccleſia.* Sane coram Deo, qui corda ſcrutatur: At non apud Chriſtianos, qui Eccleſiam omnem pro vera Dei Eccleſia habere debent, quæ ſalutarem Chriſti Doctrinam profitetur, ſive corde credat, ſive non credat. Deinde, omnis Eccleſia certo ordine & ſtatu cum Chriſto per miniſtros certoſque ritus conjuncta non eſt. Id enim de Eccleſia inviſibili verum non eſt, & ad tempora iſta referri non poteſt, quibus ordo & ſtatus ille, ut habeatur, impoſſibile eſt, manentibus tamen iiſdem Chriſtianis credentibus & ſalutarem Chriſti doctrinam profitentibus. Quod addit Cenſor, multo eſt abſurdius. *Quin imo*, inquit, *ut plena ſit definitio, præponendum erat ad vocatorum cætum, Electorum, ut recte Catecheſis noſtra habet.* Eccleſia itaque non eſt vera Eccleſia, niſi quæ ex Electis conſtat, & quidem ejuſmodi Electis, quales Cenſor noſter ſtatuit.

An fides & profeſſio in definitione Eccleſiæ non disjunctim ſed conjunctim accipiendæ ſint.

Eccleſia omnis, quæ ſalutarem veritatem profitetur, pro vera Dei Eccleſia à nobis habenda eſt, etiamſi veritatem iſtã corde non teneat & vera fide non apprehendat.

Refellitur inepta cenſura quæ Eccleſiam non recte definiri ait, qua

in ea voci, vocatorum, non præponitur vox electorũ. At cum Electio, unde electi isti vocantur, merum sit figmentum Calvini, Ecclesia etiam vera nil nisi figmentum erit. Deinde, quorsum hæc vox, Electorum? An vox vere credentium non sufficit, cum fides non sit nisi ejusmodi, ut Censor vocat, Electorum? Et, cum vox vocatorum, significet juxta Censorem, vocatos cum effectu, id est, ut Censor ait, vocatos interne & externe, quorsum vox Electorum? Sic enim indicari videbitur quasi vocentur aliquando externe & interne nonnulli, qui tamen electi non sunt, quod Censor nunquam admissurus est.

Qui per vocatos intelligantur in definitione Ecclesiæ. Interim per vocatos, unde Ecclesiæ appellatio seu notatio est, intelligi debere vocatos, non secundum actum vocandi exterius tantum, sed interius, sive, juxta propositum (Electionis scil.) vanum ac falsum est. Electio & vocatio, qua non exterius tantum, sed & interius certæ personæ nominatim electæ vocantur, merum commentum sunt. Fides etiam & cordis sinceritas ad constituendam Ecclesiam, quæ à nobis pro vera Ecclesia habeatur, non requiruntur. Etsi enim ad hoc, ut Ecclesia Deo grata sit, plane requirantur, neutiquam tamen requiruntur ad constituendam definitionem Ecclesiæ, quæ à nobis in hoc mundo pro Ecclesia vera habenda & definienda est, cui nos adjungere, quam adire, & cum qua communia sacra habere debeamus. Hanc sola constituit salutaris doctrinæ professio. Atque hanc visibilem Ecclesiam appellant Remonstrantes. Quod si definitio illa Censoris admittatur, nunquam sciri poterit, quæ sit visibilis Ecclesia ista, quæ à nobis pro vera Dei Ecclesia habenda est.

Sectione III. & IV. censentur illa verba Declarationis, quibus definitur, quæ salutaris illa doctrina sit, cujus fides Ecclesiam invisibilem & cujus professio Ecclesiam visibilem constituat; Videlicet, *Non omne illud, quod doctrina Christi quoquomodo continetur, adeo perfecte cognitum habere, ut in nullo prorsus articulo, in nullave sacra Historia aut sensu sacræ Scripturæ erres aut hæsites: Sed id saltem probe tenere, sine quo Fidei & obedientiæ mandata rite observari, & proinde venia peccatorum & salus æterna obtineri, ex Dei ipsius sententia, nequeunt.*

Refellitur ineptissima Censura adeoque periculosa, quæ fidem & obedientiam pariter in mãdatis poni negat. *Hic primo*, inquit Censor, *ubi quæso fides & obedientia pariter in mandatis ponuntur, quæ rite observari oporteant?* Indigna sane, non dico Doctore Theologo, sed Christiano, quæstio: Quid enim clarius in Scripturis est, quam fidem mandari, & mandari pariter obedientiam? Verba Iohannis sunt 1. Epist. 3.23. *Hoc est igitur ejus mandatum, ut credamus nomini Filii ejus Iesu Christi* (En mandatum fidei) *& ut diligamus alii alios* (En charitatis sive obedientiæ, qua parte proxi-

proximum & fratrem ſpectat, mandatum) & ut plenior ſit oratio, addit Apoſtolus, *Sicut mandavit nobis.* Similiter, quomodo fidem pariter atque obedientiam mandari clarius evinci poteſt, quam cum Apoſtolus id, quod ad Galatas fidem vocat, cum ait cap. 5. 6. *In Christo Ieſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed fides per caritatem operans*, in 1. ad Cor. 7. 19. *obſervationem mandatorum Dei vocat*, cum ait, *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.* *Imo vera*, inquit Cenſor, *Fides & obedientia mandatorum ſubjectis & objectis diſtinguuntur.* Itane, Cenſor, ſubjectis? Quod ergo fidei & quod obedientiæ ſubjectum eſt? An fides in intellectu eſt, obedientia in voluntate? At hoc tu ipſe Cenſor in Synopſi purioris Theologiæ negas: Et cum fidem etiam hic mandari fatearis, ut id neges, neceſſe eſt. Actus enim intellectus mandato non ſubjacent. Et ſi utraque in voluntate eſt, quomodo diſtinguuntur Subjectis? *Mandatur quidem fides*, inquit Cenſor, *& dicitur obedientia fidei, ſed aliter fides mandatur, aliter obedientia.* Inepte; utrumque mandatur, ſub ejuſdem præmii promiſſo & ejuſdem pœnę comminatione; Ergo eodem prorſus modo mandantur. *At*, inquit Cenſor, *Fides, ut Deum ipſum ejuſque promiſſiones & Chriſtum, ejuſque officia, merita, & beneficia reſpicit, ita mandatur, ut ea apprehendamus & recipiamus, qualiter oculus rem objectam.* Eſto. At hoc non eſt oſtendere fidem aliter mandari quam obedientiam, ſed Fidei, quæ eodem plane modo mandatur, quo obedientia, actum alium eſſe, quam eſt actus obedientiæ proprie dictæ, vel ſtricte ſumtæ, puta quam eſt actus dilectionis, temperantiæ, juſtitiæ, &c. Deinde, quid eſt fidem ita mandari, ut apprehendamus & recipiamus officia, beneficia & merita Ieſu Chriſti? Id exponit Cenſor hunc in modum, *id eſt, ita ut patiamur potius, quam agamus proprie: at vero, obedientia mandatorum dicitur de moribus & actionibus proprie.* Atqui, juxta hunc ſenſum, aliter patientia, aliter liberalitas, aliter temperantia, quæ actiones virtutis & obedientiæ ſunt, mandari dicentur. Patientia enim mandatur ita ut patiamur potius, quam agamus. Quid ineptius? Tum falſum eſt, fidem ita mandari, ut patiamur potius quam agamus. Fidei actus formalis eſt confidentia ſive fiducia, quæ eſt roboratus voluntatis actus, non mentis paſſio: Et actus multo gravior, difficilior, &, ut ita dicam, actuoſior, quam actus cæterarum virtutum. Vnde non ſine cauſa adeo ſolicite, imo plus quam cæteræ virtutes (nedum, ut vult Cenſor, non pariter) à Deo imperatur. Fide enim vigente, cæteræ omnes virtutes vigent. Credenti

An fides & obedientia ſubjectis & objectis diſtinguātur.

Abſurda Cenſura; Fidem mandari, ita ut patiamur potius quam agamus.

enim omnia non possibilia tantum sunt, sed & facilia ac levia. Addit; *Quin Fidei & obedientiæ mandatorum, seu observantiæ, ex æquo veniam peccatorum & vitam æternam attribuunt.* Phrasis, ex æquo, æquivoca est. Si eam pro *æque principaliter* accipiat Censor, tum injuriam facit Remonstrantibus. Fidei enim, ut principi, duci, matri ac fonti obedientiæ, veniam peccatorum & salutem adscribunt. At si eam pro *conjunctim* accipiat, tum agnoscunt Remonstrantes se fidei, quæ & quatenus conjunctam sibi habet obedientiam stricte sumtam, sub qua propositum obediendi, cum videlicet actus obedientiæ specialiter exerceri non possunt, comprehenditur, ac proinde obedientiæ etiam ex fide profectæ, veniam peccatorum & salutem æternam adscribere. *At hoc nihil aliud est*, inquit Censor, *quam justificationem & salutem fidei & operibus indistinctum, seu conjunctim tribuere.* Ita est: Scripturam sibi præeuntem habent, non tantum in famoso illo loco Iacobi, cap. 2, ubi diserte dicitur; *Concludimus ergo hominem justificari ex operibus, & non ex fide tantum:* sed & in aliis plus quam mille locis, ubi operibus bonis remissio peccatorum & vita æterna attribuitur. De venia peccatorum vide manifesta loca Matth. 6. 14. *Nam si remiseritis hominibus suos lapsus, remittet etiam vobis Pater ille vester cælestis: Sin autem non remiseritis hominibus ipsorum lapsus, nec Pater vester remittet vobis offensas vestras*; Hinc Luc. 6. *Remittite, & remittetur vobis.* Et Matth. cap. 18. 35. *Ita Pater ille meus cælestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris lapsus eorum.* Similia loca plura sunt. Vide Ezech. 18. & 33. Iacob 5. 19. 20. &c. Imo, si quis recte animum advertat, comperiet totidem, si non plura, enuntiata in Scripturis exstare, quæ conditionem bonorum operum requirunt, ut remissionem peccatorum consequamur, quam quæ conditionem fidei simpliciter ita dictæ postulant. De vita æterna, quod ea promittatur & tribuatur bene operantibus, res plana est: Videantur tantum cap. 5. 6. 7. Matthæi, cap. 2. ad Rom. à vers. 6. usque ad vers. 12. Hebr. 12. 14. &c. Sed, quia hoc Censor ipse cum suis admittit, à probando eo pluribus supersedebimus. Ex his, quo jure hoc Socinianum vocetur à Censore, facile est colligere. Cætera, quæ ad justificationis negotium pertinent, videantur cap. 11. ubi de iis ex professo & plene actum est; Eo lectorem remittimus, prout Censor hic facit. Quæ porro ad definitionem eorum, quæ creditu sunt necessaria hoc loco à Censore animadvertuntur, ea jam ante sæpius & fuse ventilata sunt. Similitudo mater est fastidii.

Diluitur æquivocatio Censoris, unde Censuræ vanitas patet.

Sectio-

Sectione V. censetur *definitio visibilis & adspectabilis Ecclesiæ.* Sine causa. Definitiones arbitrariæ sunt. Remonstrantes definiunt Visibilem Ecclesiam, qua talem, & quatenus à nobis in hac terra Ecclesia Christi pro vera Ecclesia habenda est. Non diffitentur veram Christi Ecclesiam, quæ Deo & Christo placeat, vitæque æternæ particeps sit futura, esse non posse sine vera fide in Christum, sed ad id, ut à nobis vera Christi Ecclesia habeatur, cui nos adjungere possumus ac debemus, negant requiri fidem: Sic enim nunquam sciri à nobis posset, quæ sit Visibilis Christi Ecclesia, cum qua communio nobis colēda est, quod per se absurdissimum est.

Vindicatur definitio visibilis Ecclesiæ.

Sectione VI. Ecclesiam *Catholicam* ex proprietate vocis Catholicæ definiverunt Remonstrantes. An generalissime aliquando accipiatur, ut Censor ait, disputare nolunt; Ecclesiam tamen Triumphantem, quam appellant, sub ea comprehendi nec posse, nec debere arbitrantur: Ecclesia enim triumphans non est Ecclesia aut credentium aut profitentium fidem. Fides enim locum non habet, ubi triumphus est. Visio ibi est, & præmium vel τέλος fidei, non fides, non obedientia, nedum fidei aut obedientiæ professio prout diserte videre est. 1. Cor. 13. 12. 13. Sed nec de hac re magnopere volunt contendere. Quod post hæc quærit, ex occasione parentheseos, quæ in paragrapho hoc obiter legitur (*manente interim salva atque integra Ecclesia Catholica*) quo sensu ea accipiatur, id alienum plane est, & non nisi per vim ac violentiam huc rapitur. Totus enim paragraphus iste est directus contra Pontificios, qui aspectabilem aliquam Ecclesiam semper in terris sartam tectam conservari asserunt quæ adiri & consuli potest ac debet, tanquam omnium controversiarum & litium arbitra. Parenthesis vero ista (*manente interim salva atque integra Ecclesia Catholica*) per prolepsin tantum addita est, ut occurratur objectioni frequentatæ à Pontificiis: An ergo visibilis Christi Ecclesia possit omnino deficere in hoc mundo? quasi diceretur, omnino; sed posito, quod Particulares omnes visibiles Ecclesiæ deficerent, nihil obstaret tamen, quominus maneret Ecclesia Catholica, id est, fideles & pii hic illic dispersi per universum mundum, qui, si in unum omnes convenirent, Ecclesiam aspectabilem in mundo facturi essent; at quia dispersi sunt, Ecclesiam talem facere non possunt. *Attamen*, inquit Censor, *anceps est oratio. Declaratione res eget, an intelligant manere salvam & integram Ecclesiam Catholicā, quod, licet in terris universa deficiat, ejus altera tamen pars in cælis permaneat; an vero de possibilitate quidē deficiendi, non autem actu eventuq;*

Definitio Ecclesiæ Catholicæ declaratur.

Parenthesis in Declaratione posita, *Manente interim salva atq; integra Ecclesia Catholica*, quo fine & sensu declarationi inserta sit, exponitur, ut Censuræ absurditas pateat.

Quasi

Quaſi vero Remonſtrantibus hoc loco res ſ[illegible] cum Calviniſtis, aut de perſeverantia finali hic agatur. Nihil minus. Cum Pontificiis hic agunt Remonſtrantes, qui poſſibilitatem deficiendi à fide totaliter & finaliter agnoſcunt, interim tamen Eccleſiam ſemper aliquam viſibilem in terris procul omni dubio manſuram eſſe contendunt, quod nos ita abſolute prolatum negamus, concedentes interim, manſuram Eccleſiam Catholicam in terris, etiamſi fieret, ut omnes particulares Eccleſiæ viſibiliter deficerent. Tantummodo itaque hic quærendum foret, An, cum utrimque concedatur, Eccleſiam aliquam Dei, in terris manſuram ſemper eſſe, id de viſibili, an inviſibili, vel Catholica potius Eccleſia certum ſit? Atque hoc eſt, quod in hoc paragrapho agitur. Sed videamus quid hic Cenſor de Perſeverãtia finali, hoc in loco præter lineam diſputet. Parentheſios hujus declarationem ex M. Epiſcopii privatis Theſibus arceſſit. Injuria. Eſto: Quænam hæc eſt declaratio? *Epiſcopius hoc ipſum, ut Eccleſia deficiat aut non deficiat, pendere non vult ab electione*(Calviniſtica)*nec ab irreſiſtibili quadam Dei actione*(quod Cenſor appellat non pendere à divina voluntate aut potentia Dei)ſed à liberrima hominis voluntate: Ergo ſtatuit Eccleſiam Catholicam deficere poſſe, & *quidem tali poſſibilitate, quæ non modo in actum abire poſſit, ſed & forte uſu veniat.* Si poſſibilitas, *que forte uſu veniat*, aliud quid ſignificet, quam poſſibilitatem, quæ in actum poteſt abire, falſa & plane præter mentem Epiſcopii eſt collectio: Si vero ſignificet meram ac veram poſſibilitatem, non generalem illam, qua dicitur e. g. fieri poſſe ut omnes homines uno eodemque momento moriantur, ut omnes unum idemque ſentiant, ut ex jactis in aërem literis coaleſſcat poëma, & ex lapidibus & lignis caſu domus exiſtat, &c. nec fanaticam & ſtultam illam qualem Cenſor cum ſuis ſtatuere ſolet, quando fieri poſſe dicit, ut electi & fideles deficiant à fide, ſi ipſorum natura infirma conſideretur, ſed non poſſe deficere, ſi conſiderentur cum cuſtodia Dei, &c. tum vero admittitur collectio. *Verum enimvero*, inquit Cenſor, *ſane, quicquid dicat, Chriſtum regno ſuo etiam in terra perpetuo*, Luc. 1. 32. 33. 1. Cor. 15. 25. *exuit.* Futilis ratio. Quaſi vero Chriſtus regno ſuo privetur ſi ſubditi ab obſequio ejus deficere, eumq; pro Rege ſuo nolle agnoſcere, adeoq; ad hoſtem ejus tranſire, ſi velint, poſſint: Adde: Quaſi vero Chriſtus regno ſuo privaretur, ſi fieret, ut ab eo ſubditi ejus omnes & ſinguli deficerent, ſeu ſponte ſua, ſeu ab hoſtibus Chriſti ſeducti. Tantum abeſt ut alterũ horum ſequatur, ut contra ii demum Chriſtum regno ſuo in terris privent, qui ſtatuunt ſubdi-

De poſſibilitate deficiendi.

Diluitur prolixe Cenſorum inſtãtia, Si fieri poteſt ut Eccleſiæ viſibiles omnes deficiant, fieri etiam poteſt ut Chriſtus ſit ſine regno, & per βίαιον retorquetur.

ſubditos regni Chriſti per talem vim ac potentiam conſervari, quæ liberam ſubditorum obedientiam funditus tollit, cujuſmodi vis eſt irreſiſtibilis iſta vis, quam hic in terminis defendit Cenſor. Vbi hæc dominatur, ibi demum liberæ obedientiæ locum eſſe impoſſibile eſt. At ſine libera obedientia Chriſti regnum in terris nullum eſt. Chriſtus enim non eſt niſi voluntarii populi Rex. Loca, quæ Cenſor adfert, ut probet Chriſti regnum in terris etiam perpetuum futurum, non faciūt contra Declarationem Remonſtrantium: aliud enim eſt Chriſti regnum perpetuum futurum, aliud fieri non poſſe, ut Chriſti regnum deficiat, ſive Chriſti regnum, id eſt, ſubditos Chriſti in terris iſta virtute conſervatum iri, qua poſita, fieri non poſſit, quin Chriſti ſubditi maneant. Tantum abeſt, ut ſic Chriſti regnum in terris perpetuum eſſet, ut contra, ſi hoc fieret, eo ipſo Chriſti regnum in terris deficeret. Nam ſubditus Chriſti fidelis non eſt, qui per vim ei ſubditus manet. Gloria ſubditorum Chriſti eſt, velle obedire, cum poſſint nolle; & Regis Chriſti decus eſt, non facere per vim ſubditos, ſed habere ſibi ultroneos. Deinde, aliud eſt Regnum Chriſti futurum perpetuum, aliud in regno iſto futuros ſemper, qui Chriſto obediant: Regnum Chriſti foret perpetuum, etiamſi omnes ab obedientia Chriſti deficerent, adeoque nulli eſſent, qui Chriſto obedirent, quia inobedientes aut ab obedientia ſua deficientes, regia ſua potentia non poteſt tantum punire, ſed & actu, juxta comminationem ſuam, puniturus eſt: Et in hac re apparet manifeſte diſcrimen inter Reges mundi hujus, ſi contingat eos per rebellionem ſubditorum ſuorum regno exui, & Chriſtum Regem, ſiquidem omnino contingeret ut omnes ei rebellarent, & ab eo deficerent. Iſti titulo tantum manent Reges, ſublata omni eorum tum authoritate, tum poteſtate coactiva, quæ tota à ſubditis & ſubditorum obſequio atque auxilio dependet: At Chriſtus non titulo tantum & jure, ſed poteſtate etiam eadem maneret Rex, etiamſi ſubditi omnes deficerent. Poteſt enim dominari & dominatur ſemper in medio inimicorum ſuorum, & rebelles pro arbitrio ſuo puniet. Nec enim poteſtas ejus ullo modo dependet à ſubditis. Atque hinc liquet, quam vanum ſit, quod dicit Cenſor, *Miſerum ſane & imbecille hoc regnum, Chriſtumque Regem titulo tenus futurum*, Nempe niſi ſubditos habeat, quos ad obſequium ſuum neceſſitet, & per vim in fide retineat. Nihil magis injurium in Chriſtum & regnum Chriſti dici poteſt, quam quod conſtare non poſſit, niſi ex ſubditis per vim omnipotentem ſubactis, id eſt, non ſponte aut libere Chriſto man-

mādanti obtemperantibus, ſed vi arcana ad obediendum adactis, & eadē vi in adacta iſta voluntate perſeverantibus. Atque hæc eſt illa doctrina, quā hic Cenſor cum ſuis ut orthodoxam & reformatam ubiq; jactat. Deus talem, ut verbis Cenſoris utar, doctrinam ab Eccleſia ſua avertat, ut fontem atque radicem non pietatis, ſed impietatis, non ſtudii obſequioſi, ſed ſupinæ oſcitantiæ & torpidæ ignaviæ, qua fit, ut, dum homo divinæ motionis impulſum ſemper expectat, de officio ſuo nunquam ſerio ſolicitus ſit. Sed & , inquit Cenſor, *Promiſſionem de Eccleſiæ in his terris perpetuitate exinaniunt, quæ dicuntur portæ inferorum nō prævaliture contra eam, Chriſtum cum illis futurum ad conſummationem ſæculi:* Matth. 16. 18. & 28. verſ. ult. Iam vero loca illa non continent promiſſionem de Eccleſiæ Chriſti in terris perpetuitate. Matth. 16. 18. non promittitur Eccleſiam ſemper manſuram eſſe Eccleſiam, ſed tantum Eccleſiam, qua Eccleſia eſt, ſemper manſuram invictam à morte & condemnatione. Portæ enim mortis & inferni mortem & infernum ſignificant: unde potius concludetur, Eccleſiæ hic in terris verſanti, qua tali, nihil promitti, ſed Eccleſiæ, quæ in terris eſt & Eccleſia manet uſque ad mortem, promitti aliquid poſt mortem. Deinde, nihil hic promittitur Eccleſiæ, qua Eccleſia cætus eſt formaliter, ſed qua Eccleſia credentium multitudinem ſignificat, contra quos omnes & ſingulos mors prævalitura non eſt; juxta id, quod eſt Iohan. 11. 25. 26. *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet, & quiſquis vivit & credit in me, non morietur in æternum.* Eadem eſt ratio loci Matth. 28. verſ. ult. Nulla ibi promiſſio datur Eccleſiæ, ſed tantum Apoſtolis, Eccleſiæ fundatoribus, & quotquot iis in promotione veritatis Euangelicæ ſucceſſuri erant, miniſtris. Nec promittitur illos ſemper futuros & manſuros Eccleſiam, aut Eccleſiam, per eos fundatam & propagatam, ſemper manſuram eſſe: ſed tantum Chriſtum cum iis ſemper ad finem uſque mundi futurum: quod cum conditione, ſi illi ſe digne modo gererent, intelligendum eſſe, ex iſtis locis colligere eſt, in quibus Chriſtus ipſe dicit Apoſtolis ſuis cum conditione; *Vos amici mei eritis, ſi feceritis, quæcunque ego mando vobis, ſi in me manſeritis, &c.* Ioan. 14. & 15. & aliis compluribus. Vide nominatim locum 1. Corinth. 9. verſ. ult. Quæ conditio, ſi ſub promiſſione Apoſtolis diſerte facta, comprehenſa eſt, multo magis ſub promiſſione ad miniſtros Euangelii, non diſerte, ſed per conſequentiam extenſa, comprehenſa videri debet.

[Margin: Oſtenditur loca quæ Cenſores citant, pro inſtantia ipſorū nihil facere Matth. 16. 18.]

[Margin: Matth. 28. verſ. ultimo.]

De

De Notis Ecclesiæ Visibilis.

Scopus Remonstrantiũ, cum in Declaratione de Notis Ecclesiæ visibilis agunt.

QVæ de Notis Ecclesiæ Visibilis Declarationi suæ inseruerunt Remonstrantes, quæque de iis M. Episcopius in Thesibus suis privatis disputavit, ea directe opposita fuerunt Pontificiorum ea de re erroribus, qui notas quasdam dari posse, adeoque dari asserunt, per quas is, qui necdum scit quæ sit vera Christi Ecclesia, certo atque infallibiter pervenire potest in cognitionem veræ Ecclesiæ, & per Ecclesiam in cognitionem veritatis salutaris; ut mirum merito videri debeat, quod Censores, qui Reformati Doctores audire volunt, ista tam acri Censura notaverint, ea solum de causa, quod, quæ in eam sententiam à Remonstrantibus declarantur, etsi aperte Pontificii erroris jugulum petant, tamen non tam cum recepta Calvinianorum opinione, quam cum Socino communia quædam habere videantur. Tantum eorum est odium in Socinum, ut quæcunque ejus placitis affinia tantum videntur, ista eo ipso damnanda ac respuenda, tanquam impura hæretici hominis excrementa, censeant, etiamsi alioquin Reformatorum sententiæ contra Pontificios errores adserendæ aptissima & Pontificiorum opinionibus radicitus evertendis, quam maxime sint idonea. Nempe, usque adeo longe eos abripit partium studium, ut cum eo, quẽ sibi delegerunt adversarium, commune nihil habere videri velint. Magnus hic est morbus & qui non huic tantum sęculo familiaris est: Vltra omnium pignorum caritatem amamus & exosculamur errores nostros & eorum, quos semel Conscientiæ nostræ magistros delegimus. Indignamur quenquam plus, quam nos scire, & ad hostilem animum sufficit, si quis ingenium nostrum aut illorum non adoret. Itaque sub Religionis Zelo, non raro doctrinæ ac scientiæ nostræ aut Magistrorum nostrorum contemtum ulciscimur. Sed ad rem. Sacra enim hæc aliter non constant.

Cavillatio de apparente diversitate Latini & Belgici exemplaris in adsignanda una & pluribus Notis Ecclesiæ, redarguitur.

Prima, id est, septimæ Sectionis Censura merus est cavillus, Academicis viris indignus. *Confessio Belgica*, inquit, *unam notam statuit, Latina plures, sed quas deinde ad unicam reducit. Hic*, inquit, *inter se & secum pugnantia dicunt*: Nempe igitur, Notam unam statuere & plures, sed ad unam eandemque illam Notam reductas, est pugnantia dicere. Quid videtur, Lector? Satin sanus est Censor? Sane, si hoc est pugnantia dicere, pugnant itaque inter se Reformati pæne omnes, etiam in hoc ipso capite: Quippe alii eorum statuunt tres

Ecclesiæ notas, alii duas, tertia ad duas istas reducta: Alii unam, reductis ad eam duabus aliis. Doctor *Gomarus* in Collegio Disputationum Repetitarũ dispu. 45. *duas tantum esse* dicit *veras & essentiales notas Ecclesiæ*, idq; probat tribus rationibus, Thes. 6. secutus exemplum Calvini, Bertrandi de Loques, Petri Martyris, Augustini Marlorati, Philippi Mornæi, & Bezæ, cujus hæc in colloquio Pictaviensi Anno 1581. verba *Parkerus* ex Bancrofo citat, *Ecclesiæ notæ duæ sunt, Purum Dei verbum & sincera Sacramentorum administratio: Sunt qui Ecclesiasticam disciplinam addunt, sed nos duabus illis erimus contenti.* Plerique tres notas faciunt. *Antonius Walæus* quartam forte additã cupiet, quia præter prædicationẽ verbi puram, ejusdem prædicati verbi *receptionem* requiri ait, in Synopsi purioris Theolog. Disput. 40. Thes 45. *Franciscus Junius* unam tantum Ecclesiæ notam facit, Verbum sc. Dei, & quod mirere, *Amesius* Puritanus, Professor Franequerensis, unam maxime essentialem Ecclesiæ notam esse asserit, & quidem eandem, quam hi Censores hic tam prolixe in Remonstrantium Declaratione carpunt & exagitant, videlicet, *Professionem veræ fidei*, in Medulla Theologiæ suæ lib. 1. cap. 32. Thes. 29. Addit autem, quod notandum est, Thes. 30. *Professio ista in cœtu aliquo potest antecedere solemnem verbi prædicationem, & Sacramentorum administrationem.* Quid si hoc dixissent in Declaratione sua Remonstrantes? Nempe, hæc mera pax & concordia est in Calvinianis: In Remonstrantibus pugna & dissensio ἄσπονδος.

Deinde, eadem sectione censentur hæc Declarationis verba; *Notæ ista sunt notæ cœtus illius, qui per prædicationem verbi collectus est. Hoc quidem non diffitemur*, ait Censor, *verum & hoc notandum arbitramur, quum de Ecclesiæ proprietatibus seu notis agitur, Ecclesiam in se & sua natura considerandam esse.* Esto: At Ecclesia, quæ colligenda adhuc est, aut necdum collecta est, Ecclesia non est. *At ex eo*, inquit, *quod doctrinæ prædicatio sit anterius quiddam Ecclesia, utpote instrumentum collectionis illius, non efficitur, illius neutiquam esse notam.* Quid absurdius? Ergo id quod aliquando prius est Ecclesia, eadem Ecclesia aliquando posterius erit. Nota enim notato suo posterior est. *At alio atque alio respectu*, inquit Censor, *& instrumentum colligendæ & nota collectæ est.* Imo vero, idcirco quia prædicatio aliquando instrumentum est colligendæ Ecclesiæ, non potest esse certa atque infallibilis nota Ecclesiæ collectæ, ei, qui, ubi vera Ecclesia sit, aut dubitat, aut ignorat, unde enim resciscet certo an prædicatio, quam audit, sit prædicatio, qua est instrumentum colligendæ Ecclesiæ, an

Absurditas Censuræ detegitur, qua doctrinæ prædicationem instrumentum colligendæ & notam collectæ Ecclesiæ haberi vult.

qua

qua est nota Ecclesiæ jam collectæ? Hoc ex ipsa prædicatione, ut nota, habere non potest. Alia itaque nota opus habebit, ut notam istam discernat, & sic in infinitum tandem ut eat, necesse erit: Receptionem doctrinæ prædicatæ, accedere volet Walæus, uti ante diximus. At inquam, receptio ista, nihil aliud est quam professio doctrinæ istius, quę prædicatur, non autem, qua prædicatur. Id Amesius vester manifeste docet, quum dicit, *Professionem istam in cœtu aliquo posse locum habere ante solemnnem verbi prædicationem, & Sacramentorum administrationem.* Et res liquet: Ex Scriptura, non prædicata, sed lecta, haberi potest plena veritatis notitia & fides, proinde etiam notitiæ & fidei professio. Tum vice versa, prædicatio pura locum habere potest, ubi tamen ea non recipitur, & ubi Ecclesia nulla est, quæ receptionem istam profitetur, puta inter infideles, inter mundanos concionem quidem frequentantes, sed communionis professionem detrectantes. Cui adde, quod prædicatio pura, sive qua est instrumentũ Ecclesiæ colligendæ, sive qua in collecta Ecclesia exercetur, non sit nisi Pastoris actio. At pura puta actio Pastoris, non potest esse nota Ecclesiæ.

Secundo addunt, inquit Censor, *eas Nobis Ecclesiam indicare & visibilem facere. Ubi voce Nobis, restringunt ejus notificationem seu notarum usum ad membra Ecclesiæ tantum, non autem ad alios quoscunque deviantes à vera Ecclesia, aut etiam, qui extra eam sunt.* Nihil minus. Declaratio Remonstrantium non restringit vocem illam ad membra Ecclesiæ tantum, sed ad eos, qui, cum norint quidem quæ sit salutaris fidei Christianæ doctrina, nesciunt tamen ubi sit cætus iste, in quo doctrina ista sonat & recipitur, sive ii, qui id nesciunt, membra sint veræ Ecclesiæ, sive non sint. Nimirum, directa est Declaratio contra Pontificios, eosque omnes, qui notas aliquas certas dari asserunt, per quas perveniri potest in cognitionem Ecclesiæ veræ, & per Ecclesiam istam cognitam porro in cognitionem salutaris veritatis, antequam scitur aut cognoscitur quæ sit salutaris veritas, per quam Ecclesia vera Ecclesia est. Hujusmodi enim notas frustra quæri, & falso adsignari à Pontificiis aliisque statuunt. Et ratio manifesta est: Ecclesia enim non est vera Ecclesia, nisi per & propter veritatem, quæ in ea docetur & recipitur: Veritas itaque salutaris prius cognosci debet, quam cognosci possit vera Ecclesia, salutarem illam veritatem retinens. Vnde consequenter efficitur, Prædicationem puram iis, qui nesciunt quæ sit vera Ecclesia, & quæ salutaris veritas, per quam Ecclesia vera Ecclesia est, notam veræ Ecclesiæ

Sensus & scopus verborum in Declaratione, quibus dicitur, Notas Ecclesiam *Nobis* indicare, contra Censurã illustratur.

esse non posse. Siquidem non minus ignotum ei est quæ sit pura prædicatio, quam ignotum ei est, quæ sit pura & vera Ecclesia; ut autem id, quod æque ignotum est, atque illud, quod quæritur, nota sit ejus, quod quæritur, contra omnem rectam rationem est. Nota enim notior debet esse suo notato, *Atqui*, inquit Censor, *cum fideles jam ante Ecclesiam norint, ne illis quidem nota fuerit.* Sane, ut illis nota sit, per quam in cognitionem ejus, quæ nempe vera Ecclesia sit, & quæ salutaris illa doctrina, per quam Ecclesia vera Ecclesia est, pervenitur, necesse non est. Quid enim nota opus est iis, qui rem ipsam, cui notificandæ nota servit, jam cognitam habent? Sed cum Remonstrantes adsignant notas, per quas in cognitionem veræ Ecclesiæ pervenitur, eas notas vel eam notam adsignant, per quam ii, qui cum jam norint, quæ sit salutaris veritas, quæ profitenda est, nesciunt tamen ubi sunt ii, apud quos salutaris ista veritas obtinet, ac proinde qui pro vera Ecclesia sint habendi, cui quisque se tenetur adjungere, id deprehendere ac rescifcere possunt. Fieri enim posse, ut, qui veritati divinæ ex animo credunt, eamque in cætu Ecclesiæ profiteri non erubescunt, nesciant ubi cætus iste, qui veritatem istam tenet, sit, varia exempla nos possunt docere. Alias notas aut aliam notam, certam imprimis, qualem Pontificii volunt, dari posse, & frustra quæri adserunt, quamquam nota ista, quam adsignant, non tam nota est Ecclesiæ Visibilis, quam id, quod Ecclesiam ipsam visibilem constituit, uti in sequentibus plenius ostendetur. Atq; hinc apparet, quod ea, quæ Clar. Professor Episcopius in Thesibus suis de Ecclesiæ notis adseruit, cum Declaratione Remonstrantium optime conveniant, & quæ à Censoribus hisce duobus paragraphis disceptantur, ad verum controversiæ statum non pertineant, quod postea pluribus demonstrabitur.

Tertio loco censetur nota ista, quam adsignant Remonstrantes; *Professio scil. sacræ & salutaris doctrinæ per Iesum Christum traditæ, eaque conjuncta cum, externa saltem, mandatorum Iesu Christi observatione. Hæc*, inquit, *professio veritatis & vitæ singulorum fidelium seu membrorum Ecclesiæ, sejunctim consideratorum, potius est nota, quam Ecclesiæ, nisi addatur publica Confeßio.* At si hæc ratio valet, tum multo minus prædicatio pura nota erit Ecclesiæ. Prædicatio enim nequidem singulorum fidelium est, sed unius tantùm Pastoris actio. Tum publicam hic professionem intelligi à Remonstrantibus, non modo ex Episcopii Thesibus, quod agnoscere videtur Censor, liquet, sed ex ipsa Declaratione, in qua adsignantur notæ *cætus illius, qui per prædicationem verbi collectus*

Qualem professionem salutaris veritatis intelligat Declaratio, cũ eam Ecclesiæ visibilis notam facit.

collectus est, quæ aliæ quam publicæ esse, sive ad cætum, qua cætus est, pertinere non possunt. *Recte sane*, inquit Censor, *sed quæso quomodo hæc publica erit professio, sine, imo nisi per prædicationem verbi Dei publicam Sacramentorum exhibitionem & disciplinæ exercitium?* Quasi vero professio publica esse non possit, nisi cætus habeantur, in quibus actiones istæ exercentur. *Professio ista, quæ maxime essentialis Ecclesiæ nota est*, inquit Amesius vester, *in cætu aliquo potest antecedere solemnem verbi prædicationem & Sacramentorum administrationem.* Quid ni itaque eitam potest eam cessantem subsequi? Sane, nemo adeo ignarus rerum ac temporum est, quin fateatur, fieri posse, ac non raro usu venisse, ut prædicatio verbi, Sacramentorum administratio, & disciplinæ exercitium publicum intermitti debuerint, manente cætu publico & publica cætus istius professione: utique, si sine istis actibus Ecclesia visibilis aut publica esse non potest, periit toties Ecclesiæ visibilis, quoties sine istis fideles vivere sunt coacti. Si non periit in tali casu visibilis Ecclesia, tum necesse est ut dicamus, eos, qui tum profitebantur se prædicationem doctrinæ Iesu Christi ex animo optare, Sacramentorum administrationem ex præscripto Christi cupere, & disciplinam à Christo traditam exercere velle, Ecclesiam visibilem mansisse, ac per consequens professionem hanc ad Ecclesiam cognoscendam sufficere. Atque ex hoc uno manifestum fit, ea, quæ postea subjicit Censor, nullo prorsus fundamento nixa esse.

Ratio in Declaratione adducta à proportione internæ Ecclesiæ ad externam, vindicatur à Censoris ineptiis.

Responsum etiam Censoris, quo rationem in Declaratione adductam, à proportione internæ Ecclesiæ ad externam redarguit, nil nisi Scholare & operosum commentum est; idcirco repudiandum, quod directe simplici & apertæ Scripturarum locutioni repugnet. *Fides*, inquit, *non est interior completa forma & quasi anima invisibilis Ecclesiæ.* Attamen Scriptura diserte & passim affirmat, nos per fidem fieri atque esse filios Dei, membra corporis Iesu Christi, imo corpus Iesu Christi, & unum quidem corpus cum eo esse, per unum eundemque spiritum Fidei, id est, fidem, qua veluti spiritu animamur in mediis mortis periculis 2.Cor.4.13. Et ratio manifesta est, quam ipsa Etymologia insinuat. Ecclesia enim est cætus eorum, qui vocanti Deo credunt, aut per fidem vocationi divinæ respondent. Nec aliud vocatio divina ab homine, ut Ecclesiæ Dei membrum fiat, requirit, quam ut Deo credat, & ex fide illi obediat. Fides itaque est istud unum, quod hominem Ecclesiæ Dei membrum facit. Quare, quod Censor internam completam formam Ecclesiæ invisibilis esse dicit, unio-

unionem & communionem Christi capitis, in Spiritu, per verbum Dei fidemque, cum electis, non minus falsum, quam operosum videri debet. Nam nec unio nec communio Christi capitis, nedum ejus cum electis, quos vocat, conjunctio forma est Ecclesiæ, sed est id, quod Ecclesiam veram & jam formatam immediate consequitur. Ecclesia enim, qua talis, est id quod Christo capiti unitur. Est ergo Ecclesia per aliud quid Ecclesia, quam per unionem. Communio etiam est beneficium quod Ecclesia, qua talis, à Deo consequitur. Sed hæc lis tota logica est, quam fastidiunt Remonstrantes in re seria.

Vindicantur loca ad marginem Declarationis citata.

Post hæc examinat Censor loca, quæ Remonstrantes ad marginem Declarationis suæ citarunt, ad ostendendum professionem publicam, quam tribus istis actibus, auditione verbi aut fidei professione, Sacramentorum usu & disciplinæ exercitio contineri dicunt paragr. 10., notam esse Ecclesiæ visibilis, sed adeo frigide & hæsitanter, ut nihil supra. *Quædam*, inquit, *nihil tale dicunt*. Atqui non modo non quædam, sed ne unum quidem ejusmodi locum à Remonstrantibus citatum esse ostendit. *Quædam*, inquit, *notam tantum aliquam partiatim, non universim proponunt*. Inter hæc censere videtur loca priora, Matth. 10. 32.33. Ioan. 10. 4.9.27. & Ioan. 12. 42.43. & Ioan. 13. 34.35. & Ioan. 14. 21. *In primo loco agitur*, inquit, *de particulari professione cujusque tum discipulorum, tum Doctorum: non autem de professione, quæ nota est Ecclesiæ, qua Ecclesia cœtus est*. Imo vero, inquam, idcirco concluditur in eo etiam agi de nota Ecclesiæ, qua Ecclesia cætus est, quia quæ ratio est singulorum, eadem est ratio totius homogenei, quatenus ex singulis istis constat. Qua nota dignoscitur unus Christi discipulus, eadem dignoscuntur omnes simul juncti: Sicut idem illud, quod singulos homines facit membra corporis Iesu Christi, omnes simul junctos & in cætu unitos facit totum corpus sive Ecclesiam Iesu Christi. Consequentia plana est: Cætus enim nihil aliud est quam totum, quod singuli isti profitentes, quasi uno ore atque opere, faciunt: uti itaq; singulorum nota est singularis cujusque professio, sic omnium simul consentientium & in cætu conjunctorum publica professio nota est cætus istius, qua cætus est. Ioan. 10.4.9.27. *agitur quidem de Ecclesia*, inquit, *at utraque nota, prædicatio scil. Euangelii & ejus obedientia indicatur*. Atqui I. id, ex quo oves, id est, Ecclesiam suam agnosci Christus ait, non nisi obedientia & obedientiæ professio à Christo esse dicitur. Manifeste enim oves à Pastore distinguit. Oves autem sunt Ecclesia. II. Audire vocem Christi hic non necessario significat prædicationem

Iesu

Iesu Christi audire, eique morem gerere, quod Censor urget. Vox enim Christi est verbum Euangelii Iesu Christi, sive istud legatur, sive audiatur tantum legi, sive prædicetur & prædicari audiatur: Audire itaque sive obedire voci Christi, eamque sequi, dici potest etiam is, qui prædicationi Euangelii non interest. Ac, licet quidem Christus hic per vocem suam maxime prædicationem Euangelii sui, quam ipse voce sua faciebat, intellexerit, id tamen latius extendi posse ac debere, nemo sanus inficias iverit. Ex his cæterorum locorum Censuram æstima. Sunt enim ejusdem generis; aut si quæ alia sunt, in iis, inquit Censor, idem quod nos statuimus, adseritur.

Quæ sectione VIII. censentur, ea manifeste arguunt Censorem hunc genuinum controversiæ statum, in hac de Notis Ecclesiæ materia, aut ignorasse, aut studio dissimulasse. Quod sic ostendo: Vult præter professionem publicam, alias notas, & nominatim eas, quas adsignat, dari, per quas infideles deveniunt in cognitionem Ecclesiæ veræ, & dum se propius explicat, haud obscure significat, se intelligere, per prædicationem Euangelii devenire in cognitionem veræ Ecclesiæ, nihil aliud esse, quam per prædicatum & diligenter examinatum Euangelium, pervenire in cognitionem veritatis, & sic porro in cognitionē veræ Ecclesiæ, sive eorum, qui veritatem amplectuntur & profitentur. At hoc non est illud, quod quæritur, & quod negant atque impugnant Remonstrantes in Declaratione sua. Quis enim Reformatus id negaverit? Sed hoc quæritur, & in hoc cardine status controversiæ inter Reformatos & Pontificios vertitur: An notæ aliquæ certæ atque infallibiles dentur, per quas is, qui nescit adhuc quænam sit doctrina veritatis pura, ac proinde quæ sit vera Ecclesia, aut qui in ea re hæsitat & nutat, tanquam per notas, Ecclesiam veram denotantes & certo indicantes, deducitur in cognitionem veræ Ecclesiæ, &, per eam, in cognitionē veritatis, quæ ad salutem necessaria est. Hoc est quod negant Remonstrantes contra Pontificios, quodq; dicunt vanum atq; ineptū esse.

Verus ac proprius scopus Remonstr. in Declaratione, de Notis Ecclesiæ, quem Censor aut ignoravit aut studio dissimulavit.

Atqui, inquit Censor, *eo ipso prædicationem verbi Dei, Sacramentorum & disciplinæ exercitationem, satis aperte pro notis non agnoscunt, quas Orthodoxi tamen in necessariis, suo gradu & modo, notis habent, & notarum usum restringunt ad fideles, non item ad infideles, & qui de veritate non sunt persuasi.* Sane, ita est: Et qui possunt aliter? Quamdiu enim quis nescit, quæ sit prædicatio vera aut falsa, pura aut impura, quæ recta ac legitima Sacramentorum administratio, &c. quomodo fieri potest, ut per prædicationem, &c. tanquam per notam, cæ-

Pura verbi prædicatio &c. notæ non sunt Ecclesiæ apud infideles.

tum istum, in quo prædicatio pura recipitur, certo notificantem, in ejus cognitionem deveniat? Hoc profecto à ratione omni recta alienum est. Atque hic alterum Censoris σφάλμα notandum venit, quod arguit eum à vero controversiæ statu constituendo aberrasse: *Per veram doctrinam sive veræ doctrinæ prædicationem infideles deduci*, ait, *in cognitionem veræ Ecclesiæ*. Quasi vero id in controversiam veniat. Nihil minus. Non quæritur de medio, quo pervenitur, quolibet modo, in cognitionem veritatis, & sic porro in cognitionem veræ Ecclesiæ, sed quæritur de medio, quo pervenitur in cognitionem Ecclesiæ veræ, tanquam nota, infallibiliter Ecclesiam veram denotante, antequam adhuc intelligatur, quæ sit veritas illa, quam Ecclesia ista tenet, quæq; in ea docetur aut prædicatur. Prædicatio veræ doctrinæ est medium, quod rationes & argumenta continet, quæ veritatē nobis persuadent, & sic, quæ vera Ecclesia sit, intelligere nos faciunt: At prædicatio veræ doctrinæ non est nota, ex qua is, qui nescit, quæ veræ doctrinæ prædicatio sit, prædicationem veram esse infallibiliter dignoscit. Et hoc tamen est τὸ κρινόμενον ad quod in declaratione sua respiciunt Remonstrantes, ut cuilibet vel leviter eam consideranti manifestum esse potest. Ex hac una re liquet, quam diluta, vana atque exsucca sit tota, quam hic Censor instituit, disputatio. Adde, quod tamen eodem recidit, cum quæritur *de Notis Ecclesiæ visibilis*, tum quæritur, quis ille cætus sit, in quo pura prædicatio verbi, recta Sacramentorum administratio, & debita disciplina locum habent. Pura itaque prædicatio verbi, &c. non possunt esse notæ istius Ecclesiæ, quia sunt illud ipsum, quod Ecclesiam visibilem constituit, de qua quæritur, qua nota, aut quibus notis cognosci possit. Verum quidem est, per id, quo constituitur res, etiam distingui rem, & inde cognosci, sed id inepte semper notam vocaveris. Sic ex eo, quod aliquid ratione præditum sit, cognosco illud hominem esse, sed nō cognosco id ex eo, tanquā ex nota. Eadem hic ratio est: Ex prædicatione puræ doctrinæ ejusque receptione, &c. cognosco quæ sit vera Ecclesia, sed non cognosco id ex ea tanquā ex nota, sed tanquam ex re constituente Ecclesiam visibilē. Quod si quis tamen voce, *Notæ*, abuti velit, non diffitemur, notam etiam vocari aliquando posse id, quod rem constituit, imo id locum habet in omnibus rebus externis, in quibus signum rei non potest esse nisi id, quod rem ipsam, quatenus externa est, constituit: Forma enim rei externæ non est nisi externum quid, sensibile, & in oculos aut sensus incurrens: Sed tum fortissime stabilitur id, quod in Declaratione sua

Aliud est, infideles per prædicationem puram adduci in cognitionē Ecclesiæ, aliud prædicationē illam infidelibus esse notam Ecclesiæ.

probare

probare propositum sibi habuerunt Remonstrantes. I. Frustra quæri notam aut notas Ecclesiæ Visibilis: Nota enim Ecclesiæ visibilis, est ipsa forma Ecclesiæ visibilis, ex vi hypotheseos præcedentis. In exemplo res patet. Ecclesia Visibilis est, ut Antonius Walæus eam definit in Synopsi purioris Calvinisticæ Theologiæ suæ, Disp. 40. de Eccles. Thes. 32. cætus eorum, qui per verbum externum, Sacramentorum ac disciplinæ Ecclesiasticæ usum, in unum externum corpus ac societatē coalescunt. Ecclesiæ nota si quæratur, tum necesse erit, ut quæratur nota cætus istius, qui sic in unum externum visibile corpus coaluit. Frustra. Nam externa ista coalitio per actus istos visibiles aut sensibiles est tale quid, quod nota opus non habet, ut agnoscatur aut ab aliis dignoscatur. II. Ipsam etiam professionē salutaris doctrinæ, seu malis, ipsam prædicationē veræ doctrinæ, rectum Sacramentorum usum, &c. præcise loquendo, non esse notas Ecclesiæ visibilis, ab ipsa Ecclesia visibili distinctas, per quas in ejus cognitionē devenitur: Sunt enim res ipsa, quæ quæritur, & cujus cognitio ex verbo Dei juxta Pontificiorū sententiā, sine interveniēte Ecclesiæ verę authoritate, haberi nō potest. Notæ autē notiores esse debent re notata uti jam aliquoties dictū est.

Quæ contra rationes duas, à Clarissimo Viro M. Episcopio in Thesibus privatis citatas, allegat Censor, ea nullius sunt momenti. Prima ratio Episcopii hæc est. Prædicatio verbi divini non est nota Ecclesiæ, quia prædicatio Pastoris actio est, non Ecclesiæ, quæ in Sacris semper à Pastore contradistinguitur. *Quid tum*, inquit Censor? *Ergone nota non est? Etiam professio, Ecclesiæ, specialiore significatione sumtæ, seu gregis singulariter actio est, & tamen nota vobis est: quanto magis prædicatio, quæ Ecclesiam publicam omnino facit, quum professio sit singulorum?* Atqui consequentia hæc manifeste laborat. Professio enim quatenus est singulorum per se, non statuitur in Declaratione Remonstrantium, nota cætus universi, qua cætus est, sed quatenus professio publica est, quæ in cætu peragitur, uti jam ante ex Episcopii Thesibus clare apparere Censor ipse confessus est. Deinde, professio ita est singulorum, ut totius cætus etiam esse possit. Prædicatio vero ita est pastoris actio, ut cætus sive gregis, qua talis, actio esse aut fieri non possit. Denique professio gregis esse potest, etiamsi prædicatio nulla in eo fiat, imo ut *Amesius* ait, etiamsi nulla prædicatio verbi præcesserit. At prædicatio esse potest, etiamsi grex aut cætus profitentium doctrinam, quæ prædicatur, nullus sit. Altera ratio Episcopii est, *Quia prædicatio verbi divini non tam necessaria, quam utilis est ad ædificationem Ecclesiæ, posteaquam*

Vindicantur rationes M. Episcopii.

Instantia Censoris diluitur.

Adstruitur & vindicatur altera ratio Episcopii.

quam Scriptura omnibus & singulis legenda data est, ut ex ea suopte Marte discat quisque quantum satis est. Vide, inquit Censor, *quo isti homines dilabantur, qui ordinationem Dei perpetuam Sacri Ministerii, illiusque munus à Deo stabilitum in necessariis non ponunt.* Imo vero, inquam, Vide quo isti Reformati Censores dilabantur, qui tam manifestam veritatem admordent? Verbum quod prædicatur, statuit *M. Episcopius* simpliciter necessarium, ad hoc, ut quis Ecclesiæ membrum fiat & maneat. Prædicationem verbi simpliciter ad id necessariam esse negat. Quid clarius? Amesium tuum vide, qui diserte affirmat, *fieri posse, ut professio fidei* (quam maxime essentialem Ecclesiæ notam facit) *antecedat solemnem verbi prædicationem, & Sacramentorum administrationem*, uti supra ostendimus: Sed & rationem manifestam vide. Quid si pastores nulli haberi possint? quid si nulli gregem docere audeant? Cætus autē conveniant qua possunt, & verbum divinum prælegi audiant, faciantque omnia ista, quæ pro isto tempore ex præscripto Christi facere possunt, an idcirco Ecclesia aut cætus iste desinet esse Ecclesia visibilis? *At*, inquit Censor, *sic etiam professio fidei non erit nota, quia incidere posse tempora ait Episcopius, quibus ejus usus esse non possit.* At vero, inquam, isto casu fatendum est, visibilem Ecclesiam, qua formaliter cætus est, desinere esse, etiamsi materialiter maneat, manentibus videlicet iis, qui juncti & congregati cætum facerent: quod aliter longe habet, si prædicatio cesset: Cætus enim formaliter cætus esse ac manere potest, etiamsi prædicatio verbi externa in eo cesset, uti jam ostensum est & ex natura rei liquet. Quomodo interim prædicatio verbi in Ecclesia ordinatio Dei perpetua sit, & quam gravem injuriam Remonstrantibus faciat Censor, cum id ab iis negari hic asserit, ex præcedentibus, ubi ea de re ex professo actum est, liquido constare potest.

Sectione IX. & X. inquit Censor, *Officia civium Ecclesiæ videntur distinguere à notis.* Imo ne videntur quidem distinguere, cum, ut Censor ipse fatetur, ipsam fidei professionem, quam notam Ecclesiæ fecerunt, inter officia civium Ecclesiæ censeant. Aliud est officium, aliud officii præstatio. Hæc nota est, non illud. Vt vero nota illa recte intelligeretur, officii ipsius ratio plenius explicata est à Remonstrantibus. Quod interim officia hæc, *non tantum actus, exercitia & partes quasdam officii nostri esse, sed & actus quosdam Dei gratiosos erga suos, quibus & ipse per suos aliquid agit, suisque confert & exhibet*, id partim ex absolutæ Prædestinationis insano amore, partim ex aliis ineptis quibusdam hypothesibus proficiscitur, quas hic examinare intempestivum est.

IN

IN CENSVRAM CAPITIS XXIII.

De Sacramentis aliiſque Sacris Ritibus.

IN hoc Capite nihil pene cenſetur. Omnia ſunt Orthodoxa & nive puriora. *In definitione Sacramenti*, inquit Cenſor, *Remonſtrantes Orthodoxæ ſententiæ inſiſtentes, & in nomine & uſu ſe à Socino ſejungere ſatagunt.* Nempe hoc orthodoxias κριτήριον eſt. Sola ſuſpicio atri quid adſpergit, quod per quæſtiones benigne elui Cenſor petit. Dignus certe, qui ob tam benevolam ſcilicet & inuſitatam agendi rationem reſponſum ferat, quod alioquin declinari à nobis jure potuiſſet.

Remonſtrantes in Declaratione ſua vocaverant Sacramenta, Fœderalia ſigna & ſigilla viſibilia, quibus Deus gratioſa beneficia ſua in Fœdere, præſertim Euangelico, promiſſa repræſentat, &c. *Bene utique*, ait Cenſor, *ſi modo & fœdus & gratuita beneficia in fœdere promiſſa, utrobique eadem eſſe velint, nempe ſalutaria ac de ſalute æterna, quæque utrobique fuerint revera diſpenſata, ſuo modo & gradu, &c.* At hoc etſi jam ante ſæpius reſponſum ſit, paucis tamen hic iterum reſpondemus, ut quæſitori ſatisfiat. Sub Veteri fœdere rem promiſſam eandem, id eſt, ſalutem æternam revera diſpenſatam eſſe, credunt Remonſtrantes. Sed promiſſionem ſalutis æternæ ſub eo factam aliam non poſſunt deprehendere, quam typicam, & quæ ſub generalibus promiſſionum aut prophetiarum verbis obſcure comprehenſa fuit. In novo vero fœdere, promiſſionem vitæ æternæ claram, ſine typis, & ſpecialibus atque apertis verbis factam eſſe ſtatuunt. Et hoc vult declaratio eorum per articulum, *præſertim*, cum dicunt gratioſa beneficia, *in fœdere præſertim Euangelico*, promiſſa eſſe. Si idem vult Cenſor cum ait, *beneficia Dei gratioſa, ſub utroque Teſt. diſpenſata fuiſſe, ſuo modo & gradu*, conſenſio eſt. Sin aliud quid vult, ejus rei declarationem plenam ac diſertam ut faciat neceſſe eſt.

Ad quæſtionē An eadē gratuita beneficia ſub utroque Fœdere fuerint diſpēſata, reſpondetur.

Alterum eſt: Fatentur Remonſtrantes Deum nobis per Sacramenta non modo repræſentare & adumbrare promiſſa ſua beneficia, ſed etiam exhibere & obſignare: *Sed quia addunt, Deum id per Sacramenta facere, certo modo, eumque non explicant, tantum depoſcimus*, inquit, *ut explicent ſententiam ſuam.* Age. Res digna eſt quæ intelligatur: Intereſt

Dilucida & prolixa declaratio de certo modo, quo Sacramenta promissa beneficia non modo repræsentare & adumbrare, sed etiam exhibere & obsignare dicũtur.

Reip. Christianæ, ne sacris hisce ritibus aut nimium, aut nimis parum tribuatur: Vtrimque enim ingens periculum est, ne aut contemtui eorum ansa detur ex una parte, aut superstitioni & idololatriæ ex altera parte fenestra aperiatur. Atque à contemtu quidem minimum periculi est, quamdiu certum manet, ritus istos à Deo traditos & præscriptos esse. Nihil enim parvi fieri debet, quod summus Deus mandat & à nobis religiose observari præcipit. Sola Dei voluntas sufficit ad ritus cujusque magnitudinem & pretium. Sed à superstitione & idololatria periculum est multo maximum: Nam ita fere comparatum est, ut circa externas & in oculos incurrentes cæremonias, Deo & cultui ejus destinatas, animus defixus hæreat, & primo quidem admirari, deinde extollere, & paulatim etiam venerari eas incipiat. Nec dubitandum est, quin ii, qui primitus hos Sacros ritus sublimibus & omnes τῆς ὑπερβολῆς limites excedentibus elogiis, veluti cothurnis quibusdam extulerunt, iisque admirabiles, incomprehensibiles & inexplicabiles effectus, nescio, quo zeli œstro perciti, attribuerunt, ne apud populum vilescerent, idololatriæ gravissimæ occasionem imperitæ & incircumspectæ multitudini dederint. Res enim Sacra, si nimium eam laudes atque extollas, facile plebis & vulgi idolum fit. Quocirca videndum est, ut nos magis considerate ac vere religiose de iis loquamur. Id Remonstrantes in declaratione sua facere propositum habuerunt.

Sacramenta dixerunt esse signa, per quæ Deus beneficia sua gratiosa non tantum repræsentat & adumbrat, sed etiam *certo modo exhibet atque obsignat*, secus quam Socinus ipse, quod mirum est Censorem non animadvertisse, qui Sacramenta non modo non exhibitiva, sed ne quidem signa nuda appellari recte existimat. Sic enim in tractatu de usu & fine Cœnæ Domini ait, pag. 88. *Tantum abest, ut ego quicquam detrahi Sacramentis existimem, si quis ea nuda signa appellet, ut ea appellatione plus illis tribui quam deceat,, penitus persuasum habeam:* At Remonstrantes ea signa appellant in Declaratione sua non tantum quia adumbrant & figurant Dei beneficia, sed etiam exhibent; at, *certo modo*, dixerunt, non sine gravi causa. Modus enim exhibendi & obsignandi est multiplex. Est exhibitio quædam *physica*, qua res aliqua vel signo ut ceræ impressa, vel signo ut vase contenta, vel signo ut instrumento affixa, vel signum nude concomitans vel sub speciebus signi latens, exhibetur, id est, ut rem clarius proponam, qua res aliqua vel simul, vel una, vel cum, vel per, vel sub, vel in, vel apud, vel circa signa

Socini sententia de Sacramentis.

Modi exhibẽdi & obsignãdi varii indicantur.

signa

signa physice ut ita dicam admovetur, porrigitur, distribuitur. Est etiam exhibitio quædam *hyperphysica seu miraculosa*, qua res aliqua ignota, vel dubia confirmatur, stabilitur & certioratur, ac sic menti veluti videnda ac sentienda exhibetur, cujusmodi signa sunt miracula, prodigia, virtutes omnem naturæ vim excedentes. Denique est exhibitio quædam *Sacramentalis Euangelica*, qua gratia divina, per signa quædam, non eminus aut de longe repræsentatur, nec sub typis, umbris, aut figuris quibusdam, ut multo post futura, veluti per transennam ostenditur, sed qua gratia ista, ut jam præsens, ob oculos ponitur, adeo clare, ac si sensibus manibusque palpanda daretur, adeo efficaciter, ut efficacius non possit affici anima à signis istis, manente salva atq; integra signorum & significationis natura ac proprietate. Atq; hic tertius exhibitionis modus, est modus ille certus, quem designant Remonstrantes. Primum enim & secundum respuunt. *At*, inquies, non hoc tantum designatum voluerunt Remonstrantes, cum exhibitionem illam certo modo fieri dicunt, sed etiam propositum habuerunt indicare, illam ipsam Sacramentalẽ exhibitionem *certo modo* fieri. Ita est, *At modum istum*, inquit Censor, *cum non definiant, incertum relinquunt, quem modum exhibendi à se intelligi velint*: Et hoc valde vero simile est, adeoque certum. At si dicant Remonstrantes se modum illũ explicare non posse, se cum Augustino *sentire motum, at modum nescire*, an non hoc sufficit? Quid? An necesse est ut modus iste exponatur? Atqui ne ipsi quidem Censores eum uspiam exponunt, nec ut eum exponant, ita ut intelligi à sano homine possit, ipsis possibile est. Sic enim diserte habet ipsorum propria Confessio Art. 35. *Certissimum vero est Christum non sine causa tam solicitè nobis hoc suum Sacramentum* (Cœnę scilicet) *commendare, utpote qui perficiat in nobis revera quæcunque ipse nobis his sacris signis repræsentat, quamvis modus ipse ingenii nostri captum superet, nec percipi à quoquam possit.* Similiter, ubi in synopsi purioris suæ Theologiæ, omnes modos exhibendi recensuerunt & eos qui intelligi aliquo modo possunt, ab hoc exhibendi modo excluserunt, non restare dicunt alium, quam eum *qui Sacramentis aptus est*, id est, qui prorsus inexplicabilis est, addo ego & inimaginabilis. Vide Rivetum in Synopsi purioris Theologiæ 43. disputatione de Sacramentis, à Thes. 23. usque ad Thes. 30. hac ipsa de re disserentem. Sacramenta negat esse *causas physicas gratiæ, sive primarias sive instrumentales, vel per qualitatem aliquam inhærentem, vel per Dei motionem Sacramentum ad talem effectum elevantem, quem attingat.* Deinde, inter Pontificios Scholasticos, illos

Riveti judiciũ quo Pontificiorum quorundam sententiam, de modo collationis gratiæ,

quæ per Sacramenta fiat, Lutheranorũ sententiæ præfert.

illos, qui statuunt Sacramenta conferre gratiam, non quod eam producant, sed quia Deus ex pacto, in usu Sacramentorum eam producit & offert. Quippe cum Sacramenta magna ex parte consistant in sua significatione & significando seu virtute suæ significationis agant & agere tantum possint, *melius sentire adserit quam Lutheranos, quos à Luthero potius quam à Christo nomen suum deducere* ait, sed tamen non omnino recte sentire non obscure indicat. Denique se suosque optime sentire adserit: quippe qui præter significationem ex instituto Dei suam etiam exhibitionem (sed *modo Sacramentis apto*) & obsignationem promissionum divinarum Sacramentis attribuant, ut videre est Thes. 29. At, dic sodes, Rivete, quis est ille *modus Sacramentis aptus?* Hunc enim hic definiri postulas cum Collegis tuis. *Relativus*, inquis, est *& Sacramentalis, quo tamen res ipsæ vere exhibentur, & obsignantur fidelibus, sed modo spirituali percipiendæ*, ut videre est Thes. 24. At quæro, inquam, ecquis est ille modus relativus, Sacramentalis, aut spiritualis distinctus à significatione, ut loqueris, tum physica, qualis est signorum, quæ Bellarminus practica vocat, tum morali, qualis est signorum theoricornm? Nec enim est modus, qui oritur ex signorum & rerum significatarum in Sacramentis unione aut connexione, vel physica, qualis est materiæ & formæ, vel subjecti & accidentis, per inexistentiam; aut localem, per indistantiam; aut spiritualem, per infusionem virtutis alicujus in ipsis signis latentis, ut dicis Thes. 24. Nec est modus, qui oritur ex sola significativa virtute Sacramentorum, ut dicis Thes 29. Qualis ergo est? Calvinus, uti & Belgica Confessio, ad *occultam & mirabilem virtutem Dei* eum referunt: At hoc tantundem est, atque si dicatur, incomprehensibilis est & ineffabilis. Hoc vero quid aliud est quam certum illum modum incertum esse statuere? Dicunt quidẽ Censores, *Sacramenta gratiam conferre fidelibus, ita ut nõ modo significantia signa, sed & exhibitiva seu media & instrumenta sint, quibus Deus Christum cum beneficiis suis offert, & in legitimo sanctoque usu magis magisq; confert.* At dicant, & explicent intelligibiliter modum istum exhibendi Sacramentalem, qui à significatione tũ physica tum morali distinctus sit. Vt enim signum, qua tale, fiat instrumentum seu medium exhibens rem signatam, citra aut supra significationem, ἀκατάληπτον est. Nihil enim agit ultra, nec citra speciem seu virtutem potentiæ suæ. Necesse est, ut, si intelligibiliter velint sententiam suam proponere, exhibitionis istius instrumentalis modum faciant vel physicum vel moralem: At neutrum faciunt. Quid

Ostenditur Censores modum illum exhibendi, quem definiri à Remonstr. postulant, nec definire uspiam, nec definire posse.

aliud ergo reſtat quam ut dicant, incertus plane eſt & ἄῤῥητος, Deoque relinquendus? Et ſane quis, vel Lyncea ingenii acie præditus, percipiat ſigna inſtrumentaliter exhibere gratiam ſeu rem ſignatam, exhibitione tali, quæ nec ſit phyſica tantum, nec moralis tantum ſignificatio, nec utrumque ſimul, ſed aliud & amplius quid relativum & ſacramentale? Tum, quis intelligat ſigna iſta concurrere ut inſtrumenta ſeu media exhibitiva gratiæ, in iis, qui ea legitime uſurpant, cum ii, qui ea uſurpant, ante quam ea uſurpent, de gratia promiſſa apud animum ſuum ſint perſuaſiſſimi; imo cum idcirco ſigna iſta uſurpent, quia rem ſignis iſtis ſignificatam jam ante firma fide apprehenderunt, & apprehenſionem iſtam ſuam publicitus teſtatam fecerunt? Denique quis intelligat, ſigna Sacramentalia eſſe inſtrumenta gratiæ collativa & exhibitiva, cum tota gratiæ ſalutaris operatio immediate à Deo fieri in mente ac voluntate ſtatuatur? Immediata operatio & inſtrumentalis ſunt incompatibilia: Atque hoc argumentum idcirco majoris momenti videri debet, quod Calvinus & Rivetus, Cenſorum horum unus, eo ipſo pugnent contra Pontificios, qui Sacramenta dicunt eſſe inſtrumenta gratiæ collativa. *Hoc enim eſt*, inquit Rivetus Theſ. 28. *Dei actionem propriam & incommunicabilem in inſtrumenta immediate transferre.* Quare perperam admodum feciſſe Cenſores credendi ſunt, cum modum iſtum non tantum confidenter definiverunt præter morem & conſuetudinem aliorum, adeoque contra diſerta verba confeſſionis ſuæ, ſed etiam à Remonſtrantibus definiri hic poſtulant, quaſi heterodoxias notam mereantur, ſi idem aut non audeant, aut non poſſint. Dicet fortaſſe quiſpiam, exhibitionem illam concipi poſſe, ſi Sacramentorum uſus ſerius ac legitimus ſtatuatur conditio, ad cujus præſentiam Deus concedat, & quaſi ſentiendam exhibeat ſpecialiorem aliquam gratiam ſuam; dum videlicet Deus, eum, qui ſignis iſtis juxta inſtitutionem Chriſti ex vera fide utitur, & iis utendo officium ſuum facit, ſenſu gratiæ ſuæ ſingularis dignatur, ita ut ipſe ille uſus & exercitium, veluti medium ſit, quo utens alacrior & promtior redditur ad obſequium divinum, & cæteras officii ſui partes diligentius exequendum: At nemo Remonſtrantium erit, qui id non libenter admiſſurus ſit. Cæterum aliam quandam præter phyſicam, ſeu moralem, ſeu hyperphyſicam exhibitionem ſtatuere, quæ inſtrumentalis exhibitio & collatio ſit rei ſignatæ, id vero prorſus ἀκατάληπτον eſt. Quod ſi qui tamen ſe concipere, atque intelligere poſſe ejuſmodi exhibitionis modum credunt, ii fruantur

judicio suo. Remonstrantes statuunt hac in parte cum Archiepiscopo Spalatensi, *Antonio de Dominis* lib. 7. de *Repub. Eccles.* cap. 11. Sect. 5. cujus hac de re verba hic adscribere operæ pretium est. *Dissensio* (de modo scilicet quo Sacramenta operantur gratiam) *disputabilis est, ac omnino indefinibilis, num videlicet Sacramenta efficiant gratiam, & hoc an physice instrumentaliter, an tanquam conditiones ad quarũ præsentiam Deus concedat gratiam; an tanquam signacula efficacia gratiæ exhibitiva & confirmativa, an alio modo. Et in hac disputatione mutua tolerantia est necessaria, & opinandi libertas relinqui debet, modo Sacramentis sua non negetur operatio spiritualis & efficacia.*

Quomodo Sacramenta vocentur signa obsignativa.

Eadem est ratio obsignationis: Declaratio Remonstrantium vocat Sacramenta non nuda tantum signa, sed & fœderalia sigilla, per quæ Deus à parte sua, veluti Principes per sigilla diplomatis & tabulis appensa solent, visibiliter omnibus testatum facit in Ecclesia gratiosum atque admirabilem amorem ac favorem suum erga genus humanum, quod videlicet, illud per remissionem peccatorum, & per traditionem filii sui unigeniti in mortem acerbissimam & ignominiosissimam, æternæ salutis atque immortalis & gloriosæ vitæ particeps facere velit: & per quæ ii, qui signis istis juxta institutionem Christi vera fide utuntur, in perpete & adsidua recordatione admirandæ istius benevolentiæ divinæ occupati retinentur, sicq; in fide divinorum promissorum, & amore Dei continuo, quasi signaculo quodam, à Deo in Ecclesia instituto, sustentantur & confirmantur: Sigilla itaque sunt respectu Dei, quatenus per ea amoris sui & benevolentiæ testimonium perpetuo ratum facere, & in Ecclesia visibiliter extare vult. Respectu eorum, qui iis ex præscripto Dei utuntur, quatenus Deus eos, qua tales, officium suum facientes, gratia sua dignatur. Vnde fit, ut ii divinæ gratiæ gustum, quasi signaculum quoddam percipiant in animo suo, quo promtiores & alacriores redduntur ad tam benevolum & misericordem Deum redamandum, ejusque beneficia & laudes in Ecclesia ejus celebrandum. Alio modo ut sigilla vocentur, aut obsignare dicantur divinam gratiam incomprehensibile est. Quod si qui tamen alium modum concipere animo suo se posse credunt, ii & hic fruantur judicio suo. Viderint modo ut eum rationabiliter & intelligibiliter concipiant atque explicent, alioquin fimum pedibus scalpturiunt, unde nullum granum eruitur.

Præter hæc (alia enim levicula, & ad quæ jam ante sæpius responsum est, hic multis excutere operæ pretium non est) *duo*, inquit Censor,

Censor, *silentio praterire non possumus, qua Socinum redolent. Primum, cum Sacramenta novi prasertim fœderis, definiant universim, divina ea institutionis, & quidem perpetua esse, omittant, forte quod an Baptismus perpetua institutionis divina sit, an vero temporaria, cum Socino* ἐπέχουσι &c. Atqui mirum merito videri debet Censores hoc in declaratione Remonstrantium tanquam studio aut dedita opera omissum animadvertere, cum nec Confessio eorum, nec Palatina Catechesis id diserte aut in terminis exprimant: Deinde, cum ignorare non possint M. Episcopium in Thesibus istis, quas in hac Censura sua passim citant, velut instar, ad quod declaratio hæc Remonstr. fabricata sit, diserte contra Socinum hoc Corollarium posuisse: *An Baptismum caremoniam & ritum fuisse tantum temporarium, nullo pracepto Iesu Christi, ab Apostolis tantum usurpatum atque exercitum, ulla solida ratione demonstrari possit.* Et negativam partem substinuisse. Quod vero non nemo pro voce, *ulla*, substituit, *nulla*, id tam manifeste falsum esse ex autogropho ipsius M. Episcopii αὐτοψία ipsa nos docuit, quam certum nobis est, bis duo esse quatuor. *Alterum est*, inquit Censor, *quod administrationem Sacramentorum, cum Socino non faciant singulariter Pastorum, sed communiter omnium fidelium.* Cedo locum vel verba Censor & viceris. *At ab ea sententia non abesse Episcopium patet ex Thesibus publice disputatis.* Cedo Theses Censor & en herbam porrigimus. Dixisse id aliquando occasione argumenti alicujus in disputatione dicitur Episcopius, at in Thesibus id uspiam eum proposuisse, falsum est. Sed esto. Dixerit & scripserit id Episcopius, quin imo declaratio Remonstrantium id uspiam directe, vel indirecte affirmet, quod tamen falsum est, ecquod in ea re crimen est? *Atqui Socinianum hoc est*, inquies. Itane? Atqui Calvinus ipse in Institt. suis lib. 4. Cap. 15. Sect. 20. diserte affirmat, *Multis abhinc saculis adeoque (NB.) ab ipso fere Ecclesia exordio, usu receptũ fuisse, ut in periculo mortis Laici Baptisarent, si Minister in tempore non adesset.* Cur quæso, si idem nunc dicerent Remonstrantes, id eos cum Socino dicere per convitium Censor affirmaret, ac non potius cum primitiva Ecclesia, totaque adeo multis seculis continuata Antiquitate? Veruntamen, nec Scriptura nec ratio ulla cogit, cur credendum sit, primitivam Ecclesiam & totam Antiquitatem in eo errasse, nedum, si erraverit, errorem fundamentalem errasse. Quid enim obstat, cur in casu necessitatis, cũ vel cætus, vel pastor haberi nõ potest, à fideli aliquo infans aqua tingi, aut inter fideles Cœna Domini celebrari non possit? Certe, si verbum ipsum in casu necessitatis, aut

Redarguitur suspicio Censorum, quod Remonstr. Baptismum temporariæ institutionis, cum Socino facere videantur.

Calvini verba de Baptizatione Laicorum.

aut ubi ordo nondū ſtabilitus eſt, prædicari poſſe à fideli quolibet, adeoque prædicari debere ex caritatis Chriſtianæ lege, Cenſores ipſi fatentur, cur ſigna iſta Sacramentalia ab eodem, aut ab iiſdem adminiſtrari in ſimili caſu non poſſint, adeoque non debeant, nulla cauſa eſt. Vbi ordo jam eſt ſtabilitus in Eccleſia, & Paſtor haberi poteſt, alia ratio eſt. Nec ſatis eſt, ſi dicas, ordinem iſtum dignum eſſe qui ſemper obſervetur, eo quod Baptiſmus ad ſalutem præciſe non ſit neceſſarius: Nam, I. nec ordo ille præciſe neceſſarius eſt. II. pone caſum, eſſe, quibus aut hoc perſuaderi non poſſit, uti ſunt Lutherani omnes, præter Pontificios, aut qui, licet de eo in genere ſint perſuaſiſſimi, tamen neſcio quo judicii vel animi defectu infantes ſuos baptiſari malunt in periculo mortis, aut alio aliquo caſu: quid? an ordinis iſtius ratio habenda potius erit, quam primitivæ Eccleſiæ, & totius Antiquitatis? Imo etiāſi forte nec primitivæ Eccleſiæ, nec Antiquitatis exemplum ullum eſſet, annon infirmitati eorum potius conſulendum videtur, quam ordinis iſtius, quem præciſe obſervari Deus nuſpiam præcepit; imo quē præciſe obſervatum eſſe ipſorum Apoſtolorum tempore nullo vel exemplo, vel indicio probari poteſt? adde, quēm non fuiſſe obſervatum multa loca non improbabiliter arguunt? De *Nazianzeno* conſtat, eum in periculo mortis, ſeu caſu neceſſitatis infantem baptiſari voluiſſe à quolibet Chriſtiano, alioquin in tertium quartumve annum baptiſmum differri. Sane ubi præciſa neceſſitas nulla eſt, ibi prudentiæ & caritati locum dare tutiſſimum eſt, ut infirmorum conſcientiis conſulatur, & ſcandalis non neceſſariis occurratur.

De Baptiſmo.

Refellitur ſuſpicio Cenſorum, quod Remonſtrantes definitionem Baptiſmi Socinianis & orthodoxis aptaverint.

MIre ſagax in hoc Capite eſt Cenſor: Odoratur etiam ea quæ nuſquam ſunt. *Duplex*, inquit, *hic proponitur definitio, una Sociniana, altera Orthodoxa.* Atqui una eademque & ſimplex prorſus eſt definitio, quæ in Latino exemplari generalius primum propoſita; ſpecialius deinde expoſita fuit elucidationis ergo. In Belgico ſimplicioribus paulum verbis, & capacitati Lectoris accommodatius, aptiuſque ob oculos poſita fuit. Quare quod dicit id factum fuiſſe, *ut utriſque & iis qui ad Socinum deflectunt, & qui in Orthodoxa ſententia perſiſtunt, ſe accommodent*, vaniſſimum & à mente Remonſtrantium alieniſſimum eſt. Veruntamen dato at non conceſſo, quod id eo fine à Remonſtrantibus factum fuiſſet, nihil equidem præter Chri-

ſtiani

ſtiani hominis officium, aut charitatis legem ab iis factum fuiſſe jure meriti dici poſſet. Nec enim erubeſcunt fateri Remonſtrantes, ſe toto animo abhorrere à rigore iſtorum hominum, qui, ſi quis forte probus piuſque poſt adhibitam omnem quam prudenter adhibere potuit diligentiam, non poſſit credere, aut ab animo ſuo impetrare, ut credat, Baptiſmum alii fini ſervire, quam ad teſtandum vitæ male ante actæ derelictionem & vitæ melioris inchoationem, id eſt, non eſſe niſi, ut Cenſores ipſi paulo ante finem hujus ſectionis ipſi loquuntur, Sacramentum pœnitentiæ, idcirco eos intolerabiles & anathemate dignos cenſent. Abſit: Contrarium ſæpius teſtati ſunt Remonſtrantes, & indies facto ipſo teſtantur in cætibus atque Eccleſiis ſuis. Qui aliter cenſent, ii viderint. Eadem ratio eſt de *Pædobaptiſmo*; Remonſtrantes ritum baptizandi infantes, ut perantiquum & in Eccleſiis Chriſti, præſertim in Africa, permultis ſeculis frequentatum, haud illubenter etiam in cætibus ſuis admittunt, adeoque vix ſine offenſione & ſcandalo magno intermitti poſſe ſtatuunt, tantum abeſt, ut eum ſeu illicitum aut nefaſtum improbent ac damnent. Sed nec arbitrantur tamen propterea, eum ut præciſe obſervatu neceſſarium, vel ex præcepto Chriſti, vel ex traditione Apoſtolica, vel alia aliqua certa atque indubitata authoritate tenendum, urgendum, aut imperandum eſſe. Id teſtantur *Acta Fratrum quorundam*, quæ huic Cenſuræ ſuæ præfixa voluerunt, tanquam hæreſeos Remonſtrantium arcana ſcilicet. Nec cauſam habent, cur Cenſores id iis tanquam hæreticum aut intolerandum in cætu Chriſtiano vitio vertant, imo cauſa eſt, cur Cenſoribus id tanquam tyrannis in Eccleſia Chriſti intolerabilis vitio verti à quolibet Chriſtiano debeat. Rationes ſunt, I. Quia nec præceptum nec exemplum ullum eſt in Sacris, unde non dico veritas (de hac enim non quæritur) ſed neceſſitas iſta infantes baptiſandi ſolide & ſine controverſia erui aut adſtrui poteſt. Atque hoc fatentur pæne omnes Pontificii; quamquam ii, ſecus quam Proteſtantes, Baptiſmum abſolute neceſſarium eſſe, neceſſitate, ut vocant, medii, ſine quo regenerari aut ſalvari nemo poteſt, ubique contendunt. Hinc Bellarminus ipſe lib. 4. de verbo Dei Cap. 4. ait: *Baptiſma infantium contra Anabaptiſtas ex Scripturis Lutherani probare non poſſunt, Catholici non ſolent.* Similia habent *Coſterus*, *Gretſerus*, aliique, imprimis Ieſuitæ in Colloquio Regenſpurgenſi. II. Quia Concilium nullum ante quartum ſeculum celebratum fuit in quo neceſſitas Pædobaptiſmi adſerta legitur. Seculo demum quarto, & quidem in Africa Concilium Carthaginenſe,

De neceſſitate Pædobaptiſmi ſententia Remonſtrantiū.

quod Milevetanum vulgo dicitur, Canonem hac de re ſancivit Anno Chriſti CCCCxviij. Nec vetuſtiorem hujus ritus morem reperire eſt.

Synodi Nœocæſarienſis Canon.

III. Quia inter priora & quæ Carthaginenſe hoc concilium anteceſſerunt ſæculo integro, & quod excurrit, *Synodus Neocæſarienſis* in Aſia celebrata legitur Anno ſcilicet Chriſti CCCxv. in qua conſtitutus canon fuit, ex quo non obſcure colligere eſt, iſthic tum temporis infantium Baptiſmum non modo non neceſſarium, ſed ne quidem licitum aut legitimum judicatum fuiſſe. Canon ſic habet περὶ κυοφορούσης ὅτι δεῖ φωτίζεσθαι ὁπότε βούλεται, οὐδὲν γὰρ ἐν τούτῳ κοινωνεῖ ἡ τίκτουσα τῷ τικτομένῳ διὰ τὸ ἑκάστου ἰδίαν τὴν προαίρεσιν τὴν ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ δεικνύεσθαι. Enimvero utcunque eum aliovorſum trahant interpretes, apparet tamen ideo de baptiſmo prægnantium quæſtionem in Synodo iſta motã fuiſſe, quod videretur proles etiam cum matre ſua baptiſari, quæ tamen baptiſari non debeat, niſi ſuper propria voluntate ac profeſſione. Definit autem Synodus ideo recte baptiſmum procedere, quia ad matrem ſolam, quæ de ſe profeſſionem ederet, non etiam ad uterum pertineret.

IV. Quia non modo in Aſia Concilium hoc, ſed etiam in media Africa, & Græcia non pauci Patres, etiam illis ipſis in locis ac temporibus, ubi pædobaptiſmus in uſu erat, publiceque celebrabatur, aperte profeſſi ſunt, Baptiſmum infantium, ſibi non uſque quaque placere, ſalvo fraternitatis jure & communionis vinculo : Vnde non obſcure colligitur tum temporis, etiamſi baptiſmus infantium in Eccleſia uſu receptus eſſet, nihil dum de neceſſitate ritus iſtius ſtatutum aut ſancitum fuiſſe : ſicuti neque de Euchariſtia infantibus præbenda, quem ritum tamen in Eccleſia viguiſſe antiquiſſima teſtimonia fidem faciunt.

Tertullianus.

Talis fuit *Tertullianus*, qui ſuo tempore baptiſmi dilationem acriter urſiſſe & multis rationibus ſuaſiſſe legitur. Sic enim in libro de Baptiſmo cap. 18. inquit. *Itaque pro cujuſque perſonæ conditione ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio baptiſmi utilior eſt, præcipue tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt*, (quod hic in quibuſdam codicibus repetitur, (Si non tam neceſſe) non video quem commodum ſenſum accipiat, ut recte obſervavit Franciſcus Iunius in Notis ſuis ad Tertull.) *ſponſores etiam periculo ingeri, qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli? Ait quidem Dominus, Nolite illos prohibere ad me venire, veniant ergo, dum adoleſcunt, veniant dum diſcunt, dum quo veniant docentur. Fiant Chriſtiani cum Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Senſus eſt, Veniant ad Chriſtum ut inſtituantur, non ut baptiſentur, niſi

nisi postquam vim baptismi intellexerint. Quæ contra hæc ex Tertulliano citantur à quibusdam, aut ad obscurandum hunc locum opponuntur, ea nimis levia sunt quam ut tam claro & gravi loco opponi mereantur. Talis fuit *Nazianzenus*, qui in *Oratione* XL. *quæ est in Sanctum baptisma* pag. 658. *Baptismum in tertium annum aut aliquanto brevius vel longius temporis spatium*, differri suadet, & rationem addit, *quia tum & mystici quiddam audire & respondere possunt, ac, si minus plene & exacte intelligant, imbuuntur tamen & informantur.* Idem hic Pater alibi etiam agens de iis, qui sine baptismo decedunt, exemplum ponit in iis, quibus Baptismus non contingit διὰ νηπιότητα. Verum quidem est cum in necessitatis casu sive in periculo mortis infantes etiam baptisari velle, sed extra casum seu periculum istud, eundem voluisse ut baptismus aliquousque differretur, saltem ad ætatem, quæ interrogationis percipiendæ, & responsionis reddendæ aliquomodo capax est, clarissimum est. Nec dubium videtur, quin cum Tertulliano ad ulteriorem ætatem dilationem extendere voluisset, nisi offensionem nimis gravem metuisset: Similia alios alibi sensisse ac factitasse, nec tamen propterea censitos damnatosve fuisse constat. De parentibus Augustini, Hieronymi & Ambrosii manifestum est, eos distulisse baptismum eorum, usque ad trigesimum annum ætatis eorum. De Constantino ipso similiter constat, eum non nisi adultum, anno vid. ætatis suæ 65. postquam Concilium Nicænum coegerat in eoque præsederat, imo cum jam extremum sibi diem imminere sentiret, Baptismum suscepisse. Ex *Concilio Provinciali Gerundensi* apparet, pueros catechumenos non nisi in Festis Paschatis & Pentecostes baptisari solitos. Verum quidem est, ante tempora Augustini, in Africa præsertim, non dubitabatur an recte baptisarentur infantes. Nec enim Pelagius quando Augustinus, aliique eo argumento pugnabant, negare id unquam ausus fuit, sed tamen quod necessario baptisandi essent, nondum decisum erat. Primus Augustinus fundamentum necessitatis hujus posuisse dici potest, postquam cum Pelagio collidi cœpit. Eo usque enim fervore contentionis abreptus fuit, ut infantes sine baptismo decedentes certo suppliciis æternis, quamquam levioribus, addictos esse pronuntiaverit, quod tamen ejus proprium εὕρημα, etsi communiter receptum statim non fuit, non levem tamen huic, de qua agimus, necessitati introducendæ, & stabiliendæ occasionem dedit per totam Africam, & paulatim per alias Christianorum Ecclesias. Vt ut sit, Remonstrantes causam nullam esse vident, cur sententia eorum, qui Pædo-

Nazianzenus.

Concilium Provinciale Gerundense.

Pædobaptiſmum neceſſario in Eccleſia Chriſti, neceſſitate ſeu præcepti ſeu medii retinendum, aut uſurpandum eſſe non arbitrantur, ut intolerabilis in Eccleſia cenſenda ſit: ac proinde cur paſtores iſti, qui eum per conſcientiam uſurpare non audent, & interim alios eum, ſeu ex conſcientia, ſeu ex traditione, conſuetudine, vel recepto more uſurpantes, tolerare parati ſunt, pro veris ac legitimis Chriſti paſtoribus habendi non ſint: Idem ſane ſenſit Franciſcus Iunius, uti videre eſt in examine Grat. Proſp. parte 1. diſtinct. 49. cum ait, *Etiamſi Pædobaptiſmus à Chriſto expreſſe inſtitutus eſſet, non tamen adeo audacter pronuntiandum foret, eum ad ſalutem neceſſarium eſſe, aut hæreticum eſſe qui ei contradicit: poſſent enim multa accidere, ob quæ intermitti poſſet cæremonia talis externa ſalva conſcientia.*

De Cœna Domini.

De Fine Cœnæ Dominicæ. IN hac ſectione nihil cenſetur quod examine magno opus habet, præter unicum, quod eſt, de fine Cœnæ Dominicæ. *In definitione ejus,* inquit Cenſor, *non niſi unicus & adæquatus finis adſignari videtur, videlicet, mortis Chriſti commemoratio, eaque ſolennis, id eſt, in publico, & Eucharistica, id eſt, conjuncta cum gratiarum actione, cum qua & teſtificatio noſtri cohæret, eorum quæ morte Chriſti nobis parta atque acquiſita ſunt.* Cætera omnia aut Orthodoxa eſſe, & (ut orthodoxias κριτήριον appareat ſcilicet) à Socino diverſa eſſe dicuntur, aut adeo ſunt levicula ut reſponſionem non mereantur.

At, primo. Si Remonſtrantium Declaratio idcirco cenſuram meretur, non paucæ Confeſſiones quæ in harmonia extant, eadem Cenſura dignæ erunt, in quibus nihil aliud quam in Declaratione Remonſtrantium, adſeritur. Secundo, Eandem cenſuram merebitur Scriptura Sacra, quæ alium finem aut fines alios non adſignat; Imo quæ nec obſignationis, nec collationis gratiæ, nec confirmationis fidei noſtræ vel verbo meminit, quos tamen fines principales eſſe Cenſor non dubitat affirmare. Denique eandem cenſuram merebuntur Cenſores, qui in Synopſi purioris ſuæ Calviniſticæ Theologiæ, totidem pæne verbis idem cum declaratione affirmant. Sic enim in diſput. 45. Theſ. 82. loquuntur, ubi ex profeſſo de fine Cœnæ dominicæ agunt. *Huic porro mandato additur univerſalis Cœnæ Dominicæ ut adminiſtrandæ & uſurpandæ finis, in mei ἀνάμνησιν, Commemorationem ſeu recordationem, quod Paulus interpretatur, in meæ mortis memoriam: Quotieſcunque enim* inquit

ederitis

ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis, id est, celebrabitis, cum fidei professione & gratiarum actione, donec veniat, id est, rursus appareat judicaturus vivos & mortuos. Quo ultimo adventu circumscribit durationem seculi, atque perpetuum Cœnæ Dominicæ usum fore declarat. Addunt quidem deinde hæc verba: *Cum quo fine & alter illustrissimus conjungendus est, unio scilicet & communio cum Christo, ac participatio omnium beneficiorum ejus, quem Paulus explicat.* 1. Cor. 10. 16. 17. *quia*, inquit, *unus panis, unum corpus multi sumus.* & cap. 12. 13. *Et omnes una potatione potati sumus in unum spiritum.* Sed eo ipso non obscure significant finem illum, principalem finem non esse, & loca, quæ fini isti probando allegant, talia sunt, ut probando isti sine controversia non serviant, & alio longe referantur à quibusdam interpretibus. Primus enim locus qui ex 1. Cor. 10. 16. 17. desumtus est. *Quia unus panis, unum Corpus multi sumus*, referri aliquando solet ad caritatis mutuæ, quæ inter Christianos vigere debet, testificationem, quatenus, videlicet, illi eodem pane vescentes, & ex eodem poculo bibentes publice testantur se veluti panis unus est, ita unum corpus vinculo caritatis compactum esse, quod communionem habet cum solo Christo, ejusque cultu, & ab idolorum omnium cultu separatum ac segregatum est: Atque hoc ipso sensu versum hunc explicat Leiturgia ipsorum Censorū, quam ante Cœnæ Dominicę celebrationē pręlegere in templis suis solent. Quamquam verisimilius est, si scopus Apostoli videatur, versum istum non de unione & conjunctione Christianorum inter se per caritatis mutuæ vinculum, sed de unanimi potius eorum professione agere, qua publice testantur, se veluti unum corpus, ex uno pane participantes, eodem modo indivulse adhærere unico Domino ac Capiti suo Iesu Christo, qui pro ipsis mortuus est, ejusque unius cultui & obsequio sic devotos ac consecratos esse, ut cum aliis omnibus Idolorum cultibus commune nihil habere velint. Vnde recte Beza communionem exponit, per *efficacem* tesseram nostræ cum Christo conjunctionis, atque adeo incorporationis. Communio itaque hic non significat realem cum ipsa physica corporis & sanguinis Christi substantia unionem, sed tantum professionem unius ejusdemque cultus significat, quo Christo uni Domino suo adhærent Christiani, & quam solemniter testantur, cum memoriam mortis ejus celebrant isto ritu, quem ipse instituit; uti apparet ex vocis istius usu in sequentibus, ubi qui victimas Idolis immolatas edunt, κοινωνοὶ dicuntur *altaris* vers. 18. & *mensæ Dæmoniorum*, vers. 21. adeoque *ipsorum dæmoniorum* vers. 20. Alter locus, qui de-

Sensus loci 1. ad Corinth. 10. 16. 17.

ſumtus eſt ex 1.Cor. 12 13. *Et omnes una potatione potati ſumus in unum Spiritum*, multo minus ad probandum facit. Nam incertum eſt; an in eo de potatione illa, quæ in Cœna dominica fit, agatur; Imo rationes graves ſunt, quæ pene certum faciunt, de ea iſto in loco non agi, ſed de potatione, ſeu liberali perfuſione donorum Spiritus S. qua Chriſtiani omnes ſic perfunduntur, ut fiant unus Spiritus, id eſt, unum corpus, & una anima. Sane ſcopus Apoſtoli iſti expoſitioni fidem facit, qui eſt, indicare variam illam ſpiritualium donorum diſtributionem eo fine à Deo fieri, aut factam fuiſſe, ut iſtis, veluti ſpiritualibus vinculis ac ligamentis, Chriſtiani inter ſe cohærerent, ſeque alii aliorum utilitatibus promovendis impenderent, non aliter, quam membra varia uno ſpiritu inter ſe cohærentia, pro ſua quæque menſura ſibi invicem uſui & adjumento ſunt. Sed & poſito de potatione ea, quæ in Cœna Dominica fit, iſthic verba iſta accipi, quomodo tamen evincetur verba iſta, *in unum Spiritum* ſignificare, eo fine, ut uniamur, & communionem habeamus cum ſubſtantia corporis Chriſti. Impoſſibile eſt. Quis enim non videt verba iſta ſenſum longe alium habere poſſe, ita ut per *unum Spiritum*, non intelligatur ſpiritus, qui Chriſtianos unum cum Chriſto facit, ſed qui Chriſtianos unum inter ſe, ſibique invicem obligatos facit? Et ſane, ſi quis recte locum videat, ſenſum iſtum ſcopus loci poſtulat. Vt ut ſit, ex tam obſcuro, tam dubio loco finem iſtum illuſtriſſimum petere, non eſt accuratorum Theologorum, inprimis in re tanti momenti, quemadmodum rem hanc Cenſores facere videri volunt. Quare rectius feciſſe credendi ſunt Remonſtrantes, cum finem Cœnæ Dominicæ eum adſignarunt, quem aperte atque in terminis adſignat Scriptura, eumque principalem, aut, ut Cenſores in Synopſi loquuntur, univerſalem Cœnæ dominicæ ut adminiſtrandæ, & ut uſurpandæ finem fecerunt. Erubeſcere enim Theologus debet ſine Scriptura loqui, imprimis cum de conſilio & fine, quem Deus in re aliqua propoſitum ſibi habuerit, agitur: Id enim aliunde quam ex Dei ore petendum non eſt. Quod tamen cum fecerunt Remonſtrantes, neutiquam id ita accipiendum eſt, quaſi negent Cœnæ Domini finem etiam obſignationem gratiæ ad confirmationem fidei ſtatui poſſe, eo modo, quo Sacramenta non tantum ſignificantia, & ſignantia, ſed & obſignantia & confirmantia ſigna eſſe jam ante profeſſi ſunt. Apparet id manifeſte ex diſputatione privata Magiſtri Epiſcopii, ad quam Cenſores ſententiam Remonſtrantium, etiam in hoc de Cœna Domini capite, exigi volunt. Sic enim Theſ. 10.

Senſus loci 1. ad Corinth. 12.13.

ait

ait *celebrationis Cœnæ, est sola repræsentatio & significatio mortis ac beneficii illius ingentis, quod per mortem Christi nobis partum atque comparatum est, per quam fides etiam ipsa in nobis excitari & confirmari solet, animusque noster veluti cibo & potu quodam nutriri, & educari in spe vitæ æternæ.* Sed obsignationem illam gratiæ & confirmationem fidei esse finem principalem ac præcipuum, & ex reali illa unione, & communione cum ipsa corporis & sanguinis Christi substantia, ac non potius ex nostra illa actione resultantem ex Scripturis probari posse negant. Quapropter etiam finem alium, quem Scriptura aperte ponit, non adsignare in Declaratione sua tutissimum judicarunt. Et hac in re adsentientes sibi habent non paucos Reformatos, inter quos *Zuinglius*, optimus hujus cæremoniæ Doctor, princeps est. Nec dubitant, quin si hujus rei accuratior ratio habita fuisset in principio Reformationis, immani & detestandæ idololatriæ Pontificiæ, quæ ex reali unione, & communione cum ipsa corporis physici Christi substantia, quæ in Cœna fieri creditur, ortum suum habet, rectius ac solidius occursum fuisset. Atque ut rem hanc altius paulum repetamus, distinctius nonnihil de ea hic agemus, ut quid per unionem & communionem cum corpore & sanguine Christi, quam alterum eumque illustrissimum finem Cœnæ Dominicæ Censores faciunt, intelligatur. Certum est Calvinum & Censores, qui eum ut magistrum suum per omnia serviliter sequuntur, mediam quasi viam inter Pontificios, quibus etiam Lutherani quam proxime accedunt, & Zuinglium, qui ab utrisque longissime recedit, inire, & per communionem sive unionem nostri cum Christo, quæ in Cœna fieri creditur, unionem & communionem eandem, quæ à Pontificiis & Lutheranis statuitur, intelligere, quæ videlicet fit cum ipsa physica corporis & sanguinis Christi substantia, sed modo tantum diverso, & quidem tali, cui, ut Calvinus loquitur lib. 4. instit Cap. 17. par. 7. *nec mens plane cogitando, nec lingua explicando par esse potest.* Qua oratione se separat à Pontificiis & Lutheranis, qui modum istum, ut ita loquamur, corporalem faciunt, & à Zuinglio, qui modum istum, id est, manducationem corporis, & bibitionem sanguinis Christi, nihil aliud esse dicit, quam in Christum credere, uti manifestum est ex lib. 4. Instit. Cap. 17. 5. *Sunt*, inquit, *qui manducare Christi carnem, & sanguinem ejus bibere, uno verbo definiunt, nihil esse aliud, quam in ipsum Christum credere: Sed mihi expreßius quiddam ac sublimius videtur voluiße docere Christus in præclara illa concione, ubi carnis suæ manducationem nobis commendat.*

Zuinglii sententiam sequuntur Remonstrãtes, ut simplicissimã & ad idololatriam omnem evitandam in hac materia imprimis necessariam.

Sententiæ Theologorum variæ de Cœna, earumque occasio prolixius paulum exponitur.

mendat. Hæc eſt illa communio, quæ Cœnæ illuſtriſſimus finis eſt, ex Calvini & Cenſorum ſententia, quamque prætermiſſam in declaratione à Remonſtrantibus conqueruntur Cenſores. At Remonſtrantes fatentur ſe videre nō poſſe ejuſmodi communionem & unionem cum phyſica corporis Chriſti ſubſtantia, quæ in cibum animæ cedat, uſpiam in Scriptura finem Cœnæ Dominicæ ſtatui, aut ratione ulla ſolida niti. Quod enim attinet concionem illam præclaram Chriſti, in qua Calvinus eum à Chriſto doceri credere ſe dicit, ſi ad concionem illam quæ Ioan. cap. 6. extat, reſpicit, in ea de Cœna Domini non agi certiſſimum eſt, quia tum nondum Cœna Domini inſtituta erat, & in ea, non panis Chriſti corpus, ſed vice verſa Chriſti caro panis eſſe dicitur, & eſus carnis Chriſti, ibi cum vita æterna individuo vinculo connectitur, quod de eſu panis in Cœna Domini dici nullo modo poteſt, quippe qui ad judicium & condemnationem edi poteſt 1. Cor. 11. Sed nec ratio ulla eſt, qua ſententia iſta nititur, quin & rationes non leves ſunt, quæ arguunt, modum iſtum communionis non tam ex Scriptura hauſtum, quam confictum tantum fuiſſe à Calvino, ut Zuinglianis ex una parte, & Pontificiis ex altera aliquid concederet; atque ita dum utriq; parti aliquid indulget, commentum ipſius ſine operoſiore indagine, ab utraque parte minus ægre admitteretur. Atque ut inquirendi omnis occaſio præcideretur, myſterium ei adtributum fuit, quod nec mens concipere, nec lingua effari poteſt, quo ipſo admiratio cæremoniæ hujus adeo aucta fuit, ut non minor fere idololatria ſecuta quam ſopita fuerit, & quod caput rei eſt, peritioribus atque accuratis rerum æſtimatoribus, ritus hic alioquin per ſe obvius ac facilis, neſcio cujus vanitatis ſuſpectus, & adverſariis omnibus ludibrio propinatus fuerit. Nam obſecro, communio illa cum ipſa corporis & ſanguinis Chriſti phyſici ſubſtantia, quem fructum dare poteſt, aut quem ſpiritualem in anima noſtra effectum, imprimis cum ſit communio cum corpore mortuo & ſanguine effuſo? Nec enim eſt communio cum Chriſto integro, Spiritu vivifico prædito, ſed cum ipſius cadavere.

Concio Ieſu Chriſti Ioan. cap. 6. perperam ad materiam de Cœna Domini trahitur.

Deinde, communio iſta, aut eſt communio cum ſubſtantia corporis Chriſti ut in cælis jam exiſtente & manente, aut cum ea ut in terra; & in ipſo Cœnæ uſu reipſa præſente. Si *primo modo*, quomodo non dico credibile ſed poſſibile eſſe concipi poteſt, imo quomodo non impoſſibile, adeoque abſurdum videri debet, Corpus Chriſti, quod eſt, & manet in cælis, & non alibi, vere communicari nobis, qui in terra ſumus, & non alibi, ita ut nobis cedat in cibum? Dices fortaſſe,

Oſtenditur communionē cum Phyſica corporis Ieſu Chriſti ſubſtantia periculoſum & abſurdum commentum eſſe.

fortasse, unionem & conjunctionem illam nostri cum substantia corporis Christi per fidem fieri, qua tanquam ore spirituali corpus ipsum Christi comedimus: Ac hoc consequenter dici non potest, quia communio illa, quæ per fidem fit, etiam ante & extra Cœnam locum habet, adeoque cœnam ipsam præcedere debet. Deinde, unionem & communionem illam, quæ per fidem est, diserte Calvinus distinctam esse vult ab unione illa & communione, quæ in Cœna fit, uti ex loco ante citato manifestum est. Denique unio ista, quæ per fidem fit, non est incomprehensibilis, nec inperceptibilis, sed talis, quæ facile percipi potest. At unionem seu communionem illam, quæ in Cœna fit, esse incomprehensibilem & ineffabilem passim Calvinus, Beza, aliique docent. Sic enim Calvinus Instit. lib. 4. cap. 17. distinct. 10. *Etsi autem incredibile videtur, in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum; meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quam stultum sit ejus immensitatem nostro modo velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides.* Et Beza in tractatu de re Sacramentaria s. 9. *Fatemur incomprehensibile esse mysterium Dei, quo fit, ut, quod est & manet in cælis & non alibi, vere communicetur nobis qui in terra sumus & non alibi.* Si *secundo modo* dicatur in Cœna fieri communio cum substantia physica corporis Christi, tum ubiquitas corporis Christi, ut admittatur oportet, & corpus Christi realiter nobis uniri, cumque præsens sit corporaliter, tamen spiritualiter comedi, & quidem modo inexplicabili, ut concedatur necesse est. Quæ omnia cum non modo obscura, & incomprehensibilia sint, sed manifestam etiam in se contineant tum vanitatem tum absurditatem, adduci sane non possunt Remonstrantes, ut communionem talem cum physica corporis & sanguinis Christi substantia, finem Cœnæ Dominicæ faciant, rati sufficere, adeoque tutissimum esse, ut ad Scripturæ instar loquantur, & incomprehensibilia, ineffabilia illa mysteria, quæ humana seu curiositas seu superstitio in hoc tam simplice tam plano & à nullo non ingenio facile perceptibili ritu finxit potius quam repperit, iis relinquant, qui postquam à simplice Scripturæ phrasi semel discesserunt, admirationibus inexhaustis se pascere malunt quam clara veritatis scientia. Nec dubitant quin ex isto fonte emanaverit hodieque adhuc fluat ingens illa idololatria apud complures, qua major concipi vix potest. Nimirum, magnorum mysteriorum, quę huic ritui subesse creduntur, apprehensio, peperit admirationem, quam adoratio è vestigio subsecuta est,

totaque illa pompatica circumgestatio, quam in Ecclesia Pontificia non sine lachrymis adspicere potest Christianus, & in cæteris Ecclesiis tanta tamque superstitiosa vanitas, ut Cœnæ hujus usurpatio veluti panacæa quædam habeatur, & præsentissimum scelerum ac mortalium omnium peccatorum remedium & antidotum. Quod si qui tamen communionem hanc firma fide tenendam sibi putant, Remonstrantes ii non sunt, qui eos idcirco cætu suo indignos, nedum cœlo exclusos statuunt. Absit, dummodo diligenter sibi caveant, ne idololatriá se maculent, eosque, qui idem secum sentire per conscientiam non possunt, cætu & communione sua indignos non judicent, atque ita pietatis & caritatis Christianæ legem non violent.

De aliis sacris Ritibus seu adiaphoris.

CAput hoc sine obelo & veru est. Ne tamen orthodoxum plane videatur, Censores digitum intendunt in paragraphos 6, 7, 8, quasi in iis aliquid sit, quod configi mereatur. Remonstrantes in paragraphis istis liberos & adiaphoros fecerunt omnes istos ritus, qui, etsi ab Apostolis eorumque discipulis observati legantur, præcepti tamen ab iis non fuerunt, aut ut in perpetuum & necessario ubique observarentur, traditi non sunt. *Verum enimvero*, inquit Censor, *quamvis neque nos in talibus ex Apostolico instituto, pro tempore, loco, personisque & observationis exemplo legem necessitatis absolutæ toti Ecclesiæ figamus: attamen Apostolicæ constitutiones aut exempla autoritatem certam præ reliquis hujusmodi observationibus habent.* Quorsum hæc? Nam tantum abest ut declaratio id neget, ut contrarium directe & in terminis adserat. Mirum vero merito videri debet, Censores hic tam diserte istud observare, cum in praxi sua contrarium à se fieri non uno modo testatum faciant, quoad varias constitutiones & exempla, quæ Apostolica esse constat. Nam quam quæso præ reliquis ritibus autoritatem apud eos habent *impositio manuum super pueros*, Matth. 19. 5. *super ægros* Marc. ultimo; *unctio ægrotorum quæ cum oleo fit*, Marc. 6. 13. Iacob. 5. 14. *lotio pedum*, Ioan. 13 14.? Et annon Apostolica constitutio est ut *viri prophetantes*, id est, juxta ipsorum Censorum propriam interpretationem, Scripturæ sensus populo exponentes, *aperto capite sint*, 1. Corinth. 13. 4.? & tamen in Ecclesiis eorum Gallicanis, & à duobus hisce Censoribus ordinarie contrarium fit. Et hi tamen Censores, ut scil. religiosi Apostolicarum constitutionum & exemplorum præ aliis omnibus

Ostenditur Censores sine ulla causa culpare declarationem, quoad rituum & cōstitutionum Apostolicarū observationē, illosque ejus rei, quam culpant, maxime reos esse.

bus

bus patroni & obſervatores videantur, declarationi Remonſtrantium hac parentheſi ſua atrum ſtigma inurunt, quaſi videlicet in rituum Eccleſiæ præſcriptione, Apoſtolicas conſtitutiones & exempla tam parvi faciant, ut ea aliis quibuſvis humanis conſtitutionibus aut æquanda aut poſthabenda eſſe ſtatuere videantur. Sic qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.

Alterum eſt ejuſdem commatos, Pro Magiſtratus autoritate & poteſtate videri volunt religioſe contendere, & interim nihil minus quã hoc agunt, quin & contrarium ubique facto probant, niſi cum eum ad nutum & arbitrium ſuum habent. *Quod attinet*, inquit Cenſor, *monitionem, quam de Magiſtratu addunt Remonſtr. dum ajunt: Speciatim Chriſtiani Magiſtratus autoritas, ubicunque haberi poteſt, ob publicam Eccleſiæ tranquillitatem in talibus ſemper attendenda eſt, eam nullo Scripturæ teſtimonio muniunt.* Eſto: Quid opus erat ut eam teſtimonio munirent, cum eam extra dubium ponerent Remonſtrantes? At eo ipſo, quod eam à Remonſtr. nullo teſtimonio munitam fuiſſe quaſi conqueruntur, haud obſcure ſignificant, poteſtatem iſtam perperam & immerito ſive abſque divina autoritate Magiſtratui à Remonſtrantibus deferri. Nam cur eam teſtimonia Scripturæ munitam cupiunt, ſi de ea non dubitant, imo ſi eam ſuſpectam reddere propoſitum non habent? *At multo jam exilius loquuntur*, inquit, *de poteſtate Magiſtratus, quam antehac fecerunt, & cap. ultimo faciunt, utpote qui eam reſtringunt ad talia, ſc. Eccleſiaſticas obſervationes, &c. At vero cap. ultimo primariam & architectonicam ipſi authoritatem in toto ordine & regimine Eccleſiæ attribuunt, quæ ſane ſibi mutuo parum conſentiunt.* Quaſi vero Remonſtrantes hoc in loco propoſitum habuerint univerſaliter & in genere de poteſtate Magiſtratus agere, aut cum hic *poteſtatem Magiſtratus in talibus attendendam eſſe* aſſerunt, excluſive id ad alia omnia dictum voluerint. Belgica Confeſſio, cujus verba Cenſor ipſe hic citat, contrarium ſatis indicat; Nam diſerte habet, Poteſtatem Magiſtratus in talibus *quoque* eſſe attendam, quaſi dicat, uti in aliis, ita in his quoque. Nullum hic veſtigium diſſenſionis eſt cum iis quæ cap. ultimo & alibi variis in locis à Remonſtr. aſſerta ſunt. Sed venenum in cauda eſt. *Sed* inquit *quam ſint reipſa Magiſtratus obſervantes res ipſa abunde clamat.* Calumniam hanc ad animum revocari à Remonſtrantibus æquum eſt. Nihil enim eſt, quod eos minus decet, quam ne Dei & vicariorum Dei in terris parum reverentes videantur. Nihil etiam, quod ad invidiam iis apud ſummos imoſque juſtius conciliandam facere poteſt.

De Autoritate Magiſtratus circa rituum externorum in Eccleſia publica conſtitutionem.

Remonſtrãtes in capite de Magiſtratus autoritate, ſibi non eſſe diſſimiles oſtenditur.

Diluitur atrox calumnia, qua Remonſtrãtes gravat Cenſor, ut parum reverentes Magiſtratuum, & in ipſos Cenſores regeritur criminatio.

potest. Quare, Censor, si res ipsa id clamat & abunde quidem, dic, quæ, quando & ubi? Cedo factum eorum quod eorum dici potest. Nec enim nisi eorum facta propria reos eos agere possunt. Singulorum facta præstare non est ipsorum, alioquin & Apostolos omnes proditionis, & Ecclesias vestras variorum criminum, scelerum ac flagitiorum reas esse res clamabit, si eæ ex factis horum aut illorum æstimentur. Remonstrantium doctrinam ab isto crimine immunem esse res ipsa clamat. Reverentiam, quæ populorum rectoribus, æquis seu iniquis, debetur ex jure divino, inter prima in cætibus suis commendatam semper habent: Nulli fas esse volunt, ut iis reclametur, nisi cum conscientiis vis & divinæ autoritati injuria fit. Nec vim licitam putant, quæ iis infertur aut statutis eorum opponitur. Quidvis potius ferre subditos jubent, quam vim regerere, usque adeo, ut veritas etiam seditiosa iis displiceat: Hæc est doctrina, hoc consilium, hoc studium eorum. Si unquam consilium dederunt contra publicam autoritatẽ, imo si id non egerunt, ut consiliis ejusmodi studiisque obex poneretur in animis subditorum, si sanguinolenta consilia & studia omnia non damnarunt palam publiceque, causam non dico, rei agantur, & pro merito plectantur: At, ô Censores, quis pudor? hæc à vobis objici Remonstrantibus? Quam vos sitis reipsa Magistratus observantes, res ipsa toties, tam abunde docuit: & ne vetera aut jam obsoleta refodiam, nuperum vestrum malesanum consilium, quod manu vestra signastis, & quod jam in oculis ac manibus Fœderati Belgii est, nimis heu! nimis, inquam, clare docuit. Per vos (inscios, conscios, quis dixerit?) non stetit, quo minus rebelles & seditiosi cives in Rectores suos optimos, in florentissima civitate Amstelodamensi insurrexerint, & si res ex turbonum opinione processisset, cæde ac sanguine omnia isthic miscuerint; vos eos, alioquin minime malos, consilio vestro veluti œstro aut calcari concitatos, ea tentare fecistis, quæ si successu non caruissent, & provida Rectorum cura repressa nõ fuissent, in nervum erupissent & non Rectoribus tantum, sed patriæ toti nostrę funestissimum drama spectandum dedissent.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
aut,
In tabulam Syllæ, si dicant quatuor aut tres
Discipuli, &c.

Sed istud fere ingenium est eorum, qui scelerum incentores & patroni sunt, ut, aut quod scelus ipsi agunt, aliis fidenter impropere-

rent,

rent, ut ab eo abhorrere videantur, aut quod aliis crimini dant, sibi ipsis indulgeant.

AD CENSVRAM CAPITIS XXIIII.

De Disciplina Ecclesiastica.

IN *hac de disciplina Ecclesiastica declaratione, plurima*, inquit Censor, *recte dicuntur: Paucula vero sunt quæ requiramus*: Bene habet: Paucula ista digna sunt quæ vindicentur: Nec enim levia sunt, nec exigui usus, quamquam jam ante sæpius observata sunt & quorsum tendant, non semel inculcatum.

Ac primo quidem, inquit, *quod Sectione 3. & 4. in explicatione causarum exercendæ disciplinæ in pastores præfectosque Ecclesiæ, & auditores seu oves, delectentur tantopere consueta sibi loquendi ratione*, Legum & præceptorum Iesu Christi, *quasi Christus novus quidam Legislator esset juxta Patrem suum.* Fatentur Remonstr. delectari se ista loquendi ratione, non quia hunc aut illum autorem sapit, nedũ quia eam à Socino mutuati sunt, sed quia Dei & Scripturæ phrasis est, & quia Religionis totius corculũ ac medulla est. Nihil æque necessarium esse credunt, quã ut credatur, Christum Novæ legis latorem esse, non juxta Patrem, ut inepte Censor loquitur, sed nomine Patris sui, à quo missus fuit, ut non suam, sed ut ipsius voluntatẽ humano generi annunciaret, uti Ioa. 6. & variis in locis apertissime legitur. Nisi hoc serio inculcetur & firmiter credatur, præcipua salutaris veritas ut percipiatur impossibile est. Nec periculosior est doctrina ulla, quam quæ veritatem istam aut obscurare studet aut evertere. Quare suspectissimum videri piis omnibus debet, quod ad lapidem hunc pene ubique seu data seu captata occasione, Censores hæreant, tanquam si ægerrimum ipsis sit veritatem istam urgeri & inculcari. Vix certius ullum indicium fieri potest, quod persuasum habeãt doctrinæ ipsorum principalis ac fundamentalis, de Prædestinatione absoluta, arcem ab isto ariete maxime labefactari ac tantum non suppeditari. Enimvero quid absolutæ Prædestinationi cum Legibus & præceptis, promissionibus ac comminationibus &c. commune est? Palpari utraque manu potest, ista adversis inter se frontibus pugnare, & quicquid istis conciliandis adhibetur, nil nisi fucum Sophistarum præstigias esse. Quo magis adlaborandum Remon-

Defenditur consueta loquendi ratio, quã hic Censor impudẽter taxat, *Legum & præceptorum Iesu Christi.*

ſtrantibus, adeoq; omnibus pietatis antiſtitibus eſt, ut clavam iſtam ex manibus ſuis extorqueri ſibi nunquam ſinant. *Omnis itaque doctrina, Chriſti*, ait Cenſor, *ipſis Lex eſt, juſſio & præceptum, cum aliqua ſit doctrina quæ actioni noſtræ non ſit ſubjecta, ſed mente tantum pie accipitur.* Quot verbo hic, tot pene errata. I. Non omnis doctrina Chriſti Remonſtrantibus eſt Lex, juſſio aut præceptum. Non ſunt tam bardi, ut univerſam doctrinam Chriſti, quæ hiſtorias, facta, dicta, promiſſa, minas &c. continet, pro legibus, juſſionibus aut præceptis habeant: At cum hic de diſciplina Chriſti agant, id tantum voluerunt, circa neminem diſciplinam illam Chriſti exercendam eſſe, ſive quis erret in recte concipienda veritate aliqua fundamentali, ſive peccata & ſcandala committat, niſi voluntariæ alicujus culpæ, qua factum fuit, ut in errorem aut ſcandalum inciderit, vel poſtquam in ea incidit, in iis perſeveret, reus ſit atque eſſe convincatur; Errorem enim purum putum, vel defectum rei alicujus, quem non habere non fuit in poteſtate hominis, Cenſuræ Eccleſiaſticæ cauſam ſatis gravem eſſe non poſſe. II. Doctrinam aliquam eſſe, *quæ actioni noſtræ non eſt ſubjecta ſed mente tantum pie accipitur*, neutiquam negant Remonſtrantes, ſi modo duo attendantur, I. Vocem *pie* ſuperfluam Cenſori videri debere. Nam dicere, doctrinam mente tantum accipi & ſimul *pie* accipi mente, ἀκυρόλογον eſt, ne quid gravius dicam: *Pie* enim accipere ſupponit voluntatem liberā accipiendi, uti ex natura rei liquet. II. Sub voce *doctrinæ quæ actioni noſtra ſubjecta non eſt, & mente tantum accipitur*, fidem non intelligi: Sic enim profiteri non dubitant Remonſtrantes, falſiſſimum eſſe doctrinam Chriſti quæ & quatenus fidem reſpicit, actioni noſtræ ſubjectam non eſſe, eamque mente tantum accipi. Tantum enim abeſt ut doctrina fidei actioni noſtræ non ſit ſubjecta, ut fides non ſit niſi noſtra actio. Nec mente proprie nedum tantum accipitur, ſed voluntate noſtra præſtatur idque ad legem & præſcriptum Euangelii. Vt fides ſive fidei doctrina *pie dicatur accipi mente*, ne quidem ipſi Cenſores admiſerint, qui pietatem non præcedere ſed ſequi fidem & ad præcepta, non autem ad doctrinam fidei pertinere volunt, & ubique urgent. Ratio quæ lectorem movere poteſt, ut ſuſpicetur, Cenſorem id ſub verbis iſtis ſuis voluiſſe, duplex eſt. I. quia non uno in loco nec ſemel tantum ſed ubique fere inculcat, *homines in ſui converſione non habere ſe niſi mere paſſive*, uti totidem verbis legere eſt cap. 4. Cenſuræ pag. 62. ubi & illud obiter adnotavimus. II. Quod ſtatim & è veſtigio ſubjiciat hæc verba: *Ipſumque præceptum fidei ſit oppoſitum*, per

Redarguitur locutio, doctrinā aliquā eſſe, quæ actioni noſtræ nō eſt ſubjecta ſed mente tātum pie accipitur.

per ἐξήγησιν & αὔξησιν simul ab eo factum videtur, tanquam si non satis dixisset, cum *doctrinam fidei actioni nostræ subjectam nō esse, & menti tantū accipi* dixerat, nisi adderet, *præceptum etiā, fidei oppositum esse*. Quo dicto nihil Christiano homine, nedū Theologiæ Doctore & Professore indignius, nihil fœdius, nihil pestilentius pene dixerim, concipi potest. Hæsi aliquamdiu animi pendens, anne mentem Censoris recte caperem, sive, annon vox, *fidei*, in genitivo casu à Censore esset prolata, sed ubi oculum & mentē propius adverti & consequentia introspexi, dativo casu eam prolatam esse reipsa comperi. Refellitur falsa & periculosa Censura, quæ Præcepta opposita esse Fidei affirmat.

Obticui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Nam si præceptum est oppositum fidei, fides itaque non modo sub præcepto non est, nec diversum saltem aliquid à præcepto, sed tale quid, quod præcepto qua tali, repugnat; falsum itaque est, eum, qui credit, Deo præcipienti vere obedire; & contra, eum, qui vocatus non credit, inobedientem esse Deo jubenti. Falsum id quod dixit Apostolus Ioan. 1. Epist. suæ cap. 3. v. 23. *Hoc est igitur mandatum ejus, ut credamus nomini filii ejus Iesu Christi, &c.* Denique Scriptura tota erit

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

At Catachrestica est locutio, qua mandatum Dei pro Doctrina accipitur, inquit Censor; Imo vero, inquam, catachreses ejusmodi fingere sine causa, sine ratione, est Scripturam totam sursum deorsum vertere, & quidlibet ex quolibet facere. Propriissima est oratio & in qua κατάχρήσεως ne species quidem est. *Attamen*, inquit Censor (nec enim aliam probationem reperio) *alias diserte distinguuntur, fides, notitia, cognitio Christi & mandatum caritatis bonorumque operum.* Esto, inquam. At nuspiam mandatum caritatis & bonorum operum distinguitur à fide, notitia & cognitione Christi, ut non mandatis à Deo, nedum ut mandato caritatis oppositis, quod Censori probandum est. At 1. Ioan. 2. vers. 3. 4. & 3. vers. 6. *ex mandatorum Christi observatione; cognitionis Christi, seu fidei veritas & certitudo colligitur*: Esto, inquam; At istis in locis non dicitur, notitiam illam Dei & Christi, esse notitiam, quæ non præcipitur, & actioni nostræ non subjacet, tantumq; mente accipitur, proinde quæ mandatis proprie dictis est opposita. Neq; recte id ex verbis colligitur, non magis, quam si quis concludat hunc in modum, Ex mandatorū Christi observatione colligitur veritas & certitudo propositi animi nostri, quo Deum amamus, timemus & reveremur, Ergo propositum animi nostri non proprie mandatur, neque actioni aut voluntati nostræ sub- Expenditur sentētia locorum 1. Ioa. 2, 3. 4. & 3. 6.

jacet: Conclusio enim hæc manifeste falsa est. Deinde, non dicitur in allegatis locis, mandatorum observationem esse aliquid reipsa distinctum à notitia Dei & Christi, nedum ei esse oppositum. Denique non dicitur ex mandatorum observatione, tanquam ex re specie aut numero distincta à cognitione & notitia seu fide Dei & Christi cognosci, quod quis Deum & Christum noverit. Nihil horum: Tantummodo in locis istis asseritur, Eum, qui dicit, id est, qui non ore tantum profitetur, ut hypocritæ solent, sed animo etiam suo, aut sibi ipsi persuadet certoq; & serio in animũ suum inducit se Deum nosse, id merito dicere aut persuadere sibi non posse, nisi mandata Dei observet, quod de ipso mandato fidei etiam verissimũ est; Qui enim dicit se credere seu confidere Deo, is id sibi persuadere jure non potest, nisi mandatum fidei seu confidendi Deo reipsa præstet. Notitia itaque Dei & Christi his in locis non significat nudam & theoreticã Christi & Christianæ Religionis notitiam, quæ mente tantum accipitur, & actioni nostræ non subjacet. Nihil minus; istam enim notitiam habere quis potest, ut mandata tamen non observet. Nec sequitur, si quis ista notitia Deum & Christum novit, is mandata etiam Dei & Christi præstat. Nam diserte ait Apostolus 1.Cor. 13.3. *Etiamsi sciam omnia mysteria, & omnem notitiam* (habeam) *& omni fide præditus sim, caritatem autem non habeam, &c.* Fieri itaque posse significat, ut quis notitiam istam habeat & tamen mandata non præstet. Et Servator noster Luc. 12. 47. *Servus sciens voluntatem Domini & non faciens pluribus plagis vapulabit.* Vide similia loca Tit. 1. 16. 2.Timoth. 3. 5. Apoc. 2. 9. Rom. 1. vers. ultimo 2. Pet. 2. 18, 19, 20, 21, 22. &c. Sed notitia Christi istis in locis significat notitiam Christi practicam, non quæ praxin tantum pro fine habet, sed quæ cum praxi conjuncta est, id est, Synecdochice, totum cultum & obsequium Dei, quod hominem Christianum constituit, quo sensu nosse Deum & Christum accipitur, Ioan, 17. 3. *Hæc est vita æterna ut te cognoscant unum illum & verum Deum, & Iesum Christum quem misisti*, & passim in veteri & novo Testamento, Vide expressa loca Ierem. 22. 15. 16. *Pater tuus annon comedit & bibit, & fecit judicium & justitiam & tunc bonum fuit ei? Iudicavit judicium pauperis & egeni, & tunc bonum fuit ei? Nonne hoc est*, Nosse Me, *dicit Dominus?* Ierem. 2. 8. *Sacerdotes non dixerunt ubinam est Dominus? & tenentes legem non NOVERVNT me.* Vide similia Ierem. 4. 22. cap. 9. 3. cap. 10. 25. 1. Sam. 2. 22. Esa. 1. 3. Prov. 1. 7. Iob 28. 28. Oseæ 4. 1. 2. 6. cap. 5. 4. cap. 6. 3. 6. cap.

Quid in supra dictis locis sit Nosse Deum & Christum, & quomodo id conjungatur cum observatione mandatorum.

cap 8.2. &c. Hæc notitia Dei in his etiam locis intelligitur, non quasi aliquid reipsa distinctum à mandatorum observatione, sed quasi complectens universam observationem mandatorum, & omne illud, quod necessario requiritur ad hoc, ut quis vere Dei cultor & Christianus censeatur à Deo & à se ipso; sed tamen sic eam complectens, ut quis etiamsi sciat in genere, notitiam illam omnia ista in se complecti, nihilominus tamen animo suo ea separare possit, id est, sibi persuadere se Christum colere, se Deum revereri, cum tamen serius & solicitus mandatorum Christi observator non sit. Sensus itaque verborum Apostoli Ioannis hic est: Qui dicit & quidem ex animo, id est, qui sibi ipsi serio persuadet se Christianum & Dei cultorem esse, is jure id dicere ac persuadere sibi non potest, nisi mandata Dei & Christi (ac proinde mandatum etiam de fratribus diligendis, ad quod proprie respicere videtur Ioannes) sedulo custodiat; non quasi fieri possit, ut quis verus Dei cultor & Christianus sit, qui tamen mandata Dei non observat, aut quasi observatio mandatorum aliquid sit diversum aut re ipsa distinctum ab eo quod est Christianum esse. Nihil minus, sed quia fieri potest, ut quis, qui in genere id novit, Christianum scilicet non esse, qui mandata Christi non observat, nihilominus tamen sibi ipsi persuadeat, se Christianum esse, quamvis præcepta Christi non observet, quia videlicet per inadvertentiam aut φιλαυτίαν ad præcepta Christi in specie, & ad actiones suas singulares non, prout oportet, animum advertit. Itaque locutio hæc Apostoli similis est istis; Qui dicit se subditum Regis esse, & tamen non facit ea, quæ subditos decent, is mendax est. Non quasi is qui id dicit, subditus non sit, aut subditus esse nolit, aut quasi subditum esse distinctum aliquid sit ab eo, quod est mandata Regis facere, sed quod, licet subditus sit, & subditus esse velit, quin imo sibi ipsi persuadeat se subditi officio non deesse, adeoque facere quæ Regiæ voluntatis sunt, tamen subditus verus appellari non mereatur, si in observando hoc aut illo mandato Regio negligens sit, aut alioquin subditi officium in hujus aut illius, atque imprimis singularis alicujus mandati Regii observatione non faciat. Similiter, Qui dicit, Amicus tuus sum, & tamen cum fama mea læditur, non interponit se, non studet eam adserere à calumnia, aut cum mihi adversa eveniunt, tum solatium & auxilium mihi non præbet, is est mendax. Non quod amicum verum esse & famam amici adserere à calumnia &c. duo quædam reipsa inter se distincta sint, sed quod fieri possit, ut aliquis qui in genere scit, illam demum esse

veram amicitiam, quæ mutuo ſenſu boni & mali adficitur, in ſpecie tamen id ad ſuas actiones non transferat, non quia directe id facere non vult, ſed quia per inadvertentiam (quæ interpretative voluntaria eſt) uſque adeo ſibi lenocinatur, ut id à ſe non fieri non ſentiat, etiam cum creberrime id facit. Quare loca hæc perperam allegata hic eſſe liquet.

Paragrapho VIII. & IX. *declarant Remonſtrantes*, inquit Cenſor, *Diſciplinam Eccleſiaſticam non eſſe actionem, quæ cum carnali autoritate, aut mundana poteſtate, aut vi ulla coactiva ab Eccleſia exercetur. Quod certe & nos fatemur* inquit, &c. *Verum diſciplinæ ſpirituali vim omnem omnino coactivam ſimpliciter detrahere, abſonum eſt: Etenim, ut vis illa non ſit externa, ſed interna, attamen vis coactiva quoque ei competit, nempe in conſcientia cujuſque.* Hæc elucidari merentur. Nam partim ad rem non faciunt, partim à Cenſore conſentanee non dicuntur. Ad rem non faciunt: Nam cum declaratio Remonſtr. de vi coactiva loquitur, vim coactivam proprie dictam intelligit: At vis iſta ſpiritualis, qua conſcientia cujuſque convincitur, vis coactiva proprie dicta non eſt, ſed quæ improprie aut per κατάχρησιν vis & coactiva vis vocatur, quam vim tantum abeſt ut Eccleſiæ adimat declaratio, ut iſta unica illa vis ſit, quam Eccleſia exercere & poteſt & debet ex præſcripto Domini ſui. Etſi vero non raro, in homiliis præſertim & concionibus, Eccleſiæ tribuatur quod cogat & coactiva vi utatur, quin & in Scripturis aliquando homines dicantur cogere alios ut intrent in nuptias Luc. 14. 13. &c. tamen in diſputatione ſeria cum de coactione & coactiva vi agitur, ad proprietatem vocum attendendum eſt, alioquin facile committitur ignoratio elenchi & hic de alliis, ille de cæpis diſputat. Quare cum Cenſor addit, *ut ut vis illa non ſit externa ſed interna, attamen coactiva vis eſt*, in aliud genus tranſit & à proprietate vocis ſe recedere oſtendit, quod accuratum diſputatorem, nedum Profeſſorem, minime decet. Nam vis coactiva proprie dici non poteſt eſſe interna: Coactio enim principium motionis externum formaliter dicit, & principium quidem, ad quod is, qui cogitur, nihil plane confert. Omne enim coactum eſt invitum & involuntarium ex ſententia omnium Philoſophorum & principis Ariſtotelis.

Diluitur inepta Cenſura, de vi ſpirituali coactiva interna.

Veruntamen eſto, coactio etiam metaphorica intelligatur, nihilominus tamen Cenſor eam tribuere non poteſt Eccleſiæ, ſi conſentanee principiis ſuis loqui velit. Quod ſic doceo: Vis coactiva interna iſta eſt, perſuaſio & convictio conſcientiæ de eo, quod quis in errore,

Oſtenditur Cenſorem nõ poſſe Eccleſiæ tribuere vim coactivam internam, ſi conſequenter loqui velit.

errore, peccato aut ſcandalo pertinaciter perſeveret, atque idcirco regno Dei non minus certo excludatur quam à menſa Domini arcetur, uti hic Cenſor loquitur ad Catecheſios Palatinæ formulam, Dominica 31. Quæſt. 85.

(An poſſibile ſit ut quis in conſcientia convincatur & certo apud ſe ſtatuat ſe cæleſti regno excluſum eſſe, ſi in errore perſeveret, & nihilominus in errore iſto pertinaciter velit perſeverare, non examinabitur hoc in loco. Quin impoſſibile ſit ex Cenſoris ſententia dubitandum non videtur. Nam juxta Cenſorem, mens perſuaſa neceſſario poſt ſe trahit voluntatem. Neque enim voluntas aliud quid eligit aut eligere poteſt, quam quod ratio conſultatione conducibilius eſſe deprehendit, uti Cenſor locutus eſt pag. 103. At ubi perſuaſio eſt in conſcientia quod quis certo certius regno cælorum excluſus ſit, ſi in errore perſeveret, ibi ratio conſultatione, quid conducibilius ſit, deprehendiſſe ſtatuitur, ac proinde jam concluſiſſe, ſatius eſſe è regno cælorum excludi & æternum damnari quam errorem deſerere, quod impoſſibile eſt.) Sed ſic jam diſputo ex principiis Cenſoris. Perſuaſio iſta aut fiet in conſcientia eorum, qui ab æterno electi ſtatuuntur à Cenſore, & in tempore jam à Deo fide ſunt donati, aut in conſcientia aliorum, qui ab æterno reprobati dicuntur & fidem veram nunquam habuerunt, ac ne habere quidem potuerunt. Si in conſcientia electorum, & fide vera ſemel donatorum perſuaſio iſta fieri dicatur, tum ſequetur, electos iſtos quando ob pertinaciam iſtam excommunicantur, à Deo vere ac reipſa regno cælorum excludi, eoſque id credere ac ſibi perſuadere debere, *ſi videlicet excommunicatio juſte inſtituatur*, prout Cenſor diſerte loquitur hoc in loco: Vtrumque hoc quam ſit abſurdum res ipſa loquitur: Electum enim aliquem eſſe & reipſa cælo excluſum, contradictoria ſunt. Fide etiam vera præditum eſſe, qua quis credit ſibi omnia ſua peccata remiſſa eſſe, & perſuadere ſibi ipſi quod propter pertinaciæ peccatum excluſus ſit ex regno Dei, non minus inter ſe pugnant, quam aqua & ignis. Reprobos quod attinet, Si in conſcientia eorum hæc perſuaſio fieri dicatur, tum ſequetur, eos, quando excommunicantur ab Eccleſia, etiam à Deo excludi regno cælorum ſeque excluſos inde credere debere, cum tamen eos Deus regno cælorum nunquam includere, adeoque eos nunquam non dico fide, ſed nec potentia credendi decreverit donare, ne quidem ex Cenſoris Walæi ſententia in ſtatu primo ſive integritatis, quod utrumque abſurdiſſimum eſt. Quare tralaticie & dicis tantum cauſſa hæc à Cenſore dicta eſſe con-

concludendum eſt. Sed pergamus ad id quod hic præcipue agitur.

Adhæc inquit Cenſor, *arbitrari Magiſtratum coactiva ſua externa vi nihil hic gerere poſſe aut debere, id Socinianæ doctrinæ conſentaneum quidem eſt, &c.* Hoc plane extra oleam eſt. Nam declaratio non agit de autoritate Magiſtratus in Eccleſia, ſed de Eccleſiæ poteſtate in exercenda diſciplina circa errantes aut delinquentes. Hanc poteſtatem negat eſſe carnalem, mundanam, aut quæ coactivam externam vim in ſe habet. Cæterum quod attinet vim coactivam illam externam, quam Magiſtratui competere vult Cenſor, Remonſtrantes hactenus ubique & ſemper attribuerunt & attribuunt etiamnum Magiſtratui poteſtatem carnalem & vim coactivam in perſonas, loca, & functiones publicas; adeo ut quicunque ſine Magiſtratus conſenſu juſſuve, in locis publicis, functiones publicas exercere, vel quæ in iis exercentur, turbare quocunq; tandem prætextu audent, in eos vi coactiva animadvertere poſſit, ac pro officio debeat. Hoc jus plena manu tribuendum eſſe Magiſtratibus urgent, nec exceptionem ullam à quoquam in contrarium fieri licere credunt. Cedendum eſt juſſui Magiſtratus; nihil inconſultis, nedum invitis ac repugnantibus proceribus ac Rectoribus in locis publicis tentandum. Æqui an iniqui ſint, legitimi an illegitimi nihil refert; Chriſtianus id non diſceptat. At extra loca publica jus nullum, nullam vim coactivam competere iis ſtatuunt in conſcientias aut actiones privatorum, quæ Religionis aut conſcientiæ ſolius cauſa fiunt: Hæ ſolius divini fori ſunt & ad tribunal humanum non pertinent. Qui contra faciunt, ii uſurpant divinam poteſtatem in terris, & reos ſe faciunt Læſæ divinæ Majeſtatis: Conſcientias autem & actiones privatorum cum dico, non id tantum volo, quaſi Magiſtratus vi coactiva neminem poſſit cogere ad hoc aut illud credendũ aut ſentiendum, ſed quod ſuum cuique de Religione ſenſum & judicium liberum relinquere teneatur. Quis enim vel Phalaris vel Buſiris, imo quis niſi ſtultiſſimus affectet imperium aut vim in conſcientiam aut animum hominis? *Quis mihi imponet neceſſitatem*, inquit Lactantius, *aut credendi quod nolim, aut quod velim non credendi?* Neque etiam id tantum volo, quaſi Magiſtratui non liceat vi coactiva uti ad conſtringendum ſubditos, ut aut non palam profiteantur quod ſentiunt, aut ſecus, quam ſentiunt, loquantur de Religione ſua. Nimis parum hoc eſt. Miſera eſt Reſpublica, in qua nec ſentire quæ velis, nec dicere quæ ſentias de officio tuo erga Deum, licet: *Humani juris & naturalis poteſtatis eſt*, ait Tertullianus, *unicuique quod putaverit colere, nec alii obeſt*

Sententia Remonſtrantium de Poteſtate Magiſtratus coactiva in perſonas, loca & functiones publicas.

Sententia eorundem de autoritate Magiſtratus in conſcientias & actiones privatorũ, quæ conſcientia & Religionis ſolius cauſſa fiunt.

Quid ſit in conſcientias jus nõ habere.

obest aut prodest alterius Religio. Sed nec Religionis est cogere ad Religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi, cum & hostiæ ab animo libenti accipiantur. Sed hoc volo, Magistratum vi coactiva nulla uti posse, qua impediat subditorum in locis privatis ac propriis religiosa exercitia, quæ ad sensum & professionē illam fovendam faciunt, & ad quæ subditi ex lege Dei ac Domini sui se obstrictos credunt. Hæc vi publica inhibere aut turbare, est conscientiis vim facere, & pabulum necessarium subducere. Quod vita sine pabulo est, id est Religio sine exercitio. Tum, exercitia quædam communia & quæ non nisi in cætu fieri possunt, Religio ipsa dictat, adeo ut sine illis Religio trunca sit & mutila. Quare & ea libera atque inoffensa permitti necesse est. Quæcunque interim, salvis manentibus istis, Magistratus facere posse judicat ad sententiæ suæ de Religione, quam publice profitetur, atque in locis publicis exerceri jubet, promotionem & propagationem, ea adhibere jure suo potest, etiam, si necesse sit, cum vi coactiva, cujusmodi sunt colloquia, collationes inter cætus, Synodorum convocationes, aliaque ejus generis plura. Quia vero etiam periculum esse potest, ut cætus aliqui sint turbarum & seditionum fontes ac fomites, & in iis conciones tribunitiæ sonent in noxam & perniciem Reipubl. pro eodem jure & arbitrio suo interesse potest Magistratus cætibus, & quæ ad præcavendum aut sistendum turbas faciunt edicere, jubere ac mandare, quin & contra refractarios vim coactivam adhibere, non tantum potest sed & debet. Est enim ordinis in Societate tutor ac curator.

De jure Magistratus circa exercitia privata & publica.

Addit Censor, *Imo vero & Ecclesiæ externa aliqua vi coactioneque aliquando opus est, utpote, si quis aut pastor excommunicatus aut etiam ovis, nihilominus solitum officium præstare, ritibus Ecclesiæ se immiscere, aut Cœnæ Dominicæ communicare, quamvis adversante Ecclesia, non desistat.* Hoc vero (si ab Ecclesia vim istam coactivam adhiberi vult Censor, uti verba videntur velle) jam è diametro pugnat cum iis quæ paulo ante à Censore sunt dicta: Nam Censor diserte affirmavit in hoc ipso paragrapho, *Ecclesiam nullam habere potestatem autoritatemque carnalem seu mundanam, neque illam exercere aut posse aut debere*, & spiritualem coactivam potestatem quæ Ecclesiæ competit, non esse externam sed internam, nempe in conscientia cujusque: Hic vero jam Ecclesiæ externa vi coactioneque aliquando opus esse diserte affirmat. Quicquid interim sit de casu isto, quo Ecclesiæ externa vi coactioneque aliquando opus esse Censor asserit, sane Remonstrantes nec ad eum respexerunt, nec arbitrantur vel eo posito, Ecclesiæ

Ecclesiæ nunquam opus esse vi coactiva, contra Censorem, demonstratur.

opus esse vi ulla coactiva. Nam si Ecclesia in locis publicis autoritati Magistratus subditis, functiones suas exerceat, & pastorem vel ovem excommunicet, Magistratus est, Ecclesiam istam ab omni violenta vel inordinata pastoris aut ovis excommunicatæ invasione asserere & sartam tectam servare, si quidem excommunicatio cum consensu Magistratus, aut ex formula in publico loco recepta & à Magistratu approbata, facta sit. Si vero Ecclesia sub jugo posita seorsim conveniat in locis privatis, aut Magistratum tutorem nacta, excommunicationem fecerit pro libitu suo, & non ex formula à Magistratu approbata, vel alioquin invito & reclamante Magistratu, tum Ecclesiæ externa vi coactioneque nullo modo opus est, imo externam vim adhibere contra excommunicatum, si ritibus Ecclesiæ nihilominus se velit immiscere, uti nunquam, ita tum imprimis nec potest nec debet. Sufficit in tali casu, ut Ecclesia sub jugo posita declaret, se eum quem excommunicavit, non agnoscere pro Ecclesiæ suæ membro, seque cum eo commune nihil habere velle, imo eum, si nihilominus in cætum & cœnæ communionem irrumpat, ad majorem sui condemnationem id facturum esse. Sic enim conscientiæ suæ & suorum satisfacit, & Deo suo abunde se probat. Et hoc est quod voluerunt Remonstrantes cum postea dicunt, *Excommunicationem esse voluntariam tantummodo Ecclesiæ secessionem ab eo, cum quo, tanquam cum discipulo Christi, amplius vivere ipsi non licet.* Nempe satis esse credunt, ad hoc, ut Ecclesia disciplinam sibi commissam exerceat, si ab illo secedat, quem pro discipulo Iesu Christi & fratre suo non potest agnoscere, aut ut ei significet, sibi non licere sponte sua atque ultro cum illo tanquam cum Christiano sacra divina facere. Quod si nihilominus ille vel per vim irrumpere, vel per insidias se sacris Ecclesiæ ritibus velit immiscere, ut Ecclesia contra eum adhibeat vim coactivam, opus non est. Nam si accedit, suo periculo accedit, nec Ecclesia cum illo tanquam cum fratre aut Christiano convenit, eademque sacra obit, sed tanquam cum violento invasore, nec sponte sua nedum libenter, sed invita & coacta. Quod satis est coram Deo, ut Ecclesia officio suo functa abunde dici possit, & peccatis ejus non communicet. Non enim vi quemquam à se abigere aut arcere tenetur, sed se ab omni fratre inordinate se gerente separare jubetur, animo, studio, opere quantum potest, sed sine vi aut coactione. Hanc enim, fatente Censore, *Ecclesia exercere nec potest nec debet.*

At sic nimis exiliter loquuntur, inquit Censor, *Quippe non tantum dicitur, & est, Ecclesiæ declinatio, subductio, secessio, aversatio, vitatio &*

rejectio,

rejectio, *sed & praeterea clavis ligans*, *qua peccata in terra & in caelo ligantur & remittuntur* Matth. 16. At peccata ligare, non est peccatorem vi externa ligare aut vincire. Hoc lictorum est non pastorum. Sed aliud nihil est, quam indicare, peccatorem, quamdiu talis est & manet, aeternae damnationi obligatum & obstrictum esse; ubi haec declaratio ab Ecclesia fit, ibi nulla coactiva vi opus est, etiamsi contingat (qui tamen imaginarius potius casus est quam realis) ut excommunicatus separari ab ea nolit, imo per vim se illi velit adjungere. *Est praeterea etiam*, inquit Censor, *census pro Ethnico & publicano* Matt. 18. Atqui censere aliquem pro Ethnico & publicano, non est eum templo, sacris ritibus, & communione Ecclesiae per vim & violentiam prohibere. Nam publicani non arcebantur à templo & sacris, quae in templo peragebantur, uti Luc. 18. videre est, & Christus cum iis edebat & bibebat, Matth. 9. adeoque familiariter cum iis versabatur: Ethnicos arcebant quidem Iudaei à templo & templi sacris, idque ex praescripto divino, sed publicanos non. Tum hoc erat carnalium Iudaeorum, quorum Religio magna ex parte carnalis & externa erat, non Christianorum, qui templum Dei in Spiritu sunt, & quorum Religio maximam partem spiritualis est. Quid ergo, inquies, est censere aliquem pro Ethnico & publicano? Nihil aliud, quam cum eo tanquam cum Christiano conversari nolle, eumque non alio loco habere, quam si Religionis Iesu Christi plane expers & ab ea alienissimus esset, Ethnici instar & publicani. Nulla hic vis externa, nulla coactio Ecclesiae tribuitur aut permittitur: Imo tantum abest ut ea Ecclesiae hoc in loco concedatur, ut contra ne quidem Ecclesiae, qua tali, hic quicquam tribuatur. Non enim Ecclesia jubetur peccatorem contumacem, aut impaenitentem censere pro Ethnico & publicano, sed is cui cum eo res fuit; Sit *tibi*, inquit textus, *veluti Ethnicus & publicanus*, *Tibi*, inquit, postquam omnia ad eum ad poenitentiam reducendum istis, quos jam praescripsi, gradibus, adhibuisti: ut autem Christus singulis fidelibus jusserit aut concesserit vim coactivam exercere contra excommunicatum, quis nisi vaecors dixerit? *Est etiam*, inquit Censor, *judicium cum potestate Iesu Christi exercitum*, *quin expurgatio & ejectio è medio Ecclesiae*, *imo vero traditio Satanae*, 1. Cor. 5. 1. 1. Tim. 1. 20. At haec omnia non dicunt separationem, quae ab Ecclesia cum carnali & externa coactione fit, sed tantum declarationem, qua Ecclesia publice profitetur, sibi non licere cum talibus, de quibus isthic agitur, tanquam cum veris Christianis vivere, eademque sacra sponte atque ultro obire, quae

Quid sit peccata ligare Matth. 16.

Quid sit pro Ethnico & publicano censere Matth. 18.

Quid sit peccatorem ejicere ex medio Ecclesiae, & Satanae tradere 1. Cor. 5. 1. Tim. 1.

conjunctam sibi habet actualem Ecclesiæ ipsius secessionem, quã cum carnali potestate exercitam tum non fuisse, imo exerceri ab Ecclesia non potuisse, temporis, quo hoc scribebat Apostolus, ratio satis manifeste arguit: Nempe, Ecclesia tum vivebat sub jugo Ethnicorum Cæsarum, neque carnali ulla potestate prædita erat. Non inficiamur tamen Apostolos speciali aliquando potestate usos etiam fuisse in ejusmodi excommunicationibus. Sed potestas illa qualiscunque fuerit, & qua verisimiliter usus hic fuit Apostolus, cum solemniter congregata Ecclesia separatio ista fieret, potestas fuit Apostolis propria, iisque à Deo concessa singulari privilegio in initio Ecclesiæ, ut reverentia ministerio eorum conciliaretur, & veritatis divinæ, quam prædicabant, gloria inde clarius elucesceret. Nec fuit carnalis, sed plane miraculosa & extraordinaria, quæque verbo solum ac nutu vel Spiritu oris divini exercebatur, & quidem per Angelos bonos aut malos, sive ipsum Satanam, cui, ut Patres multi crediderunt, Apostoli flagellandos, vexandos & aliquando interficiendos dabant eos, qui peccatis suis & hæresibus Ecclesiam Dei turbabant. Quam potestatem cum ipsis desiisse constat & perperam adeoque frustra in exemplum trahi à nobis manifestum est, cum potestas illa, qua nunc Censor uti vult Ecclesiam, plane alterius generis sit, & cum ea commune nihil habeat, cumque judicium nostrum de hæresibus Apostolico longe impar sit. Neque ad rem facit quod Censor quasi per πρόληψιν monet, *Non esse quod quis actionem hanc ut actionem Pauli singularem accipiat, cum textus dicat, Paulum id præstare non solum, sed cum Dei Ecclesia*; Nam aliud est, Paulum id præstare cum Ecclesia, Aliud Paulum jubere ut Ecclesia istud idem semper facere, etiam cum ipse & Apostolorum chorus jam esse desiisset: Paulus absens corpore, sed Spiritu suo præsens, una cum Ecclesia, (jussu Pauli Apostoli Iesu Christi, & Apostolicæ potestatis certa scientia mota atque excitata scilicet) istud fecit. At Paulus non jussit, ut Ecclesia, quæ Spiritu Apostolico & Apostolica virtute mota, excitata, aut fulta non esset, id faceret. Quamdiu Ecclesia Apostolos sibi præsentes habuit, Apostoli in & cum Ecclesia multa admiranda & miraculosa fecerunt, quæ post mortem Apostolorum frustra ab Ecclesia requiras aut Ecclesiæ commissa dixeris. Talis fuit traditio illa Satanæ, qualem Patres hic intelligi volunt, quæ alio quam Apostolico Spiritu fieri non potuit, nec magis Ecclesiæ imitanda proposita est, quam cæteræ Apostolorum actiones miraculosæ.

Restat sectio IX. & ultima de Hæreticorum coercitione & hæ-

reticidio, digna in qua pedem paulisper figamus, ut pestilentissimi dogmatis, quo in mutuam lanienam & carnificinam armantur Christiani, fibras, si pote, revellamus, & purissimam Iesu Christi Religionem, à tetra ista lue & pudenda labe adseramus. *Hoc*, inquit Censor, *si in Ecclesias nostras intorquent, næ injuriose faciunt*. Pronomen, *hoc*, ad hæreticidiũ refert Censor, quasi dicat, Injuriam Ecclesiis suis nullam fieri, si iis tribuatur, quod hæreticorum coercitionem per magistratum licitam, adeoque Magistratui à Deo injunctam esse statuunt. Sub coercitione autem omnem pœnam comprehensam vult, dummodo ultimum capitis supplicium aut cædes ejus, quem pro hæretico habet, non sit. Hoc ergo primum esto, quod Censores aperte probant & declaratio improbat ac damnat. Nulla carnalis coercitio, nulla pœna errantibus constituta à Deo est. Nulla ratio recta constitui permittit: Omnes in seipsum armat, qui in alios, quos errare credit, armatur: Par omnium in omnes jus est: Qui sibi jus tribuit coercendi alios, idem aliis in se ipsum idem jus ut concedat necesse est. Nulli homini aut Ecclesiæ judicium infallibile de erroribus aliorum delatum est. Quare si coercitiones ullæ admittuntur, quid erit Christianismus aliud, quam gladiatorum in se invicem concurrentium arena ac mutua inque vicem rediens incarceratio, relegatio ac flagellatio? Hic itaque primus obex ponendus est, alioquin facile ulterius ad sanguinem & cædem ibitur. Facilis ab una pœna ad aliam progressus est, & ubi semel horror pœnarum animo exemtus est, sanguis etiam tandem vilis haberi incipit; Nec prætextus desunt. Crudelitas dum sibi indulget, facile mantellum reperit, quo se tegit. Titulus novus novam pœnam postulat: Quid vero facilius quam novum titulum fingere? Principiis obviam eundum est, ne sævitia gradum faciat, & ad culmen enitatur. Non enim consistit, nisi summum attigerit. Pœna pœnæ tegula est, ne perpluatur. Nec fieri potest, ut non tandem ad sanguinem veniatur, nisi ergastulorum, carcerum, insularum chiliadas erigere velis, & vastitiem ubique facere. Quid enim? Si errantem pœna prima non coerceat, an non cum Tribuno isto dicetur, *Cedo alteram, & alteram & alteram*, donec tandem ad ultimum supplicium devenias, & tranquillitatem tuam pretio sanguinis redimas? Ista sacra aliter non constant, dum errantem sua impellit conscientia ut errorem proseminet, & te tranquillitatis carnalis consequendæ aut retinendæ propositum tenet Nihil jam dico de Lege Domini nostri sanctissimi simul ac mitissimi, quæ nil nisi amorem, benevolentiam,

De Hæreticidio & hæreticorum coercitione.

caritatem, aliaq; pietatis officia ſpirat. quæque non in errantes ſolum, ſed in hoſtes, inimicos & oſores extendi jubet, cum quibus coercitio iſta carnalis è diametro pugnat. Nunc tantum dico, coercitionem hanc Legi naturæ & rectæ rationi eſſe contrariam : Error coerceri non poteſt externa vi : Errans pœnam non meretur ; Iudicium peremtorium de errore nulli mortalium competit, niſi quod pro ſe & ſuo animo quiſque facit. Iudicium ſuum, nulli jus in alterum dat, niſi ab illo ſecedendi, quem periculoſe errare credit. Hoc innoxie facere poteſt & tenetur, Nihil amplius. Nec ad rem facit quod hic Cenſor ait, *ſe Magiſtratui mandare poteſtatem iſtam in hæreticos & lupos graves, eorumque exitioſum impetum, contagionem & gangrænam ſerpentem & depaſcentem.* Hæc enim nil niſi odioſa nomina ſunt. Hæreſis gravis aut levis eſt pro arbitrio cujuſque. Quantum quiſque eam valere vult, tantum valet. Pro ſtudio partium judicia ſunt, & pro affectu quo quis in ſectam ſuam fertur, ita diſſentientes æſtimat. Gangræna, contagio, lues, alteri alterius doctrina eſt. Nec facile temperat ſe diſſentiendi libido. Augent in immenſum ſectæ ſectarū errores; Vti familiariter domeſtica aſpiciunt, ita acrius aliena contuentur, quam

Exceptio Cenſoris, de poteſtate Magiſtratus in hæreticos graves & quorum doctrina vocatur contagio & gangræna, diluitur.

Aut aquila aut ſerpens Epidaurius.

Tum pone, eſſe lupos graves, eorum doctrinam gangrænam & contagionem, quæ ratio eos coercendi per vim corporalem? Spiritualis eſt contagio, quæ non affricatur per contactum ut lepra, ſed per conſilium, nec invitis ſed volentibus. Coerceatur contrario ſpirituali remedio ne ſerpat : Si per vim reprimas, tum demum ſerpit gangrænæ inſtar, tum accenduntur animi in amorem ejus. Error enim error vix videtur, ſi vi opprimatur : Commiſerationis affectus judicia faſcinat, ut quod falſum eſt verum credant. Hinc pœna iſta ſemen erroris fit : Et accedit ſuſpicio, quæ eum roborat; quod, videlicet, ſi rationibus convinci poſſet, vi non opprimeretur. Et ſpeciem habere creditur, quia errans puniri mavult, & graviſſima ferre, quam errorem deſerere. Magnum erroris fulcrum eſt martyrium. Exquiſitior quæque crudelitas, illecebra eſt magis ſectæ. Nunquam tantum poteſt vel ſubtiliſſime, diutiſſime, ac liberrime defenſus error, quantum ſemel vi repreſſus. Vis ipſa favorem errantibus conciliat : Libertas vero erroris non leve remedium eſt. Ratio vero unicum, tutiſſimum & valentiſſimum. Qui aliis armis contra errorem pugnat, aut errantes vexat opprimitve, næ is humanitatem ejurat & dignum ſe reddit, qui iiſdem

armis

armis oppugnetur, vexetur, & opprimatur. Sed nos jam alterum & præcipuum hujus controversiæ caput expendamus.

Hæreticidium ob ſimplicem & nudam hæreſin nemo noſtrum ſimpliciter adſeruit. Ain Cenſor? utinam hoc verum eſſet. Longe alio & meliore loco jampridem fuiſſent res veſtræ. Sed iſta labes, iſta macula nimis manifeſta eſt in vultu Eccleſiæ veſtræ, quam ut eam aut tegere aut eluere poſſit apud prudentes rerum æſtimatores hæc veſtra proteſtatio. Scripta, facta veſtra aliud clamant. Vidiſtis hoc & ſenſiſtis jam dudum, itaque vela contrahitis, & ſinum obliquatis. Sanguinis innoxii clamor inviſus eſt Deo & mortalibus. Hinc ab eo videri vultis alieni & intra coercitiones corporales conſiſtitis, non quod βδέλυγμα illud cruentum execremini, ſed ut ab eo abhorrere videammi, & clementes ac mites Reformatores ſcilicet audiatis, uſque dum vobis vires veſtræ placuerint; Tempori & ſcenæ ſervitis. Hinc varia & diſſimilis eſt veſtra oratio. Sub jugo gementes corporales omnes coercitiones damnatis, ut illicitas & à Chriſtiana caritate prorſus alienas; ubi jugo colla veſtra ſubduxiſtis, per fas & nefas, ibi ſi tempora atque ingenia populi non ferant ſanguinaria conſilia, ſuppliciorum & pœnarum omnium jugum aliis imponitis, ſolo ſanguine excepto. At ubi pro voto rerum potimini, & populorum Rectorumque voluntates ad nutum veſtrum habetis, ibi extrema omnia tentare, & ſanguinem hæreticorum effundere glorioſum Zelum dicitis, plane ut alterutrum neceſſe ſit fieri, Aut martyres vos eſſe aut facere. Recte Seneca. *Multorum, quia imbecilla ſunt, latent vitia, non minus auſura, cum illis vires ſuæ placuerint.* Experientia variorum temporum fidem huic rei facit: Sed, præter eam, videantur ſcripta Reformatorum, quæ circa incunabula Reformationis à variis hic illic edita ſunt, & quę indies adhuc ſcribuntur ab iis, qui ſub jugo Tyrannidis gemunt. Nihil illa crepant niſi univerſale odium & generalem deteſtationem carnalis poteſtatis, contra eos qui creduntur hæretici: Pro libertate conſcientiarum certatim pugnant. Nemini fas licitumve eſſe clamant, per vim reprimere aut opprimere diſſentientes Religionis & conſcientiæ cauſa. Libertatem autem illam non tantum intra conſcientiam & liberam profeſſionem cujuſque coarctant, ſed ad exercitia cætuſq; publicos extendunt. Sine his conſcientiæ libertatem ſalvam eſſe non poſſe, non magis quã vita ſine nutrimento incolumis eſſe poteſt. Hæc ex libris editis apertiora ſunt, quã ut negari poſſint. Videantur deinde ſcripta Reformatorum, poſtquam cervicibus ſuis jugũ Pontificiæ aut Hiſpanæ

Expẽditur id, quod Cenſor ait, Neminem ſuorum hæreticidiũ obnudam & ſimplicem hæreſin adſeruiſſe.

ſpanæ tyrannidis excuſſum viderunt, & rerum potiti ſunt, contraria omnia reperies: Calvinus ſignum primus extulit ſupra alios omnes & exemplum dedit in theatro Gebennenſi funeſtiſſimum, quodq; Chriſtianus orbis merito execratur, & abominatur: Nec hoc contentus, tam atroci facinori cruento ſimul animo ac calamo parentavit. Veſtigiis illius inſtitit Diſcipulus ejus Theodorus Beza. Libri utriuſque de puniendis per Magiſtratum hæreticis, omniũ manibus teruntur: Conſilium Bernatum, Tigurinorum, Schafhuſianorum & Baſileenſium nota ſunt. Ex hoc tempore certatim Reformati pro hæreticidio, tanquam Reformationis palladio & veræ Religionis aſylo, ſcripſerunt, contenderunt, pugnarunt. Et ne longe abeam: Librum Bezæ, tanquã κειμήλιον aliquod, ex verbo Dei, hiſtoria Eccleſiaſtica & *Omnium Reformatarum Eccleſiarum conſenſu*, pulcherrime conſarcinatum laudarunt in Belgio, flagrante adhuc bello cum Hiſpano, *Bogermanus Synodi Dordracenæ Præſes, & Geldorpius.* Nec fuit reformatus, qui contra hiſceret, imo fuerunt, qui in Academiis & Scholis ſententiam & judicium eorum publicis diſputationibus & ſcriptis adſeruerunt. Nec multo poſt ſecuta praxis eſt complurium, ac non ita nuper in hoc ipſo libertatis quondam aſylo, fœderato Belgio: Damnatos, proſcriptos, relegatos & omni perſecutionis genere vexatos vidimus, jam per decennium & quod excurrit, pene ducentos paſtores ex conſilio & inſtinctu eorum, qui Reformatorum Miniſtrorum titulum ſibi vendicant. Docent id, præter arcem Lupeſteineam, in qua præclaræ illæ & nunquam ſatis laudatæ animæ, Eccleſiarum ſuarum & patriæ noſtræ ornamenta, Carolus Niellius, Petrus Cupus, Bernherus Vezekius, Simon Lucæ, Arnoldus Geiſteranus, Theodorus Bomius, pauperrimo victu & arctiſſima cuſtodia incarceratæ detinentur; libelli ſupplices, conſilia, ſtudia & molimina eorum, quæ jam in propatulo ſunt & tot ac tam crebra, ui ea jam pene faſtidiat noſtrum Belgium: Nulla comitia Ordines Fœderati Belgii habent, in quibus non proram & puppim faciunt libelli eorum ſupplices ad concitandos eos in odium & lanienam eorum, quos damnavit Synodus Dordracena: Nec dubitant crudeles Reformatores perſuaſum ire Rectoribus, nõ pugnare iſtud cum Conſcientiarum libertate, quam hactenus armis ſuis adſeruerunt, & quam ſibi ipſi ſub jugo poſiti concedi poſtularunt; ſufficere ad Conſcientiarum libertatem, judicium ſuum cuique liberum relinquere & in conſcientias ac privatas familias non inquirere. Cætera vi reprimi poſſe ac debere: parum profecto memores aut valde ignari eorum quæ Pa-

Theodorus Beza, de hæreticis à civili Magiſtratu puniendis.

Vide Præfationem eorum ad librũ prædictum Theodori Bezæ.

Miniſtri in Belgio fomites perſecutionum & qui quotidie id fere unũ agunt, ut Ordd. ad exequenda edicta ſua incitent atque exacuant.

tres

tres nostri olim Hispano ejusque vicariis variis libellis supplicibus repræsentarunt, quæ ignorare stupor, nescire velle pertinacia est: *Sed nec cædem nec sanguinem suadent*, inquies, Sed nec dissuadent, nedum ut aut damnent aut improbent. Temporum oportunitates & populorum voluntates pro Cynosura habent, ad quam consilia sua dirigunt patricia plane arte, quæ jamdudum ex curia in Ecclesiam Reformatam irrepsit. At *consilia lenia suggerunt*. Nempe ergastula, carceres, proscriptiones æternas, & si iis non pareatur, cædem ac sanguinem: Hæc lenitas ipsorum est, cujus vestigia leget posteritas in variis Belgii civitatibus, quæ adhuc à stupris, à sanguine & cæde innocentium rubent, & rubebunt cum æterna Reformatorum infamia, & cæsorum fama, quippe quæ

Nec poterit tempus, nec edax abolere vetustas.

Verum ad Censores revertamur velut ex diverticulo in viam. Hæreticidium à se non adseri videntur affirmare. Videntur, inquam, nec enim istud omnino aut ex animo à se damnari aut ut illicitum improbari vel verbulo significant. Circumspecta eorum & elaborata oratio contrarium non obscure testatum facit, uti postea videbimus. Nec levia sunt indicia, unde colligitur hæreticidium ipsis non usque quaque improbari. Synopsis eorum videatur, quam *purioris Theologiæ Synopsin* vocant, in qua propius paulum sententiam Theologorum suorum & propriam suam aperuerunt, quam pro sua haberi ab omnibus volunt: Sic in ea loquuntur Disput. 50. Thes. 56. *Si vero Magistratus eos cogere ac gladio suo coercere possit, alii censent, ipsius officii esse, hujusmodi hæreticos mortis supplicio afficere, exemplo pii Regis Iosiæ* &c. *& Iehu & Eliæ* &c. confer hæc cum verbis Censuræ hujus quibus dicunt, *Hæreticidium ob nudam & simplicem hæresin nemo nostrum simpliciter adseruit*, & quam consentanee loquantur, perpende: *Nemo nostrum*, inquit, *id adseruit:* & in hac Synopsi fatentur Theologos alios censere hæreticidium non tantum jure divino licitum, sed & imperatum, partemque officii Magistratus esse. Loquuntur autem de Hæreticis proprie dictis, prout ab Atheis, summe blasphemis, aliisque turbonibus distinguuntur, uti Thesibus 55. & 57. videre est: Vt quis existimet per alios istos Theologos, à Censoribus, Pontificios designari, causa nulla est. Longe enim aliter tum locuti fuissent. Certe mollis oratio eorum, qua utuntur, non obscure arguit Reformatos Theologos intelligi. Sic enim loquuntur, *In horum Theologorum malo ire sententiam, qui ubi alia ratio datur hæreticos ex æquo & bono coercendi* &c. Et ne quid dubitetur amplius, Cen-

Ostenditur Censores hæreticidium tãtũ videri velle non probare, cum reipsa illud probent eique faveant.

Censura hæc Theologos istos, *Magnos Theologos* vocat, quorum sententia jure merito damnari non potest. Esto, inquies, at ea ipsa verba arguunt sententiam istam de hæreticidio licito aut jusso, ab ipsis saltem Censoribus damnari. Nihil minus: Tenuis nimium ac diluta est oratio, quam ut ista eorum sententia inde eliciatur: Adseverantius, apertius loquendum fuerat in re tanti momenti, in qua innoxii sanguinis causa agitur: At quid tenuius, quid dilutius dici poterat, quam, *Malumus in illorum Theologorum sententiam ire, qui Hæreticos relegandos aut alio modo constringendos potius esse asserunt, quam mortis supplicio plectendos?* Mavult aliquid, qui rem rei præfert, non quia rem, quæ postfertur, nullo modo vult, sed quia eam minus vult. Nempe malunt Censores ire in sententiam, quæ hæreticorum coercitionem suadet, quam quæ cædem; non quia hæc illicita, injusta aut damnanda est, sed quia illa tutior est minusque offensionis & periculi in se habet: Et hoc particula eorum, *Potius*, arguit. Deinde anceps aut ambigua est oratio. Non enim dicunt se malle ire in sententiam Theologorum istorum, qui hæreticos ex æquo & bono coercendos potius quam occidendos censent, sed in eorum sententiam, qui *plerosque hæreticorum* potius coercendos putant: Id sic accipi potest, ut hæreticorum coryphæos, quos hæresiarchas vocant, ab isto ordine exemtos & in eos severius quam in cæteros animadverti velint, in qua sententia non pauci Theologi & Politici, qua Pontificii, qua Reformati olim fuerunt, hodieq; sunt, inter quos Lipsius non postremo loco censendus est. Severior autem animadversio post coercitiones non datur, quam mortis. De istis itaque ut mereat carnifex, non reclamant: Quod si quis mitius & benignius hæc verba, *Plerosque eorum*, accipi posse credit, nos non admodum pugnabimus. Sufficit indicasse ea sic concepta esse, ut hæreticidio favere possint. Nempe sollicite sibi cavent Censores, ne id aperte uspiam damnare videantur, aut improbare: De animo eorum judicabit Dominus, qui corda & renes scrutatur. Denique nec simpliciter dicunt, se in sententiam eorum ire, qui hæreticos coercendos potius censent, quam occidendos, sed se malle ire in illorum quam istorum sententiam, *ubi alia ratio datur hæreticos ex æquo & bono coercendi:* Quæ parenthesis sine dubio emphasin habet. Nam ubi alia ratio non datur hæreticos coercendi, quid tum hæreticis fiet? Ad Leones & furcam, ad cruces, rogos & gladium. Hanc esse mentem Censorum non obscure arguunt præcedentia verba, quibus rejicere videri volunt sententiam eorum Theologorum, qui officii magistratus esse censent,

hære-

hæreticos mortis supplicio afficere. Etenim exempla eorum Regum, quibus Theologi isti sententiam suam confirmant, non rejiciunt ut impertinentia, quia videlicet ea ad hæreticos non pertinent, nec quæ, ut plane extraordinaria & arcano Dei impulsu, proinde ut non imitanda aliis data sunt, sed ut talia, quæ à Deo data sunt, quoniam *vel in officio suo exequendo cessabat Magistratus ordinarius, vel in casu extremæ necessitatis ac metu totalis regni eversionis, nulla alia ratione evitabilis*, adhibita fuerunt. Quo ipso testatum facere voluerunt, in similibus casibus idem fieri posse, id est, semper. Raro enim alteruter horum prætextuum deest persecutoribus, ut aut cessare in officio suo Magistratus ordinarius ipsis videatur, aut extremæ necessitatis periculum, totalisque regni eversionis metus urgere & postulare supremum supplicium videantur: Extrema necessitas facile obtenditur: Metus totalis eversionis regni aut status omnium facillimum ac speciosissimum Tyrannidis velum est, ubi negotium Religionis agitur. Nimirum, aut Religionis ea vis esse creditur, ut potenter stimulet ad turbas & factiones; aut Religio obtendi creditur nefariis conatibus, & ab iis, qui odio præsentium nova moliuntur, fortunarumque suarum compendia ex turbatæ Reipublicæ ruina sperant. Sed à Synopsi ad Censuram revertamur: *Hæreticidium*, inquit Censor, *ob simplicem & nudam hæresin nemo nostrum simpliciter adseruit*. Circumspecta hæc & caute ac solicite elaborata oratio merito suspecta est. Quid enim est *simplex & nuda hæresis*, quid *simpliciter* hæreticidium *adserere*? An nuda & simplex hæresis est merus error, qui in mente errantis tantum locum habet? At nec merus tantum error ad constituendam hæresin sufficit, nec, si omnino sufficeret, objectum aut causa punitionis ullius esse potest. Error enim merus errantem non egreditur. Itaque in quo error est, is non modo non morte puniri, sed ne coerceri quidem potest. Animus hominis imperio humano non subjacet. Solus Deus mentibus imperat. Cogitationes à vectigali humano liberæ sunt. An est error, qui sine pertinacia est? At pertinacia de ratione formali hæreseos est, ut Censores ajunt in Synopsi sua Disput. 40. de Ecclesia, Thes. 39. An qui sine blasphemia est? At cum de hæreticis quærunt Censores, An morte plectendi sint, an vero coercendi, de hæreticis quærunt, qui *pertinaciter blasphemi sunt*: uti videre est in eadem Synopsi Disputat. 50. de Magistratu, Thes. 55. An qui sine seductione & propagandi studio est? At ibid. de *hæreticis populi seductoribus errorum exitialium legitime convictis* quærere se dicunt. An qui sine Reipublicæ turbatione

Cryptica Censorum locutio detegitur, cū hæreticidium ob nudam & simplicem hæresin à nemine suorum adsertum esse dicunt.

Nuda & simplex hæresis Censoribus merum commentum est.

bationē aut turbationis metu est? At turbatio à seductione & erroris propagatione est. Nihil horum. Quid itaque est nuda & simplex hæresis? Merum commentum & Academica fictio. Hinc est quod, cum Censores ex professo agunt de hæresi in Synopsi sua disputat. 40. Thes. 40. hujus nudæ & simplicis hæreseos ne quidem meminerint: *Hæresis*, inquiunt, *est duorum generum, vel quæ directe fundamentum, id est, Christum vel ejus officium evertit: vel indirecte & per consequentiam, ut vocant, quorum primi ab ipsa Scriptura Antichristi & Apostatæ appellantur: posteriores generali voce Pseudoprophetæ aut falsi Doctores.* Neutra harum nuda & simplex hæresis est. Quid itaque est? Chymera.

Quid Censoribus sit, Hæreticidiū simpliciter non adserere.

Quid vero etiam est *hæreticidium simpliciter non adserere?* An est adserere, eo statim atque è vestigio provolandum non esse? At sic adseritur hæreticidium non tollendum sed differendum tantum esse & post coerctiones omnes adhibendum, nempe ut velut ultima anchora & tabula sit in naufragio. An est nudis ac simplicibus verbis id non probare, sed molli quadam & in speciem blanda oratione circumlitis, reipsa tamen hæreticidio faventibus? At hoc hypocritarum est, & eorum, qui cum mundo exercent histrioniam, foris boni, intus pessimi. Malus enim cum videri vult bonus, tum est pessimus. *Simpliciter* itaq; hoc simplicioribus verbis opus habet, ut intelligatur. Hoc ubi fecerit Censor, tum vero rem magnam præstiterit, unde cuilibet constare poterit, simplice an duplice animo his verbis usus fuerit: Atqui additur, inquit Censor, *Imo contra in Pontificiis scilicet ipsis hæreticissimis, sævitiam illam adversus simplices hæreticos, quos vocant, omnes damnarunt.* Imo vero, inquam, hoc priore obscurius est. Nam simplices hæretici isti quinam sunt? An vulgus hæreticorum & qui vel in hæresin veluti per tempestatem delati, vel in hæresi nati & educati sunt, qui distinguuntur ab Antesignanis & Sectæ autoribus ac ducibus? At sic non damnaverint Reformati sævitiam Pontificiam contra Pastores & gregis præfectos, sed quæ contra proletariam turbam & pullatam plebem hæreseos incapacem exercebatur: Itane? At tantum abest ut à vobis hæreticidium idcirco damnari statuendum sit, ut non de-

I. Lipsius, Gaspar Scoppius, aliique.

sint inter Pontificios, hæreticidii patronos acerrimos, qui eandem sævitiam adversus simplices hæreticos damnant. Pastoricidium itaque à vobis probari dicendum est, quia eorum hæresis nuda & simplex hæresis non est. At inquies, *simplices hæreticos vocamus, qui mente magis, quā voluntate laborant.* At hęreticus, qua hęreticus mente magis quā voluntate laborare non potest ex sententia vestra, *Pertinacia enim vobis est de*

ratione formali hæreseos, ut jam diximus, *& quidem ea, quæ fit, ut quis correctionem omnem respuat & Ecclesiam recte monentem audire non velit, etiam postquam errorum exitialium legitime convictus est*. Simplices ergo hæretici isti in rerum natura non sunt. Deinde, sævitiam Pontificiam adversus simplices hæreticos vestri omnes quomodo damnarunt? Nempe cum ea contra vos vestrosque exercebatur: Scilicet vos hæretici non estis, sed Orthodoxi, vobis præmium Reformationis debetur, cæteri hæretici sunt, fæx & excrementum populi, velint nolint. At cum ea in alios ab ipsis & à vobis pertinaciter dissentientes exercebatur, tantum abest, ut vestri eos idcirco crudelitatis damnaverint, ut contra eos laudaverint & ad cælum usque extulerint. Exempla Anabaptistarum aliorumque fidem faciunt, contra quos, quæcunque exercita fuerint à Pontificiis aliisque dirissima supplicia, à vestris damnari nuspiam fere legere est. Impune in ipsos (Monasterienses aliosque factiosos excipio) sævitum esse haud illubenter admittitis. Si quis dubitet, is videat Præfationem *Bogermanni Synodi Dordracenæ Præsidis & Geldorpii*, quam libello Bezæ de Puniendis per Magistratum hæreticis præfixerunt & Senatui Snecano inscripserunt. Nec minus *Serveti, Valentini Gentilis*, aliorumque crudelia supplicia non dico excusare, sed laudare palam publiceque soletis. *At illi blasphemi fuerunt*, inquies: At inquam, hæreticus blasphemus proprie non est, quia hæresin suam ex ipso Dei verbo probare nititur, probationemque suam tanti facit solius Dei & verbi divini reverentia motus, ut mori mortesque adeo mille subire malit, quam eam deserere. Deinde esto, blasphemi etiam fuerint, per hæreticos, etiam pertinaciter blasphemantes à Censoribus intelligi, quos tamen occidi non volunt ex disputatione eorum 40 de Ecclesia, Thes. 55. manifestum est: Sed juvat hac occasione ostendere quam dissimiles in hac de hæreticidio materia sibi ipsis sint Censores. Nam in Synopsi sua Thes. 55. 56. & 57. Disputationis 40. de Ecclesia, cujus jam semel atque iterum mentionem fecimus, cum quærunt, An hæretici à Magistratu morte plectendi sint, de hæreticis sive ἑτεροδόξοις, populi seductoribus, errorum exitialium legitime convictis & pertinaciter blasphemis loqui se dicunt, & in eorum Theologorum sententiam se ire malle asserunt, qui eos mortis supplicio plectendos esse negant. Hic vero in Censura sua blasphemos, contumacesque eosdem insuper Hæreticos ac Reipublicæ turbones, non modo posse sed & debere extremo supplicio affici ex lege Deut. 13. Levit. 24. 15. & Num. 25. 30. affirmant. Sic enim ajunt;

Has leges cur antiquatas dicamus potius aut minorem vim habere in Novo quam veteri Testamento, & Magistratus autoritate & potestate ex V. Testamento in Novo continuata, minus ipsum (NB.) *obligare in hac causa quam in aliis quibuscunque criminibus, nulla justa ratio subesse videtur.* Hæc quam sint dissona quis non audit? At sequitur, inquies, *Nos quod attinet etiam hic debitam moderationem adhibendam cum prisca Ecclesia arbitramur.* At, inquam, hæc simul non consistunt: Nam si ex vi legum illarum divinarum Magistratus non modo autoritatem, jus & potestatem habet tales morte plectendi, sed & ad plectendum eos morte obligatur, adeoque non minus obligatur nunc, quam olim obligabatur Magistratus Iudaicus, nec minus in hac causa quam in aliis criminibus, uti diserte Censor hic affirmat, quomodo jus moderandi pœnam ei conceditur? obligari enim ad istam pœnam & jus pœnam istam moderandi, imo in pœnam longe diversam commutandi habere, contradictoria sunt: Moderatio itaque illa illegitima & injusta est: Moderatio pœnæ non competit jurato judici: Alienum jus nulli moderari licet: De suo jure quis concedere potest, non de alieno. Nec ratio, quam allegat Censor, ad rem facit. *Quia*, inquit, *de Apostasia aut blasphemia tali ex consequentiis facile judicandum non est.* Nam de Apostasia & blasphemia agitur, cujus quis convictus esse & in qua pertinaciter perseverare creditur: sive credatur id ex directa probatione, sive ex consequentiis directæ probationi æquivalentibus. Eodem enim id redit Censoribus. Si non, ne coercitioni quidem eorum locus erit, quia eadem ratio hic, quæ ibi: Ex consequentiis scilicet facile judicandum non esse. Deinde hoc ipsum, quod ex consequentiis facile judicandum non esse dicit Censor de Apostasia tali aut blasphemia, non obscure arguit, Censorem velle moderationem omnem posthabendam esse divinæ Legis rigori, quando de istis ex consequentiis quidem judicatur, aut judicari creditur, dummodo id *non facile ne leviter* fiat. Facile autem nemo judicare se credet etiamsi ex consequentiis judicet, qui vel mediocrem diligentiam adhibet, ut ex principiis & hypothesibus Ecclesiæ suæ, quas pro indubitatis habet, etiamsi sæpe falsissimæ sint, aut etiamsi sæpe in eas an falsæ sint, ne quidem cum mediocri diligentia inquisiverit, judicium suum formet, aut de iis non nisi de consilio & sententia eorum, quibuscum sentit, statuat. Hoc jam sufficit, ne quis se facile judicare credat; uti in omnibus sectis olim hodieque observare est. Hoc primum est: Alterum est, quod in Censura hac & alibi ne hæreticidium simpliciter videantur asserere, hæreticos ab Apo-

ſtatis, & blaſphemis diſtinguant, quaſi aliud ſint hæretici, aliud Apoſtatæ & blaſphemi, uti revera longe diverſiſſima ſunt: In Diſputat. vero 40. de Eccleſia, Theſ. 40. in Synopſi purioris Theologiæ, *Hæreſin duorum generum faciunt, unum, quod directe fundamentum, id eſt, Chriſtum & ejus officium evertit; alterum, quod indirecte & per conſequentiam.* Sub illo diſerte comprehendunt *Antichriſtos & Apoſtatas: Sub hoc Pſeudoprophetas aut falſos Doctores.* Recte an ſecus jam non diſputo: Sed id tantum obſervatum volo, Cenſores hos ſub voce, *hæretici*, pro arbitrio ludere & nunc hos, nunc illos, eo nomine cenſere, ut, ſive pro hæreticidio ſtent, ſive contra, callide in utramque partem ſeſe poſſint vertere. Et hoc inde eſt, quod nuſpiam certam ac quarto modo propriam hæretici definitionem faciant, nec poſſibile cuipiam ſit eam ex ſcriptis eorum ſolide concipere. Anguilla eſt hæreſis, non tenes eam, etiam cum arctiſſime eam tenere videaris: Elabitur & effluit: Quod idcirco indignius ferendum eſt, quia de ſanguinis pœna agitur: de qua ſane ſtatuendum adeoque cogitandum non eſt, niſi primum certa atque omnino indubia ſtet hæreſeos & hæretici definitio. Atque hæc cauſa eſt, cur ubique fluctuent, & nunc *hæreticos ſimplices* non occidendos, nunc ne quidem *hæreticos pertinaciter blaſphemos* occidendos putent, nunc contra, *blaſphemos* occidendos ex Lege, nunc niſi *ſumme blaſphemos*, nunc denique eodem hæreſeos nomine *Antichriſtos, Apoſtatas, blaſphemos & Pſeudoprophetas* cenſeant: plane ut in labyrintho fictionum & terminorum te deprehendas, cum de hæretici definitione propria quæritur. Sed jam videamus, quinam iſti ſint, quos morte plectendos cenſuerunt magni illi Theologi, quos vocant, & ex qua Lege. *Tantum*, inquit, *in Republica Chriſtiana Chriſtianiſmo publice ſuſcepto in Apoſtatas, id eſt, Chriſtianiſmum ejerantes & ad Ethniciſmum, Judaiſmum vel Mahumetaniſmum tranſeuntes, ſeverior animadverſio à quibuſdam magnis Theologis adſerta eſt.* At primo aliud eſt Apoſtata, aliud hæreticus. Hæreticus Chriſtianiſmum non ejerat, ſed hæreſin deſerere non vult, ut Chriſtianus maneat & conſcientiam ſuam licet erroneam Chriſto integram atque illæſam ſervet. Quare peſſime Cenſores in Synopſi ſua inter hæreticos cenſuerunt Antichriſtos & Apoſtatas. Nihil enim commune inter ſe habent, ſed tota religione & profeſſione differunt. Hæreticus enim Apoſtatæ hoſtis eſt, & Apoſtaſiã odio habet: Nec minus hæreticum odit Apoſtata, quam Orthodoxum. Chriſtianum enim qua talem odit atq; averſatur. Deinde ſecundum quam legem id aſſeruerunt? *Secundum Legem divinã*, inquit Cen-

ſor,

Sub voce hæretici & hæreſeos ludunt Cenſores, ut neſcias ſæpe quid ſibi velint.

Diſcrimen faciendum inter Apoſtatam & Hæreticum.

Prava legis Deut. 13. allegatio, indicatur.

ſor, *latam in Apoſtatas Deut.* 13. At Lex iſta de Apoſtatis à Chriſtianiſmo deficientibus non agit, nedum de Apoſtatis ad judaiſmum deficientibus: imo tantum abeſt, ut de iſtis agat, qui ad judaiſmum deficiunt, ut contra non agat niſi de Apoſtatis ab ipſo judaiſmo deficientibus ad gentiliſmum, id eſt, à cultu veri Dei ad cultum falſorum Deorum. Nec ſatis eſt, ſi dicas eandem eſſe rationem apoſtaſias hujus & illius. Nam I. conſequentia illa, non eſt Lex divina. *Ex conſequentiis facile non eſt judicandum*, ait ipſe Cenſor. Vbi de vita hominis errantis ſed probi & cætera irreprehenſi agitur, conſequentiæ illicitæ ſunt. Preſſe ac præciſe Legis verbis inſiſtendum eſt. II. Nec ſpeciem habet conſequentia. Nam qui à Chriſtianiſmo ad judaiſmum deficiunt, contra eos pœna lege iſta ſtatuta, eo ipſo quod deficiendo Iudæi fiant, non militat, quin imo (urgebit Iudæus) ad eos Legis promiſſa pertinent, tanquam ad veros Iudæos, veri ſcilicet atq; unici Dei cultores. Tum Lex Chriſti à qua deficiunt, neminem conſcientiæ cauſa ultore gladio percuti jubet, nedum ut jubeat gladio percuti eos, qui veri Dei cultores ſe manere velle profitentur. Religionem ſuam Chriſtus liberam eſſe voluit. Qui ab ea deficiunt, ſuo periculo & damno deficiunt: Deum vindicem habebunt & animum ſuum carnificem, uti clariſſime videre eſt in omnibus iſtis locis, ubi de Apoſtaſia & Apoſtatis agitur in V. Teſtamento. Addit Cenſor Legem quam ſubditis ſuis fixit Nebucadnezar, Dan. 3.29. ſecutus hac in re exemplum Calvini inter non Papiſtas Hæreticidarum principis, ſed peſſimo exemplo. Nam I. Lex illa Nabuchodonoſoris, quid aliud eſt, quam Lex inſtabilis & deſultorii atque impii Tyranni, ut eum appellat ipſe Calvinus, quam nec ipſe ſecutus eſt, imo contra quam ipſe, uti capite ſequente legere eſt, ſuperbivit, adeo ut à Deo ipſo in brutam naturam converſus ſit & inſani inſtar inter beſtias vixerit, nec alio ſpiritu eam condidiſſe & tuliſſe videatur, quam qua antea Legem tulerat contra ſapientes & hariolos, quia ſomnium ejus explicare non potuerant, nempe ut magnitudinem imperii ac dominationis ſuæ oſtentaret, qua pro arbitrio ſuo quidlibet jubere atque edicere poterat, & uti cap. 5.19. dicitur, *quos volebat occidebat & quos volebat percutiebat.* Tum quid hæc Lex facit ad hæreticidium, cum hæretici eundem Deum Sidraci, Meſach & Abednego colant & Chriſti etiam ejuſque religionis obſervantiſſimi videri velint, etſi in modo utrumque colendi errent? Pudeat Chriſtianos ejuſmodi Tyrannorum Leges in exemplum & normam trahere ſuæ immanitatis. Cur non eadem opera provocent alii ad legem Antiochi

Prava allegatio Legis Nabucadnezaris Dan. 3.29. indicatur & refellitur.

tiochi 1. Machab. 1. 43. &c. quæ, abolitis pessumdatisque omnibus legibus divinis uniformem cultum gentilem severissimo edicto sanciebat? Verum enimvero si placet imitari edicta Regum, imitentur potius Cyri edictum, quem Esdras longe magnificentius celebrat quam Daniel Nabuchodonozorem: Nempe is Spiritu Dei afflatus edixit, ut Iudæi Babylonienses Hierosolymam colendi Dei sui causa redirent, sed neminem coegit. Imitentur aliorum piorum Principum exempla, qui suam cuique populo liberam fecerunt Religionem, & neminem vi ad colendum Deum adigere Imperatoriæ suæ majestatis gloriam esse judicarunt. Secundo loco ait Censor, Blasphemos, contumacesque eosdem insuper hæreticos à Theologis istis intelligi. At aliud iterum est blasphemus proprie sic dictus, aliud hæreticus. Hæreticus blasphemus proprie esse non potest: Blasphemia enim proprie voluntariam divinæ Majestatis læsionem significat, ita ut quis ex professo Deo maledicat & excellentiæ ejus detrahat. Hæresis plane est involuntaria, quia ex errore mentis est & nihil minus quam voluntaria divinæ Majestatis læsio. Hæreticus enim divinæ Majestatis gloriam intendit, & per hæresin suam eam promotam cupit. Quod discrimen tanti momenti est, ut blasphemiam, qua divina gloria læditur, Deus pro blasphemia vix censeat, quando ex ignorantia oritur, saltem ut blasphemantium ex ignorantia misereatur; cum blasphemantes proprie sic dictos sine veniæ aut misericordiæ spe interfici jusserit, eadem plane ratione qua homicidarum misereri vult, qui per ignorantiam plane involuntariam homicidium commiserunt: unde etiamsi contingeret hæreticum blasphemum esse, id est, ea adserere aut negare, quæ divinæ Majestatis gloriam lædunt, nihilominus tamen proprie blasphemus non esset, nec blasphemiæ pœna ad illum pertineret, non magis quam homicidii pœna ad eum, qui ex ignorantia aut errore hominem occidit: Quare inepte Theologi isti legem de blasphemia ad hæreticos, quos blasphemiæ postulant (jure an injuria jam non disputo) referunt. Nec auget Censor crimen cum *contumaces* hos hæreticos vocat. Contumacia enim vel pertinacia de ratione formali hæreseos est. Pertinacia autem non significat voluntatis actum, quasi Hæreticus, etiamsi de veritate fundamentali convictus sit, velit tamen ex professo opinioni suæ falsæ adhærere, aut quasi cum sciat Ecclesiam in judicando de veritate fundamentali non errare, imo errare non posse, nihilominus tamen Ecclesiæ judicio acquiescere de industria nolit, Nihil minus. Hoc enim merum figmentum est (loquor de Hæreticis, quos Censo-

Discrimen inter hæresin & blasphemiam.

res sic vocant, qui circa fundamentalem articulum Religionis Christianæ errant: Non vero de iis, qui volunt inhærere levibus minutisque litibus & quæstionibus, quas inutiles & vanas esse sciunt, de quibus agitur Tit. 3. ubi tales ἀυτοκατάκριτοι vocantur.) sed significat errorem mentis, in quo quis manere vult, sive quia rationes non audit, quæ contrarium efficaciter suadent, sive quia rationes per se satis efficaces pro merito non introspicit aut considerat, sive quia Ecclesiæ judicium pro infallibili non habet. Nec multum ad rem facit cum eos turbones Reipublicæ vocant. Aliud enim est turbare aliud turbare velle. Turbat aliquando quietos, qui nihil minus, quam turbare eos in animo habet. Turbatio accidit aliquando sine causa & præter opinionem. Deinde aliud est turbare pacata & tranquilla sui commodi causa, aliud bono & commodo aliorum. Medicus turbat aliquando humores in corpore, quos correctos aut expulsos vult in solatium ægri. Hæc turbatio laudem meretur: Illa in vitio est: Ex eventu non sunt æstimanda consilia: Nec eventus noxius ad culpam sufficit, si nocendi voluntas absit & noxa in actione non sit. Sed esto, demus Leges Mosaicas de Apostatis, blasphemis, eo sensu intelligendas esse, quo Censor ait, quid tamen hoc ad rem faciet? *Nulla ratio subesse videtur*, inquit Censor, *cur leges istas antiquatas dicamus, aut minorem vim habere in Novo quam in V. Testamento & Magistratus autoritate & potestate ex vetere in N. Testamento continuata, minus illum ipsum obligare in hac causa, quam in aliis criminibus.* Imo vero contra: Nulla ratio est, quæ leges illas antiquatas non esse suadet. Lex tota Mosaica quatenus cæremonias & judicia spectat, non nisi populo Iudaico lata fuit, atque idcirco populum Iudaicum tantum obligavit: Quare abrogata & antiquata necessario censeri debet cum populo & Republica tota Iudaica. Mutato enim populo, Republica & sacerdotio, necessario quoque Legis mutatio fit (non cæremonialis tantum sed etiam positivæ) Hebr. 7. 13. Si dubitas Censor tum sic colligo: Aut tota Lex Mosaica cæremonialis & judicialis adhuc viget & obligat Christianos, aut si non tota viget, aliquas & nominatim hanc de Hæreticidio Legem vigere aut abrogatam non esse adserendum est. Totam Legem Mosaicam Iudicialem adhuc vigere & obligare Christianos, temeritatis foret adserere. Sic enim, ut jam alia non allegem, postliminio in Christianum orbem reducendæ forent Leges de non alienandis Hæreditatibus, de polygamia, de libello repudii, de Zelotypia &c. Si tota Lex Mosaica non viget, neque obligat

Aliud est hæreticus, aliud turbo Reipublicæ proprie sic dictus.

Evincitur Leges Mosaicas civiles & cæremoniales abrogatas esse in N. T. ita ut Christianos in N. Testamento non obligent.

gat

gat Christianos, tum ratio danda est, cur hæc, non illa, obliget adhuc Christianos, & speciatim cur hæ leges Deut. 13. Levit. 24. adhuc vigere debeant & ex vi illarum obligetur Christianus Magistratus. Id impossibile est. Dicere has Leges à Christo diserte non esse abrogatas, non est satis. Nam variæ Leges Mosaicæ à Christo diserte abrogatæ non sunt, ad quas tamen Christiani non obligantur. Dicere Leges has, quatenus ad alios, quam eos, quos expresse verba Legis designant, per consequentiam extenduntur, juris communis esse & perpetui, est petere τὸ ἐν ἀρχῇ, adeoque falsissimum, uti jam ante vidimus: Hæreticus enim, qui errore deceptus blasphemat, cum credat se non modo non blasphemare, sed Deum ex præscripto verbi sui glorificare, blasphemus non est, quem Lex occidi jubet, saltem ut eodem cum blasphemo loco censeatur, inquissimum est. Sine expresso oraculo divino id statuere, summæ audaciæ & crudelitatis est. Favores, non rigores, ampliandi sunt, vel ipsius Mosis exemplo, qui cum ei offerretur qui ligna Sabbatho collegerat, Num. 15. 32.33.34. & alius qui nomen Dei expresserat eique maledixerat Levit. 24 10.11.12. contra eos statuere quicquam noluit inconsulto divino oraculo, ne per consequentiam, licet valde speciosam, Legis divinæ transgressor & injustæ cædis author fieret. Tum, si juris communis Legem hanc esse velimus, necesse erit, ut eadem etiam pœna, quæ Lege hac expressa est ac non alia, contra hæreticos statuatur. Hoc enim postulat reverentia, quæ divinæ Legi & sapientiæ atque æquitati ejus debetur: Lapidare itaque cogetur hæreticum patrem, fratrem, uxorem, qui primus eorum hæresin deprehendit & detulit: Et si plures sint, qui hæresin eorum sectantur, omnes istos, cum familiis, pecoribus, urbibus, pagis, domibus vivos comburere & solo æquare: Dicere, pœnam hanc non esse juris communis, est jus fingere, aut jus opinioni, vel animo suo non divinæ voluntati aptare: Adde, leges has juris communis non censendas esse, praxis universi orbis Christiani docet: Apostatas seu à Christi religione ad Iudaismum deficientes, nemo lapidandos censet: Iudæos directe blasphemos in Christum & religionem Christi, non modo non occidit, sed & liberas Synagogas habere sinit, & quod mirere, hæreticos flamma & ferro persequitur magna Christiani orbis pars, seque legibus his Mosaicis tuetur, dum eos, quos Lex ista Mosaica expresse olim designabat, & lapidari jubebat, liberos atque impunitos dimittit, pudenda sane cæcitate dicam an perversitate. Nec juvat si dicas, Iudæos Apostatas non esse nec deficere à Religione Christi,

Cæcitas Christianorum in urgendis Legibus divinis præter & contra expressam earum sententiam.

quia eam nunquam probarunt: Nam esto, Apostatæ non sint, attamen blasphemi sunt, & non indirecte neque per consequentiam, ut hæretici, sed directe atque aperte Christo ejusque religioni sacrosanctæ maledicunt: Quod tamen idcirco non dico, quasi in Iudæos concitare velim sæculare brachium. Absit. Lege enim hac Mosaica Christianos Magistratus obligari ex professo nego, sed ut ostendam eos, qui Legem Dei, quæ de blasphemis, non autem de hæreticis agit, pro hæreticidii jure allegant, Legem tamen de blasphemis expressam, neglectui habere: quod non obscurum indicium est, eos Legem istam communis juris esse non agnoscere & Lege ista pugnare dicis causa, ut affectibus suis fibulam imponere, & Zelo tantum divinæ Legis ferri videantur, cum nihil minus quam eo ferantur, quia apertam Legem contemnunt & consequentiam suam Legi apertæ præferunt, dum notorie blasphemos tolerant, quos Lex aperte occidi jubet; hæreticos occidunt, quos Lex nuspiam occidi mandat, idque prætextu Legis ipsius, quæ non nisi de blasphemis agit. Atque hac in re Christiani multo deteriores videri debent ipsis Iudæis, qui cum Legem de blasphemis & Apostatis strictissime semper observarent, nunquam tamen hæreticos, licet pertinacissimos & directe fundamentum fidei evertentes, eadem pœna teneri adseruerunt: Sadducæos enim, qui Angelos, Spiritum & resurrectionem mortuorum aperte negabant, ut est Act. 23. 8. non modo non occidendos judicarunt, sed & Synagogas suas habere permiserunt: adeoque sacerdotii summi honore dignati sunt: Sed quid pluribus argumentis opus est? Leges has Mosaicas etiamsi eas extendas cum Censore ad Apostatas, id est, à Christianismo ad Iudaismum, Atheismum aut Gentilismum deficientes, & ad blasphemos pravum & blasphemum sensum Deo aut Scripturæ impudenter & pertinaciter attribuentes, juris communis & perpetui non esse, universa primitiva pura & incorrupta adhuc Ecclesia credidit. Percurrantur ejus annales, comperietur Patres omnes stetisse intra spiritualia remedia sive Ecclesiasticas excommunicationes: Pœnas omnes temporales non modo non exercuisse propter defectum auxilii aut potestatis carnalis, aut quia tum sic expedire judicabant contra scandala, quæ inde potuissent oriri, ut Pontificii inepte solent fingere, sed & aperte damnasse, ut illicitas & sanctissimæ religioni Iesu Christi regiæque ejus de caritate Legi contrarias: prout prolixe ex Patribus primitivis, Ignatio, Dionysio Areopagita, Tertulliano, & sequentibus, Athanasio, Optato Melevitano, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, Hilario,

Ostenditur Antiquitatem totam intra Ecclesiasticas excommunicationes stetisse.

Hilario, Ambrosio, Severo Sulpitio, Gregorio, Agathone, Bernardo, loca evidentissima allegat Archiepiscopus Spalatensis, Vir antiquitatis Ecclesiasticæ ad miraculum usque peritissimus Lib. 8. de Republica Eccles. cap. 8. Nec dubitatur à Theologis, quin Augustinus ejusdem sententiæ fuerit in principio & longo admodum tempore, quam tamen, post multa cum Donatistis, hominibus satis pertinacibus, certamina, hactenus mutaverit, ut eas pœnas non improbaret, quæ pœnitentiæ tempus relinquerent, capitalia autem diserte exceperit, iisque intercesserit sæpissime, uti videre est lib. 3. contra Cresconium Grammaticum; cap 5. de fide & Operibus. Epist. 158. & 159. ad Marcellinum. Epist. 150. ad Apringium & alibi multis in locis. Similiter de Constantino judicandum est: Prima ejus edicta liberum cuique ex animi sui sententia Dei cultum concedunt, uti videre est apud Eusebium lib. 2. cap. 27. in vita Constantini. At postea, sive quod imperii sui rebus ita judicabat conducere, sive quod Episcopos laborem quotidianæ disputationis videret subterfugere, pœnas constituit in eos, qui se à communione τῆς μεγάλης ἐκκλησίας separaverant, sed maxime pecuniarias: Secuti imperatores, ut expedire rebus suis judicabant, ita pœnas contra segreges cætus statuerunt. Honorius contra Donatistas Laicos pœnas constituit pecuniarias, contra Clericos exilium. Martianus similes scripsit Leges, sed postea declaravit suæ intentionis non esse, ut propterea vis conscientiis inferatur. Idem de magno Theodosio fatetur Nazianzenus. At pœnæ capitales adeo omnibus Patribus atque Episcopis invisæ erant, forte ob memoriam paganæ sævitiæ, ut in Gallia Episcopi, qui autores potestatibus fuerant, ut in Priscillianistas pravorum dogmatum autores & vitæ inquinatæ homines gladio animadverteretur, eam ob causam ab Ecclesiarum amoti sint communione, & in Oriente damnata Synodus, quæ in Bogomili exustionem consenserat. Certe Ario, Macedonio, Nestorio, Eutycheti, novarum Sectarum principibus nihil durius relegatione evenit: Et graviorum pœnarum aut extremi supplicii occasionem dedisse videntur Arriani Imperatores & ejusdem sectæ Africæ Reges: Hi enim cum usque adeo sævirent in dissentientes ut manus suas eorum sanguine imbuerent, similibus pœnis sævire in eos alii cœperunt & talionis jure agere: Tandem crescente dominandi cupiditate eo ventum fuit, ut non quævis mors visa fuerit sufficere, sed in exquirendis suppliciis ingenium suum exercuerit sævitia: At ne sævitiæ hujus causa intelligeretur & ut offensionibus obex poneretur,

Quæ fuerit Augustini sententia.

Quæ Constantini & sequentium Imperatorum.

obtendi cœperunt Leges Mosaicæ & Imperatoribus persuasum fuit ab Episcopis degeneribus sane primitivæ & mitissimæ antiquitatis filiis, eas communis & perpetui juris esse, iisque non minus obligari nunc Christianos Magistratus, quam olim Iudæos. Atque hanc sententiam Censores hi aperte satis probant, etiamsi aliter agere videri velint, & intra coercitiones consistere. Apparet id ex eo, quod sequitur in Censura, *Certe*, inquit Censor, *Magistratus partes, quæ versantur in coercitionibus pœnisque externis, etiam in regno Christi curando, Christus ipse & Apostoli dictis factisque extraordinariis quibusdam indicant & exhibent.* Dicta enim & facta ista extraordinaria eousque extendit Censor, ut lapides molares hæreticorum collis appendi, flagellis hæreticos cædi, effossionibus oculorum excarnificari & extemporaneis mortibus è medio tolli optare, adeoque necessarium esse statuere videatur. Horret animus, cum tam ingentis crudelitatis authores Reformatos hos Doctores esse legit: nec cæcitatem eorum dicam an stuporem satis mirari potest, quod extraordinaria ista facta & parabolica aut hyperbolica dicta Christi & Apostolorum, exempla ordinariæ punitionis, quæ per Magistratum fieri debeat, facere audeant: perinde ac si Magistratus in Christi ac Apostolorum locum successerint, qui extraordinaria eorum judicia, dicta ac facta, ordinaria tribunalium, carcerum, virgarum & gladii sui usurpatione in Ecclesia continuarēt, ridicula sane ac merito detestanda consequentia. Cur non similiter ac multo rectius quis concludat, Christum dictis & factis suis, quibus adulteram noluit damnare, Ioan. 8. Fratres de hæreditate erciscunda inter se contendentes judicare renuit, Luc. 12. 13. 14. inter Apostolos & discipulos suos dominium & potestatem exerceri vetuit, adeoque omnes inter se æquales esse jussit, Matth. 20. aliaque similia dixisse ac fecisse legitur, exemplum dare voluisse Christianis Magistratibus, ut adulteria impunita dimitterent, hæredipetis jura non dicerent, adeoque dominium & potestatem nullam exercerent in subditos suos? Sed nos dicta & facta extraordinatia, quæ hic citavit Censor, propius paulum videamus, ut quorsum tendat tanto manifestius liqueat. Primum dictum Christi citat ex Matth. 18. 6. Marc. 9. 42. Luc. 14. 1. 2. ubi de iis, qui offensiones infirmis objiciunt & inferunt, ita pronunciat: *Quisquis offenderit unum ex parvulis istis, qui credunt in me, bonum esset ei potius, ut circumponeretur saxum molare & projiceretur in mare, quam ut offendat unum ex parvis istis.* Inde infert Censor; *Imprimis ergo qui incautas animas exitiosis opinionibus offendunt & pervertunt,*

Refelluntur Censoris argumenta, ex dictis factisque Christi & Apostolorū extraordinariis, ad probandū hæreticorum coercitionem Magistratui licitam esse.

Expenditur dictum Christi Matt. 18.6. Marc. 9.42. Luc. 14. 1. 2. & refellitur consequentia, quam ex eo deducit Censor.

pervertunt, coercendi fuerint, At I. quæ ratio conſequentiæ? De talibus offendentibus Chriſtus ait; melius eſſe ut in profundum maris præcipitentur, ergo imprimis coercendi ſunt hæretici. Contrarium potius colligitur. Nam aliud eſt hæreſis, aliud offenſio, imo gravius multo eſt offendere infirmos, quam hæreticum eſſe. Deinde, offenſio iſta, de qua Servator agit, non pertinet ad errores aut hæreſes, in quas imprudenter aliquis incidit & quas propagatas vult ex mero, licet cæco, errore in bonum & ſalutem aliorum (de hæreticis enim ejuſmodi loquimur, qui erroneas opiniones tenent, licet alioquin pii ac probi vitæque prorſus ſint inculpatæ) ſed contra ad peccata, quæ ex contemtu fidelium recens Chriſti ſacris initiatorum & ſic parvulorum atque infirmorum adhuc in fide, fiunt: per quæ accidit, ut illi vel à recta pietatis ſemita prorſus avellantur, vel ea committant, quæ apta nata ſunt in ipſis recens natam pietatem & ſalutis ſpem extinguere & ſuffocare. Quare ſi conſequentia ex ſcopo Chriſti facienda ſit, concludetur tandem directe adeoque, ut Cenſor loquitur, *imprimis* Chriſtum dicto hoc ſuo Magiſtratibus indicaſſe, officii ipſorum eſſe, peccatoribus omnibus, qui infirmos & recens ſacris Religionis Chriſtianæ imbutos, dicto vel facto ullo ſuo offendunt, id eſt, uti Chriſtus ipſe verbum σκανδαλίζειν exponit verſ. 10. contemnunt, ita ut eos ex profeſſo tanquam injuriæ oportunos ad ejuſmodi facta ſolicitent, per quæ in periculum defectionis aut ſalutis prolabi poſſunt, imo actu etiam prolabuntur, his, inquam, omnibus molaria ſaxa circumponere, hos in mare projicere & horrendo ſubmerſionis ſupplicio afficere: Bone Deus! quæ molaria ſaxa, quæ maria ſufficerent delendis ac perdendis omnibus iſtis peccatoribus? Adde cum Chriſtus dicit, *bonum eſſet ei potius ut circumponeretur molare ſaxum & in mare projiceretur*, eo non ſignificat bonum eſſe, ut id ei fiat ab hominibus, aut melius eſſe ut Magiſtratus eum iſto ſupplicii genere adficiat: Abſit à mitiſſimi Domini Ieſu verbis tam barbarus tam crudelis ſenſus; ſed tantum ſignificat, præſtare iſtis hominibus, ut ſubita aliqua morte pereant atque intereant, quam ut iſtiuſmodi enormibus peccatis reos ſe faciant divinæ iræ, quæ in eos aliquando eam ob cauſam effundenda eſt. Circumpoſitio enim molaris ſaxi & demerſio in profundum maris, hic non ſignificant pœnæ aut ſupplicii genus, ſed mortem atque interitum ſimpliciter, oppoſite ad pœnas & ſupplicia, quæ propter ſcandala infirmis data aliquando incurſuri ſunt ejuſmodi offenſores: quaſi legeretur; Præſtaret eos una ſubita horrenda certaque morte cum

cæteris

cæteris impiis perire, quam in manus Dei ultrices incidere, qui tenerrime infirmos istos amat, & qui eos lædunt, gravissime puniturus est. Facta sequuntur. Sic enim Censor pergit; *Quin & facto suo idem confirmat, dum templum ingressus omnes ementes & vendentes templo ejicit, mensasque & sedes vendentium columbas subvertit* Matth. 21. 12. Marc. 11. 18. *idque alias flagello è funiculis ei rei facto* Ioan. 2. 13. *Multo magis Magistratus Christiani fuerit hoc Christi exemplo Pseudoprophetas & falsos Doctores &c. arcere & prohibere.* At I. Vendentes & ementes hi quid commune habent cum hæreticis & falsis Doctoribus? Contrarium potius quis collegerit: Vendentes & ementes hos ejecit Christus, at nunquam ejecit templo Sadducæos, licet hæreticissimos, quin imo communia cum iis sacra in eodem templo obivit, Synagogas eorum non modo non disturbavit, sed & subinde ipse frequentavit &c. Nec unquam adulteros, avaros, superbos, aliosve peccatores flagris licet dignissimos templo ejecit: Ergo ab illis ad hos inepte concluditur. Quare cum Censor à minori quasi ad majus collegit; multo magis Christiani Magistratus esse hæreticos templo ejicere, quam ineptas & futiles consequentias faciat, videre potest. Adde, quod vendentes & ementes hos ejecerit Christus non eo fine, ut ostenderet vendere aut emere istud rem illicitam esse (nam non licita tantum, sed & utilis adeoque necessaria erat ista negotiatio) sed quod venditionem & emtionem illam in templo Dei fieri indignum erat & quidem ab istis, qui commodi tantum & utilitatis suæ causa absque ulla divinæ Majestatis reverentia eam exercebant: Quare ut ementes & vendentes isti exempla esse dicantur hæreticorum, aut ab emtione & venditione ista ad hæresin concludatur, stultissimum est. Deinde, quod Christum alias vendentes & ementes istos ejecisse flagello è funiculis ei rei facto, ait Censor, nullo certo fundamento nititur. Nec enim ex Ioanne, quem locum isto fine citat Censor, certo constat, flagello usum fuisse Christum propter vendentes & ementes. Vox enim πάντας non necessario ad τοὺς πωλοῦντας refertur, sed referri posse, imo referenda omnino videtur ad sequentia verba τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας. Quæ enim postea sequuntur, ea non obscure indicant, Christum cum ipsis ementibus ac vendentibus verbo egisse, iisq; pro autoritate sua jussisse ut mensas suas tollerent & collybia isthic non facerent. III. Esto tamen, ejecerit etiam Christus vendentes & ementes flagello (parum enim interest si hoc admittatur) unde tamen colligetur, ejicere hos è templo esse coercere eos ne templum adeant, aut in templum nõ conveniant

Expenditur factum Christi, quo vendentes & emẽtes ex templo ejicit, & quæ ex illo deducitur consequentia, refutatur.

veniant religionis suæ causa? Imo quod magis est, eos Synagogis, civitate, regno expellere, incarcerare aut virgis cædere, quid dico occidere & in crucem tollere, si negotiationem illam extra templum facere pergant? Apagesis tam manifestas ineptias à causa tam gravi. Denique pone ab ejectione vendentium & ementium è templo per flagellum facta, recte colligi, ejectionem hæreticorum Magistratui licitam esse, nihil tamen aliud colligetur, quam ejectionem hæreticorum ex publicis templis ad Magistratum pertinentibus, licite à Magistratu fieri posse & quidem, si necesse sit, flagello è funiculis ei fini facto, ulterius aut plus concludere nemo jure potest: At hoc jus Magistratui plena manu tribuunt Remonstrantes: Hac ergo in parte imitetur Magistratus Christum: Quod si vero etiam pergat eos ejicere Synagogis, civitate, Republica, non modo non imitabitur Christum, sed eum damnabit, quippe qui Synagogas eorum liberas in civitate permisit, licet hæresium & errorum gravissimorum essent seminaria.

Pergit Censor; *Quin & Apostoli similia quædam gesserunt, ut dum Petrus Ananiam & Sapphiram mentientes Spiritui S. & sacrilegio peccantes divinitus morte feriit*, Actor. 5. At quid hoc ad hæreticos? Ananias & Sapphira erant simulatores & hypocritæ, qui Spiritui Dei vel potius Spiritum Dei mentiebantur, id est, præ se ferebant se Spiritus S. impulsu motos ad conferendam in commune bona omnia sua, cum tamen de industria & ex composito quandam partem sibi retinerent, unde & *consensisse* dicuntur in eo, *ut tentarent Spiritum Dei* vers. 9. Hæretici vero nec simulant nec mentiri se sciunt, & quod animo sentiunt, id ore profitentur. Quare si Censor Petrum hic Magistratus locum gessisse velit, necesse est ut fateatur Magistratus officium esse mendaces, Hypocritas, simulatores omnes extemporanea morte è medio tollere. Deinde, certum non est nec ex textu necessario colligitur, Petrum, Ananiam & Sapphiram morte percussisse, quod Censor hic audacter asserit. Dicit textus Petrum acriter objurgasse utrumque, Sapphiræ autem insuper prædixisse simile cum marito excidium. At aliud est occidere, aliud objurgare & prædicere: Ad verba Petri, vel postquam Petrus utrumque objurgavit, Sapphiræ autem etiam mortem prædixit, ceciderunt ambo exanimati, sive id factum fuerit acrimonia & severitate objurgationis, quam sciebant illi justissimam esse, uti quidam volunt allegantes ei fini simile exemplum ex 1. Sam. 25. 37. ubi Nabal audita narratione Abigaelis uxoris suæ de periculo summo in quo fuerat, *diriguisse* dicitur & post aliquot dies obiisse

Refellitur argumentum ex facto Petri desumtum, quo Ananias & Saphira extincti dicuntur à Censore. Actor. 5.

veluti attonitus & sideratus: sive, quod verisimilius est, divinæ ultionis vi, qua hypocrisin & simulationem illam manifestariam punire & publice traducere ac veluti παραδειγματίζειν voluit: Deus itaque occiderit hos non Petrus: Quare si Censor hoc factum in exemplum datum esse velit Magistratibus, necesse est ut concludat, idem semper licere Magistratibus, quod Deo licuit: Si vero etiam velit Petrum hos occidisse verbo vel vi acris objurgationis suæ, idem posse facere Magistratum, si velit, concludat & recte fecerit, nec erit mortalium ullus, qui refragabitur: Nam si objurgationem illam Deus ratam habeat, & eum, qui objurgatur, perimat, justam eam fuisse & divinitus approbatam judicabitur; Sin minus, liberum relinquetur objurgatis, objurgationi isti non parere, utpote ad exemplum Petri non factæ. Sed hoc lene consilium non ferunt, qui nil nisi scalpra & cauteria, equuleos, & carceres spirant. Quid mirum? Si verbo coercere aut occidere hæreticos aggrederentur, puderet eos suæ stultitiæ: Non subita sed lenta mors hæreticorum sequeretur. Compendia amant: Gladio subitam mortem inferunt, ne Petro dissimiles videantur & seipsos ludibrio non propinent: Nempe uno ictu occidere & repente exanimare, est Petrum imitari. O stultum sæculum! Nota interim, Lector, an, cum hoc exemplum inter alia refert Censor, non clare satis testatum faciat, se credere Magistratui etiam licere hæreticos non tantum coercere, sed & capite plectere, sive morte punire ad exemplum Petri: Et hoc cum ita sit, nihilominus tamen videri vult credere intra corporales coercitiones tantum standum esse, quæ scilicet ad emendationem non ad perditionem spectant.

Refellitur argumentum ex facto Pauli desumtum, quo Bar-Iesum cæcitate percussit Actor. 13.8.9.10.

Porro inquit, *Paulus Bar-Jesum Pseudoprophetam, qui Sergium proconsulem avertebat à fide, hominem plenum dolo, maleficum, filium diaboli, hostem justitiæ, ut illi exprobrat Paulus, cæcitate corporali percussit*, Acto. 13.8.9.10. Hoc factum plane alienum est à re: Nam Elymas iste nec hæreticus erat, nec cum hæreticis conferri potest: Nimirum Iudæus & Pseudopropheta erat, alienus adhuc à fide Iesu Christi, adeoque ex professo se opponens prædicationi Euangelii, cujusmodi homines pro hæreticis censere, eosque occidere aut pœna corporali afficere, licitum esse negant ipsi Pontificii hæreticidii patroni juratissimi. Deinde Magus erat, plenus dolo, & ad quodvis scelus facilitatus, hostis justitiæ omnis, filius diaboli &c. quorum nihil convenit hæreticis istis, de quibus hic agitur, quos supponimus probos, pios & innoxios homines esse, sed in errore aut hæresi sua pertinaciter tantum persistentes,

non quia volunt errare, aut quia non volunt ab errore suo liberari, sed quia se errare in animum suum non possunt inducere, parati quamlibet potius mortem tolerare, quam à sententia sua contra conscientiam suam discedere. Atque hæc sufficiant ad facta Apostolorum extraordinaria, quæ Censor citavit: Quibus unum tantum coronidis loco adjiciam; Iniquissimum esse, ut, quæ primis istis temporibus ab Apostolis facta fuerunt, ad hæc nostra tempora transferantur. Nimirum primis istis temporibus judicia Apostolorum certa erant & indubiæ veritatis, contra quæ nemo excipere poterat, nisi dedita opera contumax esse vellet aut Religioni Christianæ nuntium remittere: Quare qui istis non acquiescebant in omnibus & interim Christiani esse atque haberi volebant, ii dignos se reddebant quovis supplicio. Nostrorum temporum alia longe est ratio: Nempe oracula ista cum ipso Apostolorum sanctissimo choro desierunt, & judicia omnia, licet centumviralia, errori sunt obnoxia, adsentientibus Censoribus & Reformatis Ecclesiis omnibus. Quare nunc contumaciæ & pertinaciæ isti notoriæ locus non est: Cui adde, quod tempora, quæ Apostolorum mortem usque ad ætatem nostram secuta sunt, tam densa ac profunda errorum, hæresium, schismatum, dissensionum caligine involuta atque obsita fuerint, ut mirum non sit multos in dijudicandis erroribus & evolvenda ista caligine hallucinari, unoquoque reperiente, quo errorem suum tueatur & colorem det pertinaciæ suæ. Fatetur id *Beza* in præfatione sua ad N. Testamentum, ubi *Patres & Concilia non particularia tantum, sed & generalia in iis, quæ ad doctrinam spectant, non obscure tantum, sed & imperite judicaße*, fidenter asserit, usque adeo, *ut optimis etiam temporibus illis eam* dicat *fuiße nonnullorum Episcoporum partim ambitionem, partim futilitatem & ignorantiam ac multorum etiam apertißimam ac disperatißimam improbitatem, ut Satanam ipsum plane cœtibus eorum præfuisse vel ipsi cæci facillime perspiciant.* Deinde tempora Apostolorum erant veluti prima vagientis adhuc Ecclesiæ incunabula & quasi rudimenta Societatis Euangelicæ: Cætus Christianorum erant viles, despecti & nullius pæne nominis ac splendoris: Concilianda itaque erat divina quædam reverentia eorum fundatoribus, & autoritas eorum stabilienda privilegiis extraordinariis de cælo, ne plane vilesceret aut apud rudia & variis adhuc præjudiciis obsessa ingenia vacillaret. Horsum serviebant inusitata & admiranda quædam autoritatis ac potestatis eorum signa atque indicia, quibus testatum fiebat, præscriptis eorum parendum esse ex

Generalis Responsio ad facta Apostolorum extraordinaria, quæ Censor citavit pro causa sua.

Theod. Beza in Præfatione ad N. Testamentum.

Distinctio facienda est inter tempora Apostolorum & nostra.

animo,& jussibus eorum incunctanter cedendum, nisi Deum ultorem in caput suum accersere vellent, qui in familiam & disciplinam eorum se dederant : Nostra vero hæc tempora ad adultam Christi ætatem pertinent , quæ factis istis roborata & confirmata est , quæque ad sui stabilimentum fulcris & adminiculis istis non eget, quibus ætas prima atque infantilis opus habebat. Decreta & statuta Apostolorum omnes pari fiducia amplectimur, omnes istis Sacramentum dicimus. De sensu eorum si controversia incidat , eam ex illis ipsis decretis statutisque decidi volumus : Sic statuminatur & sarta tecta manet Apostolorum autoritas : Rationibus ergo utendum est hinc inde. Hæc virorum est & eorum, qui, ubi factis extraordinariis decisio fieri non potest,rationibus Apostolicis urgendi & cogendi sunt , ut exercitatos sensus habere discant in scriptis Apostolorū ad dijudicationem boni & mali. Si virgis, si carceribus, si fustibus, equuleis , gladio, igne, rota sententiæ tuæ fidem facere velis , ad infantiam redis & Ecclesiam jam ex ephebis egressam ad cunas & virgas revocas : Nec Apostolos imitaris , quando non ut illi miraculosis & inusitatis factis , nec verbi nec spiritus virtute asserere potes sententiæ tuæ veritatem , sed affectibus tuis indulges , dum factis humanis , imo plane inhumanis , quæque divinum nihil præ se ferunt , id est , mere externa vi eam propugnas & sic vestigiis Apostolorum insistere iisque consentanea facere videri vis , quasi non cum viris , sed cum infantibus tibi res sit , qui quantum inter tua ista & Apostolica facta intersit, dijudicare non valent. *At nisi sic agatur*, inquies , *manebit semper lis indecisa*. Cur ? decide eam judicio tuo : At decisionem illam respuent alii; Decide ergo eam facto aliquo Apostolico , ut decisionem tuam divinam & neutiquam respuendā esse omnibus constet ; verbo respuentes exanima cum Petro, oculorum usu ad tempus priva cum Paulo , trade eos cum eodem Satanæ flagellandos & castigandos. Ferro tantum abstine & vinculis , quibus usi Apostoli non sunt : Si non potes, fatere ergo infirmitatem tuam , & quod unum potes , rationibus firma sententiam tuam , quas Apostolicas esse credis, aut si hoc nolis, quod tute tibi in alios jus indulges, idem aliis in te sibi sumere posse cogites : Sic decisio litium in Christianismo à fortioribus fiet non à melioribus , & bonæ causæ ac decisionis signum erit, viribus pollere supra alios , quibus dissentientes possis constringere, ut de iis mereat carnifex. Vltimo loco adfert Censor id *quod de Antichristo* , ut ait , *ejusque peremtione per Magistratum diserte dicitur* , *quod decem cornua* , *id est* , *reges illi decem odio persequentur*

Exceptio diluitur.

Refellitur argumentum ex Apocal.17.17. desumtum.

tur meretricem & ſolam illam reddent & nudam, & carnes ejus comedent, ipſam igne abſument: Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod beneplacitum ei eſt. Quo quid evidentius eſſe poteſt, ait Cenſor, *ad demonſtrandum quod Magiſtratus poteſtas etiam eo ſeſe extendat.* Nempe ergo Antichriſtus non coercendus tantum, ſed ferro flammaque exciden-dus eſt ex ſententia Cenſorum. Eſto: Hoc enim volunt, quicquid hic illic ſententiam ſuam diſſimulent. Sed quid hoc ad rem? *De Antichriſto agitur*, inquit Cenſor, *in loco citato.* Eſto. Demus hoc Cenſori. At hic jam non de Antichriſto blaſphemante & ſanguine Martyrum, quos hæreticos vocant, ſeſe inebriante, quin & Reges Principeſque contra eos incitante, ſed de hæreticis errantibus & Antichriſtum ejuſque perſecutionem deteſtantibus agitur. Deinde de poteſtate Magiſtratus Chriſtiani, non de poteſtate Regum à fide Chriſti alienorum hic quæritur. His enim ne Calvinus quidem conceſſerit poteſtatem aut jus in eos, qui hæretici vocantur, nedum ut jus illud iis à Deo expreſſe conceſſum eſſe aſſerat. Denique nec ex textu patet, Regibus his poteſtatem à Deo tribui contra Antichriſtum, nedum contra eum qua Antichriſtus eſt. Quod enim in textu dicitur, *Deum in corda eorum dediſſe ut faciant* τὴν γνώμην αὐτοῦ (quod Cenſor inepte expoſuit, quod placitum ei eſt, γνώμη enim ſententiam, conſilium, decretum potius ſignificat, quam id quod placitum Deo eſt.) id non ſignificat, Deum Regibus iſtis poteſtatem illam dediſſe ſeu daturum aliquando eſſe (Prophetiam enim hanc Molinæus in libro ſuo de completione prophetiarum nondum completam ſed complendam aliquando eſſe dicit) ita ut jure Regio, ſive quia Reges, Principes & Magiſtratus ſunt, eam exerciturі ſint, aliique etiam Magiſtratus ſimili jure eam exercere poſſint, ſed nihil aliud, quam id quod aliquando divina directione & Providentia per Reges iſtos à Deo exequendum eſt, quando videlicet eorum opera & brachio utetur ad exſtirpandam meretricem iſtam, quæ peccatis ſuis enormibus, *quæ in cælum aſcendiſſe dicuntur*, cap. 18. verſ. 5. iram & ultionem cæleſtem in caput ſuum provocavit; ut plane conveniat cum eo quod apud Eſaiam cap. 10. de Rege Aſſyrio legitur, quo Deus ut *virga furoris ſui* uſurus erat contra Iudæos, quemque Deus ipſe *ſe miſſurum* dicit *eique mandaturum ut ſpoliet ſpolia & prædetur prædam & ponat gentem* (Iudaicam) *in conculcationem ſicut lutum platearum.* Non quaſi ei Deus poteſtatem aut jus daret id faciendi, ſed quia ejus animum ſanguinarium & dominandi cupidum directurus erat ad ſcopum iſtum, quem propoſitum ſibi habebat, prout ex ſequen-

tibus patet. *Ipse enim*, inquit textus, *non sic existimabit, nec cor ejus ita reputabit: Sed ad perdendum se putabit missum in corde suo & ad excidendum gentes non paucas, &c.* Hinc visitaturus eum etiam Deus dicitur eam ipsam ob causam & excidii pœna ulturus vers. 12. *Et erit cum compleverit Dominus omne opus suum in monte Sion & in Ierusalem, visitabo super fructum magnitudinis cordis Regis Assur & super gloriam altitudinis oculorum ejus, &c.* Quod ipsum non obscurum indicium atque argumentum est, Mandatum hoc & missionem hanc Dei non notare dationem sive collationem potestatis vel juris, quo legitime uti, ut Rex, poterat Assur, sed tantum directionem divinam, qua Regem hunc Assyrium potestate sua regia abuti volentem, & nil nisi sanguinaria consilia, ac magnitudinem imperii animo agitantem veluti rivulum, aquilegis instar, flexit & direxit contra populum Iudaicum ad eum affligendum, & propter peccata sua puniendum: Simile est quod 2.Sam. 16. legitur, quo Deum dixisse ad Simei Propheta David affirmat, ut malediceret Davidi, & quidem addito expresso mandato, *Maledic Davidi:* Quis ex eo collegerit, Deum dedisse potestatem Simei maledicendi Davidi, ita ut Simei jure id fecisse & divino imperio motus videri debeat? directio tantum divina indicatur, qua homini ad maledicendum prono occasionem maledicendi adeo luculentam præbuit, ac si ei dixisset, en quod vis jam facito, quam ille arripuit injustissime & contra expressam legem, quæ Principibus populi maledicere diserte prohibet: Eodem sensu dicitur Deus Psal. 105.25. *convertisse cor Ægyptiorum ut odio haberent populum suum, ut machinarentur dolos in servos ipsius*, non dando eis potestatem aut jus eos odio habendi, sed per beneficia, quæ populo suo faciebat, eorum perversa ingenia quasi irritando, ut de populo isto frænando & molestissima servitute obruendo cogitarent. Idem hoc in loco à Deo factum esse, vel aliquando futurum phrasi hac, *dedit Deus in corda eorum ut facerent* τὴν γνώμην αὐτοῦ cur non intelligatur caussa nulla est. Quare argumentum hoc stipula est, quæ examinis ignem non fert: & confirmatur id quod diximus ex iis quæ seq. cap. 18. dicuntur, ubi Christus Dominus populo suo diserte mandat *ut reddant* Babyloni *sicut ipsa reddidit, & duplicent ei duplum secundum opera ejus, &c.* Nemo enim ex verbis istis recte collegerit, ergo cuilibet Christiano potestas à Deo datur, Antichristum & sedem ejus omni malorum genere afficiendi & ultionem conduplicandi. Nam ejusmodi orationes propheticæ quæ emphatice & cum προσφωνήσει seria proponuntur, non tam continent, quid fieri debeat,

[Margin: Sensus loci 2.Sam.16.]

[Margin: Psal.105.25.]

beat, aut quid facturi ſint ii, ad quos eæ pertinent, quam prædictionem ejus, quod aliquando futurum eſt, ut ſenſus ſit, Reddetur ei duplum &c. veſtra cauſa ſive eo quod vos afflixerit ſine cauſa aut ratione ulla, perinde uti pauperes quos liberalitate noſtra nobis conciliavimus *recepturi nos dicuntur in æterna tabernacula* Luc. 16. 9. & *Ninivitæ ac Regina Auſtri condemnaturi dicuntur* Iudæos incredulos *in die judicii* Matt. 12. 41. 42. Hactenus ergo de dictis factiſque extraordinariis, quæ citavit Cenſor, actum eſt.

Vindiciæ locorū ad marginem Declarationis citatorum.

Poſt hæc examinat Cenſor loca, quæ Declarationi ſuæ ad marginem adſcripſerunt Remonſtr., quibus probant eos, qui diſciplinam Eccleſiaſticam non tantum cum poteſtate carnali & vi coactiva exercent, ſed etiam ad corporales punitiones & ſupplicia capitalia extendunt (præſertim ſub prætextu hæreſeos vulgo ſic dictæ) poteſtatem nimiam, imo prorſus alienam & illegitimam ſibi arrogare. *Nequicquam valent*, ait Cenſor, At mirum eſt hæc loca ſugillari aut labefactari à Cenſore, cum non adferantur in Declaratione niſi contra capitalia hæreticorum ſupplicia, quæ tamen Cenſor videri vult nec approbare, nec ſuadere. Sed ubique prodit ſe ſuopte indicio; Nam ex una parte, dum loca pro jure non occidendi ſed coercendi hæreticos adducit, promiſcue citat ea, quæ pro jure occidendi non minus quam pro jure eos coercendi militare debent ſi rigide urgeantur. Cum loca à Remonſtr. citata contra hæreticidium examinat, non minus confutat ea, quæ contra hæreticorum cædem, quam quæ contra ſimplicem eorum coercitionem militant, uti hoc in loco videre eſt: Quod certiſſimum indicium eſt Cenſores hæreticidio favere, quicquid ſententiam ſuam cælare & diſſimulare ſatagant. Parabola de Zizaniis non evellendis primum ab eo convellitur: Non diffiteor quidem parabolam iſtam de hæreticis hominibus directe non agere, quamquam tota pæne Antiquitas & Reformatorum complures ita credunt, nedum ut de iis tantum agat. Per Zizania enim potiſſimum vel ii, qui vitam Euangelio, quod profitentur, dignam non vivunt, vel qui etiamſi Euangelium non profiteantur, iſthic tamen ubi Euangelium recipitur in impura ſua vita perſeverāt, & piis ac fidelibus hominibus perpetuo veluti ſcandalo ſunt: non quidem tales, qui manefeſti legirupæ ſunt, fures ſcilicet, latrones, adulteri, ſicarii, perduelles, &c. ſed qui carnales & mundani ſunt & voluptati, ambitioni, aut avaritiæ totos ſe mancipant: Hoc, inquam, non diffiteor: Interim argumentum quod ex parabolæ iſtius ſcopo petitur contra hæreticidiū, ſolidum videtur: Nam

Parabola de Zizaniis citata vindicatur.

ſi finis

si finis Christi est ostendere Zizania ista, id est, profanos & mundanos istos homines non esse à nobis è medio tollendos & igne comburendos, sed divino judicio usque ad ultimum diem relinquendos, quanto magis itaque concludendum est, homines hæreticos, id est, in errore imprudenter sed pertinaciter persistentes, alioquin inculpatæ & innoxiæ prorsus vitæ, è medio tollendos non esse? Consequentia per se plana est. *At sic*, inquit Censor, *non modo civilis cohibitiva potestas, sed & Ecclesiastica disciplina evertetur*. Quæ ratio? Aliud est disciplina Ecclesiastica, aliud hæreticidium. Hoc damnat parabola, non illam. Quare si Ecclesiastica disciplina hæreticorum è mundo sublationem, sive hæreticidium aut exerceat aut suadeat, directe impingit in hanc parabolam. *At in hac parabola non agitur*, inquit Censor, *de Magistratu sed de Pastoribus*: Imo vero, inquam quia de Pastoribus agitur, idcirco pastorum est Magistratum commonefacere, ne officio suo abutatur in occidendis istis, quos Servator & Dominus noster Iesus è medio tolli vetat. Nec enim Pastoribus id vetatur, quia officium eorum distinctum est à Magistratus officio, sed quia id Deo ingratum, & plane voluntati ejus repugnans est, sive quia id Christianis qua talibus illicitum est: Sed videantur quæ hac de re prolixe tractavit *Minus Celsus Senensis* in libro suo de hæreticis capitali supplicio non afficiendis, sect. 2. Secundus locus quem Censor carpit est ex Epist. ad Gal. 4.29. qui ita habet; *Is qui secundum carnem genitus est persecutus est eum qui natus* (erat) *secundum Spiritum. Ita & nunc. Quid hoc ad rem facit*, inquit? *An hæreticus secundum Spiritum natus qui in manifesto opere carnis versatur?* Non sane. Sed persequi alium, tribuitur ei qui secundum carnem genitus est, tanquam ἰδιογνωμονικὸν πάθος, quasi legeretur, Ismael homo carnalis, sive vi carnis genitus persecutus olim est fratrem suum Isaacum natum secundum Spiritum, sive vi promissionis, aut virtute Dei, quæ Spiritus est, non vice versa, ita etiam nunc & omni tempore accidit: Spirituales & religiosi homines nunquam persequuntur carnales, mundanos, & ex arbitrio suo viventes, sed contra hi persequuntur istos. Hoc enim carnis ingenium est. Spiritus lenia, moderata, & benigna omnia suadet ad aliorum emendationem. Caro aspera, sæva, crudelia & sanguinaria consilia contra sibi dissimiles agitat, nec quiescit donec eos è medio sublatos videat. Hinc vis argumenti manifesta est, quam pessime pervertit Censor, cum locum istum à Remonstr. allegatum sic accipit, quasi Remonstr. hæreticum hominem vocent secundum spiritum natum, & hæresin opus

Diluitur Censoris exceptio.

Vindicatur locus ex Epistola ad Gal. 4.29. depromptus.

opus faciant non carnis ſed ſpiritus, plane præter & contra Remonſtr. mentem. Interim non volunt Remonſtr. hæreſin iſtam, de qua hic inter nos agitur, eſſe iſtam hæreſin, quam Paulus carnis opus vocat. Nihil minus. Hæreſis quæ carnis opus eſt, manifeſtum opus carnis eſt: At hæc, de qua quæritur non eſt manifeſtum opus carnis: Sæpiſſime enim innocentiſſimi & optimi homines, carnis & mundi oſores ac contemtores, hæretici eſſe deprehenduntur, id eſt, errori alicui pertinaciter inſiſtentes. Nec quiſquam eſt hæreticus, qui ſi hæreſin ſuam opus carnis eſſe intelligeret, non ſtatim eam abdicaturus ſit & deſerturus. Hæc obiter. *Sed an id Magiſtratum concernit?* Ita ſane. Magiſtratus, ſi perſequatur eum qui errore ſolo mentis laborat, neque quicquam facit contra leges civiles aut Societatis jura, carnalis eſt, & veſtigiis Iſmaelis inſiſtit, nec ſpiritualis aut veri Chriſtiani titulo dignus eſt. Carnalis enim perſequitur ſpiritualem, Spiritualis nunquam perſequitur carnalem, id eſt, mundanum hominem. Nec officium, quod Magiſtratus gerit, facere poteſt, ut ſi perſequatur eum, qui legirupa non eſt, ſed carnalis tantum ac mundanus, nihilominus tamen ſpiritualis eſſe non deſinat: Vbique militat hæc Apoſtoli ſententia. *At ne ſic quidem*, inquit Cenſor, *quenquam Eccleſia ejicere licebit cum tamen ſubjiciatur. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus.* Inepte. Aliud eſt ejicere ex Eccleſia, ſive excommunicare, aliud perſequi & longe aliud occidere: Non perſequitur qui excommunicat, ſecedit tantum ab eo quem excommunicat, & eum res ſuas ſibi habere jubet: Deinde ejectio illa inepte ad excommunicationem adducitur: Nec enim fratris Iſaaci iſta vox eſt, *Ejice ancillam & filium ejus*, ſed Dei ipſius, ſignificantis tantum veluti in typo quod carnalis nullius prærogativæ ſed ſolius iſtius rei rationem habere velit, quam ipſe probat & requirit, ad hoc, ut quis æternæ vitæ hæres fiat, uti exponitur ad Rom. 9. 9.

Diſtinctio inter hæreſin vulgo ſic dictam & hæreſin, quæ carnis opus ab Apoſtolo vocatur.

Tertius & ultimus locus, quem carpit Cenſor, eſt deſumtus ex Luc. 9. 55. ubi converſus Ieſus, Diſcipulos ſuos deſiderantes ut ignis deſcenderet ex cælo & conſumeret Samaritanos, objurgaſſe dicitur in hæc verba, *Neſcitis cujus ſpiritus ſitis. Ex hoc loco nihil aliud efficitur* (inquit Cenſor) *quam quod Samaritanis Chriſtum non recipientibus, eamque ob cauſſam Apoſtolis Zeli intemperie & ſtulta imitatione vindictam adverſus eos homines à Republica Iudaica alienos, expoſcentibus, talis his vindicta à Chriſto fuerit inhibita, ſed Diſcipulis non autem Magiſtratui.* An vindictæ privatæ ſtudium fuerit quod hos ſive Apoſtolos omnes, ſive duos à Chriſto miſſos, *filios tonitrui* abripuit, non diſputo. Quin zelus

Vindicatur locus deſumtus ex Lucæ 9. 55.

præceps & valde vehemens fuerit, non eſt dubium. An ſtulta imitatio zeli Eliæ fuerit, in medio relinquo. Duo tantum dico.] Primum, exceptionem hanc Cenſoris admodum eſſe ineptam, cum dicit, ex hoc loco nihil aliud effici, quam vindictam iſtam diſcipulis quidem prohibitam fuiſſe, at non Magiſtratui. Sic enim tacite videtur concedere, vindictam ejuſmodi licitam quidem eſſe Magiſtratui, ſed neutiquam Paſtoribus aut verbi Dei Miniſtris, quod ingens paradoxum eſt. Alterum eſt, argumentum, quod ex hoc loco deſumitur, non recte accipi à Cenſore. Tale enim eſt: Si Chriſtus Diſcipulis aut Apoſtolis ſuis non permiſit, ut votum cœleſtis punitionis conciperent contra Samaritanos, ſolo Religionis ſuæ amore & Zelo tranſitum aut commeatum ipſis renuentes; ergo multo minus permittere eum credendum eſt, ut in hæreticos ſive religionis aut conſcientiæ ſolius cauſa à nobis diſſentientes, & interim paratos promtoſque ad nos omnibus caritatis & benevolentiæ officiis juvandum, ſævitia ulla aut exerceatur aut exerceri procuretur. Conſequentiæ vis per ſe manifeſta eſt. Dicere, Chriſtum hæc prohibere tantum Diſcipulis ſive Apoſtolis ſuis, quia aut qua diſcipuli ſive Paſtores erant, nullo prorſus fundamento nititur, imo contrarium non obſcure arguit oratio Chriſti, & quæ ei ſubjungitur ratio. *Neſcitis*, inquit Servator, *cujus Spiritus ſitis, Filius enim hominis non venit ut perderet animas hominum ſed ut ſervaret.* Senſus enim manifeſte hic eſt, non advertitis quo Spiritu ducamini & quo Spiritu vos duci oporteat, ſi filii hominis, id eſt, mei Diſcipuli atque imitatores eſſe velitis: Spiritus ille, qui vos nunc ſtimulat acer & vehemens eſt, tendens ad perniciem & internecionem hominum Religionis ſuæ zelo ſeductorum, eaque de cauſſa vobis mihique non benevolentium: Iſte Zelus perdit animas, quæ ſervari poterant, & ad quas ſervandas omnia tentanda erant. Sed Spiritus ille, quo vos contra diſſentientes & religionis cauſa vos odio habentes, duci oportet, omneſque eos, qui me præceptorem ſequi amant, mitis, lenis, placidus, & benignus eſt, qui non de occidendo, ſed de ſervando cogitat. Hunc reſponſum hoc Chriſti generale eſſe apparet adverſus omnem in religionis negotio ſævitiam, non autem ſingulare adverſus iſtam tantum ſævitiæ ſpeciem, quæ ultionis ſtudio exercetur, vel de hoc tantum aut illo infidelium genere. Atque hæc ad locorum citatorum vindicias ſatis ſunt.

Secundum argumentum, quod Remonſtr. obtendunt adverſus coercitionem hæreticorum, eſt, ait Cenſor, *Quod prophetiæ libertatem ea*

tem ea ipsa sententia opprimat. Mirum quod Censor vocem *conscientiarum* omiserit, quæ magnum argumento pondus dat, aut si velis, novum & validum argumentum in se habet: Quid? an puduit eum argumentum istud tangere? Ita videtur, ne se ipsum ludibrio prostitueret. Iam enim eo dementiæ deventum est, ut conscientiarum libertas opprimi non credatur, dummodo cuique quod vult sentire, liberum permittatur, etiamsi alioquin severissimis edictis exercitia & segreges omnes cœtus prohibeantur, & in transgressores omnium pœnarum generibus strictissime animadvertatur. Huc dementiæ inquam jam deventum est, ut istud Dordraceni Reformatores jam palam publiceque profiteri non erubescant, quin & scriptis, libellis supplicibus, concionibus, aliisque quibus possunt modis, omnibus persuasum velint, adeoque supremis Patriæ Rectoribus, tanquam rem certam & minime controversam, atque à primis Reformationis incunabilis defensam & propugnatam, repræsentent & inculcent tam pudenda temeritate, ut qui inter eos paulum emunctioris naris sunt, non possint non hæsitare, stupori eorum an impudentiæ tribui debeat tam infamis & notorie falsa assertio. Vidit hoc fortasse Censor, itaque præterire maluit argumentum, quam cum istis misere solvere, & contra communem Belgarum sententiam, veluti contra Solem, loqui. Tamen principale argumentum est, cujus ante alia omnia ratio habenda fuerat: Hoc itaque tanquam insolubile aut saltem de industria à Censoribus præteritum nos hic non urgebimus amplius. De prophetiæ libertate, quam per hæreticidii doctrinam opprimi dicit Declaratio, videamus. *Quid* (inquit Censor)? *An prophetia ita tollitur, dum non rectus usus prophetiæ, quæ tantum versatur circa insignem verbi interpretationem, sed hæreseos (quæ quocunque gradu accipiatur, non prophetia sed prophetiæ eversio est) audax licentia cohibetur?* Non sane. Aliud est libertas prophetandi, aliud audax hæreseos licentia. Inter effrænem licentiam, & superbam Tyrannidem seu coactam servitutem, libertas media est. Neutrum extremum probant Remonstr.

Virtus est medium vitiorum utrinque redactum.

Verum enimvero Censoris partes fuerant hic ostendere, qua re libertas prophetandi vera, ab audace licentia distingui debeat. Nam alioquin facile licentia vocatur id, quod non nisi ipsissima libertas est. Tyrannorum est odiosa nomina prætexere rebus optimis, quas sublatas cupiunt. Libertatem non volunt videri oppimere nisi odio licentiæ. Nihil usitatius, nihil speciosius. Optima invisa reddi non possunt

Vindicatur argumentum de libertate prophetiarum.

Notatur Censor, quod argumentū de libertate conscientiarum præterierit, cum tamen principale sit ac palmarium.

possunt nisi sub persona & larva pessimorum. Idem hic facit Censor. Sufficitut dum libertatem prophetandi veram suffocatam vult, non libertatem, sed licentiam tantum audacem à se opprimi dicat: hoc si satis est, nihil restat quo libertas prophetandi asseratur: Habent Turcæ, Pontificii, Lutherani, Anabaptistæ, sectæ denique omnes, quo dissentientes tuto coerceant & opprimant: Nempe quælibet ab eorum placitis dissensio, non nisi audax licentia erit, quam à se opprimi jure posse clamabunt. Nec finis erit nisi libertatis & licentiæ fines recte designentur, non ex arbitrio partis dominantis, aut ejus cujus interest quomodo distinguantur, sed ex natura rei ipsius, quæ tum optime intelligitur, cum is, qui dominatur se ponit loco ejus qui opprimitur. Nos, quia hæc & similia Censor non fecit, paucis ea de re dicemus sententiam nostram. *Prophetiam* dicit Censor *esse quæ versatur circa insignem verbi Dei interpretationem*: Inepte, si *insignis interpretatio* significet interpretationem quæ tantum recta & bona est, sed in genere rectarum excellit & eminet. Hoc enim sensu prophetiæ vox in hac materia non usurpatur. Quælibet interpretatio intelligitur, quam quis sensui & menti Dei optime quadrare credit. Libertas itaque prophetandi est liber illius interpretationis usus, ita ut quis, juxta illam Deum colere permittatur, eo cultus modo, quem à Deo sibi præscriptum credit, absque ullo dissentientium odio aut insectatione & legum publicarum ad honestam & civilem conversationem pertinentium violatione. Libertatem itaque hanc constituit bonæ conscientiæ & sanctæ atque innoxiæ vitæ studium. Vbi conscientiæ stimulus in causa, & sanctæ atque innoxiæ vitæ studium pro scopo non est, ibi non libertas, sed libertatis abusus quæritur. Conscientiæ stimulus excludit pruriginosam omnem libidinem altercandi & rixandi de levibus, minutis, & nullius aut exigui usus quæstionibus, quæ nec scientem juvant, nec ignoranti nocent, cujusmodi erant stultæ illæ quæstiones, de quibus Apostolus loquitur Tit. 3. & 1. Tim. 1. Qui enim istis seipsum aliosque præfracte vexat, eum hæreticum appellat Apostolus, qui αὐτοκατάκριτος est, quippe qui convictus est apud animum suum eas leves & nullius usus esse, & nihilominus tamen eas, ubi ubi potest, avide arripit, & mordicus tenet, ut occasionem litigandi & contendendi habeat, unde & eum *devitari* jubet post unam aut alteram, de quæstionum istarum inutilitate, admonitionem. Sanctæ vitæ studium excludit dissolutionem morum, & profanam vivendi licentiam. Innoxiæ vitæ studium excludit seditiones, factiones, convitia, maledicta, &

Sententia Remonstrantium de Prophetiarum libertate dilucide ac fuse proponitur.

Quis Paulo Tit. 3. sit αὐτοκατάκριτος.

includit liberam & liberalem diſſentientium tolerantiam, ſive ea fiat in iiſdem ſive in diverſis cœtibus. Hæc eſt libertas illa quā Remonſtr. ſartam tectam cuſtodiri volunt, & quam in Declaratione ſua opprimi dicunt ab iis, qui hæreticidium, vel quamlibet corporalem eorum, qui hæretici vocantur, coercitionem aut ſuadent aut non improbant. Quicquid citra aut ultra eam datur, id aut licentia aut ſervitus eſt. Neque tamen inficias imus, quin libertas hæc degenerare aliquando poſſit in licentiam, vitio eorum qui affectibus ſuis in tranſverſum abripi ſe ſinunt. Vicina enim virtutibus ſunt vitia. Sed ea rerum humanarum conditio eſt, ut à medio ad extrema facile deflectant, & nihil uſque adeo certum ac conſtans detur, quod periculo mutationis obnoxium non ſit. Quid ergo inquies cum Cenſore, *an libertas hæc etiam extendenda erit ad eos qui ἀκίνητα κινοῦσι & nec Eccleſiæ nec Magiſtratui licebit tales coercere aut reprimere?* Nequaquam. Qui ἀκίνητα κινοῦσι, ii hæretici non ſunt, ſed divinæ veritatis manifeſtarii contemtores. Quæ enim ἀκίνητα ſunt, ea tam clare ac dilucide definita ſunt à Deo, ut à nemine ſine divinæ veritatis contemtu negari poſſint, aut in dubium vocari. Niſi hoc ut certum ſtatuatur, nihil non erit ἀκίνητον. Quælibet Secta ſuas habet hypotheſes, ſua principia, quæ ἀκίνητα cenſet. Tum ἀκίνητα quædam creduntur, quæ communiter, aut longo uſu recepta ſunt, ac proinde etſi manifeſte falſa, aut prava, aut valde dubia ſint, movenda tamen non creduntur, ne turbetur tranquillitas publica, aut veri etiam articuli in ſuſpicionem vocentur, & paulatim eorum ruina ſequatur. Politicorum axioma eſt, τὸ κακὸν εὖ κείμενον, οὐκ ἐστὶ κινητέον. Malum bene poſitum non eſt loco movendum: At licet id in leviculis quibuſdam, ſive dogmatis, ſive ritibus diuturna conſuetudine radicatis locum habere poſſit; attamen in iis, quæ magnæ ſive neceſſitatis ſive utilitatis eſſe creduntur, nequaquam valere debet apud eos, qui à Pontificiis ſeceſſerunt, & Eccleſiæ competere negant autoritatem infallibilem ſtatuendi quæ ἀκίνητα habenda ſint ab omnibus. Enimvero niſi Deus ipſe clare pronunciet quæ iſta ſint, quo jure cenſebuntur ἀκίνητα? Nec præſcriptio temporis, nec conſenſus Doctorum, nec autoritas conciliorum ad id ſufficiunt: Alioquin actum eſt de Reformatione. Pleraque enim iſta quæ Reformati moverunt contra Pontificios, ea ἀκίνητα ſive μὴ κινητέα cenſuit Romana Eccleſia. In Reformatos ergo jure Magiſtratum concitavit, hodieque concitat Eccleſia Romana, tanquam in eos, qui non dubitant ἀκίνητα κινεῖν. Sin minus doceat ergo Cenſor, unde infallibiliter colligi poſſit ac debeat,

An libertas prophetandi extendenda etiam ſit ad eos, qui ἀκίνητα κινοῦσι.

quæ ἀκίνητα ista sint, quæ movere audax licentia est, & quæab i is, quæ Reformati moverunt, plane sunt diversa. Sed mirum est Censores hos usq; adeo solicite coercitionem eorum urgere, qui si ἀκίνητα κινῦσι, non nisi imprudenter & per errorem purum putum id faciunt, cum de coercendis per Magistratum iis, qui præcepta Iesu Christi de industria & dedita voluntate quotidie violant, cujusmodi sunt avari, helluones, invidi, superbi, iracundi, ambitiosi, aliique ne cogitent quidem. Et hi tamen isti sunt qui ἀκίνητα κινῦσι, qui sciunt se id facrre, & in faciendo eo pertinaciter perseverant: Sed

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Nempe in hos, licet complures exemplo & suasu suo ad eadem peccata & vitia solicitent, Magistratus jus non habet, quamvis certum sit, eos ἀκίνητα κινεῖν. At in hæreticos & errantes, licet moribus laudatissimis præditi, & vitæ plane inculpatæ sint, aliosque ad pietatem exemplo & suasu suo provocent, Magistratus jus habet, quia movent ea quæ ἀκίνητα esse non credunt, & sæpe non modo ἀκίνητα non sunt, sed talia quæ moveri universæ Christianitatis interest. Quare hæc exceptio Tyrannidis tantum velum videri debet, cujus Reformatos merito pudere debet. Solis Pontificiis ista servit, quibus autoritas Ecclesiæ irrefragabilis norma est, ad quam τὰ ἀκίνητα & κινητά exigunt. Post hæc respondet ad loca, quæ ad marginem Declarationis sunt. *Non huc faciunt testimonia ista* inquit. *Ac primum Pauli* 1.*Theß*.5.19. *Spiritum ne extinguite.* At versus hic in Declaratione ad marginem ne ab ipsis quidem Censoribus citatus est: Versus duo sequentes 20. & 21. adnotati tantum sunt. Fatemur tamen commode eum etiam in Declaratione adduci potuisse, si per *Spiritum* intelligi velimus (uti Censor videtur concedere) spirituales sensuum verbi Dei interpretationes, quas quis se habere à Spiritu Dei, id est, vel per inspirationem & suggestionem Spiritus, vel auxiliante Spiritu divino, sibi persuadet, quo sensu vocem *Spiritus* aliquando accipere videntur Apostoli, uti ex locis allegatis à Censore, 2.ad Thes.2.2. & 1.Iohan.4.1. videre est. Quanquã & alio sensu hic accipi potest, & fortasse debet, ne coincidat cum versu seq. *Prophetias ne contemnite.* Hujusmodi Spiritum si extingui non vult Apostolus, sed uti est, 1.Ioh. 4.1. *probari, examinari & dijudicari* ab omnibus ac singulis fidelibus, profecto omnino liberum eum esse vult in Ecclesia. Libertas autem nulla est, si spiritus iste una cum homine ipso aut incarceretur, aut suffocetur, aut stranguletur. At inquit Censor, *An Spiritus est quod cuique insana & corrupta mens, contendendi libido,* adeoque

Vindicatur locus pro libertate prophetandi in Declarationis margine citatus ex 1.Thes. 5.19.

adeoque malus Spiritus suggerit? Nihil minus. Sed hoc ipsum est Spiritum extinguere, autoritatem sibi arrogare, Spiritum, qui cum spiritu nostro non convenit, pro insana & corrupta mente, libidine contendendi adeoque mali Spiritus suggestione censendi, eoque nomine vi armata eum opprimendi. Hoc enim ubi locum habet, ibi nō potest dominari nisi unus Spiritus, & quidem is, qui fortius armatus est, sive is bonus sive malus sit. Quod si affirmatio aut judicium nostrum de Spiritibus ejusdem esset infallibilitatis, cujus erat Apostolorum, cum de variis Spiritibus judicabant, tum speciem habere videretur responsio, quamquam certum etiam est, Apostolos ipsos autoritate ista sua sic usos non fuisse, ut libertatem hanc probandi Spiritus Ecclesiis ademerint. Nam spirituum probationem iis diserte non semel commendant. At cum judicium & affirmatio hæc nostra de aliorum Spiritu incerta & dubia sit, fallique possit, ratio ipsa postulat, ut qui cum autoritate & vi alios Spiritui suo proprio adhærentes, & alioquin probos piosque oppressos deletosque cupiunt, quia Spiritum eorum insanam & corruptam tantum mentem esse judicant, Spiritum directe extinguere dici debeant. Quod ut certum esse intelligatur, age Censor, colloca te ipsum coram tribunali Pontificio, Reformationem dogmatum & articulorum variorum urgentem, & orantem ne Spiritum tuum, quem divinum esse credis, extinguat, quid respondebis si tibi reponat hæc verba tua; An Spiritus est quod cuique insana & corrupta mens, contendendi libido, adeoque malus Spiritus suggerit? Tuis te propriis verbis condemnatum senties. Et jure id à se Pontificiorum tribunal fieri dicet, quia infallibilem judicandi autoritatem de Spiritibus sibi competere (etsi falso) credit. Vt hic dicas rationes tuas audiendas esse, frivolum est. Audientur & idem respondebitur, insanas eas & corruptas esse. At falso inquies & sine causa. At inquam, quo judice? Te ipso? Inepte. Esto tamen; At cum Iudicem te ipsum facias in causa tua, cur aliis Spiritum suum jactantibus idem jus eripis, cum carceres & relegationes adeoque furcas & rogos contra eos decernis? imprimis cum fatearis te in eo ipso judicio tuo de aliis errare & falli posse, ii vero qui te damnāt se in judicio de Spiritu tuo falli non posse credant? Quare à Spiritu vertiginis potius quam à sano & recto profecta videri debet hæc Censoris responsio. Nimirum perfacile & proclive est nomenclaturis, veluti atris carbonibus, notare Spiritus eorum, quos oppressos cupimus. Spiritus quilibet diaboli Spiritus erit si velis, & Spiritus ipse Dei, Beelzebubi Spiritus, ubi ita videbitur & collubitum erit

Ineptissima instantia refellitur.

erit animo tuo; hoc si sufficit scribatur utique epicedium universæ Reformationi & damnetur ad æternas ignorantiæ atque errorum tenebras Christianus orbis. Qui potentissimus est, Monarcha esto. Eum solum Spiritus Dei agitabit, cæteros omnes insana & corrupta mens, lymphatorum instar & phreneticorum, in devia & præcipitia errorum rapere credetur.

Eadem ratio est alterius moniti, & ad quod digitum intendit declaratio, *Prophetias ne contemnite*, vel *ne pro nihilo habete*. Est, inquit Censor, *ubi libertas est aliter atque aliter sentiendi, sed id non universim*. Quasi vero quisquam sit qui libertatem hanc extendi velit in infinitum usque. De hæreticis quæritur, non qui ea quæ in Scripturis aperte decisa sunt convellere audent, sed qui ea, quæ controversa sunt aut controverti possunt, in dubium vocant. Nemo unquam hæreticus fuit, qui in dubium vocavit an fures, ebriosi, raptores, convitiatores, avari, idololatræ, &c. vitæ æternæ hæreditatem sint consecuturi: An Deus diligendus sit supra omnia, an proximo sit faciendum quod ipsi nobis fieri cupimus, & similia. Hæc enim tam manifesta sunt in Scripturis ut negari non possint ab eo qui Christianus esse vult, aut cui sanum sinciput est. Qui ea negare audet aut in controversiam vocare, is eo ipso hæreticus non est, sed hæretico multo deterior, imo profanus & Religionis Christianæ contemtor. At quæ extra manifesta ista sunt interpretationes aliorum Scripturæ sensuum, eæ ad libertatem prophetandi pertinent, & cum Scripturæ Deique reverentia maxima conjunctæ sunt. In his si quis alteri legem ponat quam sequi teneatur, nisi mala morte perire, aut carcere, exiliove mulctari velit, næ is prophetias conculcat & in nihilum redigit, quantum in se est. Si aliter credit Censor, age dicat quando & in quibus prophetiæ libertas locum habere debeat, ne contra præceptum hoc Apostoli agatur. Nam generatim tantum dicere, *est ubi libertas est aliter atque aliter sentiendi, sed id non universim*, uti hic Censor, nihil est dicere. Generalia omnia pronunciata confusa sunt, & fere nihil nisi Tyrannidis vela. Qui istis utuntur, ii quicquid volunt aliis imperare possunt pro arbitrio suo, & sub speciosis verbis libertatem omnem prophetandi pessumdare. *Sed & falsa prophetia est*, inquit Censor, *quæ certe contemnenda est*. At prophetias non contemnere, non est prophetias, quas falsas esse judicas, damnare aut rejicere. Quilibet id facere tenetur ex præscripto Apostoli. *Probate Spiritus an ex Deo sint* 1.Ioh.4.1. & *omnia probate, quod bonum est tenete*, hoc ipso in loco de quo nunc agimus, sed eas prophetantibus

Libertas prophetandi non extenditur in infinitum usque.

tibus

tibus,qui eas veras esse sibi persuadent, aut rationibus tuis adsentiri non possunt per conscientiam, liberas permittere, aut eos, qui interpretationes istas faciunt, sic non damnare, ut, nisi eas interpretationi tuæ submittant, communia tecum civitatis jura habere nolis, adeoque diris modis persequaris. Non contemnit prophetias, qui rejicit quod falsum esse credit, sed qui carcere, exilio, ferro, flammaque ora hominum occludit, ut prophetare non audeant, aut sine summo periculo prophetare non possint; aut prophetias aliorum suæ prophetiæ sic posthabet, ut ferre ac tolerare eas nolit. Nimis magni facit se ipsum & prophetias suas, qui aliorum adeo parvi facit, ut nisi eas deserant, non inferos tantum, sed & carceres atque exilia superba denunciatione iis decernat. Hoc est prophetias ἐξουθενεῖν & in nihilum redigere. *Quid ergo*, inquit Censor, *An non pati quemvis quidvis adserere id quoque prohibere Magistratum, erit occasionem dare ut & spiritus extinguatur & prophetiæ contemnantur?* Sane, si intra nudas adsertiones maneat, easque non aliter quam Scripturis probare velit, paratus cedere meliora adserentibus & dissentientes à se tolerare. Alterutrum necesse est: Aut libertas hæc communis esse debet, & eo usque extendi, quo eam quisque sibi concedi amat; Aut vis inferenda aliorum conscientiis, & patiendum ut ea inferatur nostris pari jure. Medium non datur. Qui libertatem istam circumscribunt pro arbitrio suo, ii fere negotium suum agunt, & jugum, quod ægre sibi imponi ferunt, alienis conscientiis imponunt, eorumque fidei dominantur. *At pati quemvis quidvis adserere periculosum est* inquies. Cur? Aut enim quod asseritur verum, aut falsum est. Si verum, cur id non admittamus, cur authorem ejus incarceremus, aut civitatibus nostris proscribamus? Injuria hæc in Deum autorē veritatis redundat. Si falsum, facile id revincet veritas, uti Aquilinæ pennæ cæterarum volucrum plumas: Sua sponte diffluet cæræ instar ad Solem. Iste honor veritati habeatur, ut sua luce triumphare permittatur supra errorem & mendacium: Vim si adhibeas, veritati decus suum eripis, & errori pabulū præbes: Nunquam veritas gloriosius vincit, quam cum vi sua vincit, nec metuendum est, ut ea se à nobis subducat, quam cum eam, aut servitutis nostræ, aut flagitiorum tædet. *At hoc modo*, inquit Censor, *non tantum civilis potestas, sed & Ecclesiastica disciplina revera tolletur*. Nihil minus: Disciplina Ecclesiastica sarta tecta manet, quæ citra noxam cujusquam est: Quælibet Secta eam exercere poterit pro dictamine conscientiæ suæ, & quod nobis in alios, idem aliis licebit in nos, salvo utrimque communi pietatis studio, &, quod Magistratibus debetur, obsequio. Prudentia tamē & moderatione

magna opus est circa eos, quos graviter errare credimus, cęteroquin probos piosque, ne præpropere aut temere quid fiat & quos conjunctos manere oportebat, non necessaria aut immatura separet asperitas. Cruda omnia consilia & aspera vitãda sunt. Facile vulnus infligitur, sed lente sanatur: Circa peccatores id fieri videmus, quanto magis circa errantes id fieri æquum est? Et tutius fortasse fuerit, errantem, dummodo probus piusque sit, diutissime tolerare, quam unquam à cœtibus nostris arcere, si iis gaudeat, eos amet: Pietas ejus id meretur, & Christianæ commiserationi id est consentaneum. Sed de his alibi. Quæ ad locum ex 1. ad Cor 14. citatum adfert Censor, ea sunt ejusdem farinæ, si de ordinario prophetandi dono saltem ἀναλόγως locus intelligatur, quod Censor videtur concedere. Nam quod *prophetiam istam ἀναλόγως de Doctorum in Ecclesiâ munere tantum intelligendam esse* dicit, id vanissimum est. Prophetia illa commune donum erat, ut quod ab omnibus ambiri vult Apostolus, præ quam alia omnia dona. Tum eadem singulorum quæ Doctorum libertas esse debet. Singulorum fidelium est de prophetiis Doctorum judicare, & singulorum prophetias non minus expendere debent Doctores, quam suas à singulis expendi volunt: Ordinis privilegium Doctores habent, non judicii. Extraordinariorum Prophetarum alia ratio est.

Vindicatur locus citatus ex 1. ad Cor. 14.

Asseritur ab objectionibus Censoris argumentum Declarationis tertium contra hæreticidium.

Tertium argumentum, ait Censor, *quod opponunt, est, quod salutare disciplinæ remedium à Servatore nostro ad peccatores emendandum sapienter institutum in mortiferum deleterium transmutant*, &c. *Hoc merito*, inquit, *dixerit Socinus, qui Magistratus potestatem, in quacunque demum caussâ ad capitalem punitionem non extendit. Sed dici nequit ab iis, qui Magistratus potestatem etiam ad pœnas capitales in rebus criminalibus admittunt, quæ & ipsæ disciplina curantur.* Quasi vero aut de caussis criminalibus hic agatur, aut disciplina Ecclesiastica, quæ circa criminales caussas versatur, excludat Ecclesiam à jure censendi Magistratum, si in manifestorum criminum reos publicâ autoritate non animadvertat. Imo hoc disciplinæ Ecclesiasticæ est, quæ circa Magistratus versatur, curare, ut officii sui rationem habeant. Aliud est hæresis, aliud crimen. Hoc ut puniatur curare, quando propriæ vindictæ negotium non agitur, crimen non est. Illam qui punit, aut puniri curat, criminis culpam coram Dei tribunali gravissimã committit; quia crimẽ voluntaria culpa est, hæresis planè involuntaria, & proprie dicta innocentia est. *Similiter quoq;*, inquit Censor, *& disciplina Ecclesiastica in deleterium convertetur, dum ea Contumaces & impœni-*

impœnitentes ex regno Dei ejiciuntur & Satanæ traduntur. Quasi vero eadem utrobique sit ratio. Hoc fieri mandat Dominus Iesus; Istud non modo non mandat, sed plane vetat. Error enim innocens est & culpæ expers.

Discrimen inter disciplinam Ecclesiasticam & hæreticidium.

Haud est nocens quicunque non est sponte nocens,

&

Quis nomen unquam Sceleris errori dedit?

Deinde hoc remedium ad emendationem facit: At nemo unquam capitales pœnas, quas Magistratus sontibus irrogat, ad sontium emendationem facere dixerit. Puniuntur sontes ut pœna ad eos, metus ad plures, Exemplum ad omnes perveniat. Quare qui Ecclesiæ jus competere dicunt, ut Magistratum animet aut armet in capita eorum, quos hæreticos putant, ii salutare remedium Ecclesiasticæ disciplinæ, quod Ecclesiæ concreditum est ad errantes, & qui nulla sua culpa alios seducunt (de istis enim peccatoribus hic agit Declaratio) rationibus, beneficiis & censuris suis emendandum, in deleterium convertunt, & quod saluti eorum destinatum erat ad evertendum ac destruendum eos convertunt.

In conclusione sua duas præterea alias rationes attexunt, ait Censor. Quarum una est; *Quocirca qui hæreticidio, aut simili Tyrannidi, aut persecutioni ob conscientiam ullo modo patrocinantur, eos arbitramur à mitissimo Christi Spiritu alienos esse. At Christus*, inquit, *mitissimus quidem in peccatores resipiscentes, verum quoque hostium veritatis & regni sui judex & vindex severus, ut est* Apoc.2.6.9.14.15.20.21.22.24.& 3.9. *Ubi odium suum Christus erga hæreses testatur. Hos si Christianus Magistratus arceat & reprimat an eo dicendus immitis?* Elumbis & indigna Theologis exceptio: Nam Christi Regis & in cælo dominantis actiones non sunt norma actionum nostrarum, nec exemplum, ad quod actiones suas Magistratus dirigere aut debet, aut jure potest: Christi Spiritus, qui Christianis omnibus, seu subditis, seu Magistratibus pro norma & exemplo est, & de quo agit Declaratio, Ex præceptis, legibus, & vitæ Christi exemplo atque instituto petendus est, quod adeo verum est, ut, ne quidem actiones omnes Christi, quas fecit, dum in terris adhuc esset, pro norma actionum nostrarum habendæ sint. Quin imo, contrarium potius concludendum hic est, idcirco quia Christus Dominus hostium veritatis & regni sui judex & vindex severus est, nullius esse vindicias istas, quas sibi soli reservavit, præoccupare, aut vindictam corporalem & temporariam sumere de iis (puta hæreticis) quos suo solius

Adstruuntur duæ aliæ rationes contra hæreticidium.

I.

Quia repugnat mitissimo ingenio & Spiritui Iesu Christi.

Contra hanc rationem qui à Censore adducitur locus ex Apoc.2.6.9.14.15.20. expenditur.

judicio æterno puniendos servat: Imprimis cum videamus vindictam & severitatem, qua Christus usurus est, maximam partem referri ad extremum judicii diem, in locis à Censore citatis, &, si quæ aliæ actiones sint, nuspiam legatur, Christum actiones istas suas pro exemplo Regibus imitandas proposuisse, imo quæ præceptis ejus continentur actiones contrarium plane faciendum esse arguant. Adde, si actiones Christi, de quibus agitur in citatis locis ex Apocalypsi, in exemplum trahantur, quod imitari Magistratus jure possit citra inclementiæ notam, tum necesse est, ut Magistratui jus ac potestas detur hæreticos in *lectum abjiciendi & filios eorum morte interficiendi*, id enim Christus sibi in citato à Censore loco Apoc. 2.22. tribuit. Et cum Christus venturus aliquando sit cum igne flammante, ultionem sumturus de rebellibus, & immorigeris, aliisque, quos Censor vocat, hæreticis, idem etiam nunc licere Magistratui concludetur, ut ferro flammaque hæreticos & quicquid hæreticorum est extinguat ac funditus evertat. Sic repente vastitiem fecerit, & mundum eremum, atque ab habitatoribus desertum, aut hypocritis redundantem. Hæc quam sint absurda quis non videt? *Attamen*, inquies, *actiones hæ Christo adscribuntur citra inclementiæ notam, cur, si easdem Magistratus exerceat, immitis atque inclemens vocabitur?* Rationes manifestæ sunt. Longe diversa ratio est Magistratus & Christi, posito etiam quod in citatis locis de hæreticis, de quibus nunc quæritur, agi concedatur. Nam Christus, qui scrutator renum & cordium est, novit quinam sint vere pertinaces & desperatæ sanitatis hæretici; Magistratus id non modo nescit, sed ne scire quidem potest, adeoque credere debet neminem, qui modo pius ac probus est, studio ac dedita opera hæreticum esse velle, aut pertinaciter in errore velle perseverare, quem æternæ saluti suæ officere novit, imprimis si id serio profiteatur & mori se malle dicat, quam à sententia sua vel latum unguem discedere. Hinc Christus in puniendo errare non potest; Magistratus facillime. Tum Christus in judicando de hæresibus nec odio, nec gratia, nec præjudicio, nec affectu ullo ducitur. At in Magistratu omnia ista locum habere possunt, imprimis præjudicium, quo quantopere fascinentur animi nemo nescit. Ex præjudicio enim affectus oriuntur pessimi, & qui non modo non libera, sed sæpe ne decora quidem judicia esse sinunt. Sed, ut concludam, ne agitur quidem in locis istis de hæreticis qua talibus, sed de prævaricatoribus, & legum Christi transgressoribus, quique alios leges & mandata Iesu Christi transgredi docent, prout ex tex-

Actiones Christi in cælo regnantis non sunt norma actionum nostrarum.

Instantia diluitur, Si Christo actiones istæ tribuuntur citra inclementiæ notam, cur si easdem Magistratus exerceat inclemens vocabitur.

Discrimen ostenditur inter Christum Regem & Magistratum punientem aut occidentem hæreticos.

ex textibus omnibus manifestum est. Nimirum agitur de iis,qui *Nicolaitarum doctrinam*, impuris factis contaminatam, *tenebant*,*odi* enim *facta Nicolaitarum*,inquit Christus,proinde & doctrinam, quæ facta ista permittit aut suadet ; Qualia autem illa fuerint non usque quaque certum est. De doctrina quæ promiscuos concubitus & uxorum communitatem permittit fere accipitur ; at quæ impurior doctrina & magis detestanda dari potest? Deinde agitur de doctrina,quæ *docet scortari,& ex iis,quæ simulachris immolata sunt edere :* denique de doctrina,quæ *profunditates Satanæ* vocatur, opponiturque *operibus istis, quæ Christus ad finem usque* observari mandat,ut salvi fiamus. Quæ sane omnia arguunt, loca hæc perperam ad hæreticos istos referri, de quibus inter nos quæritur, quos legum Christi retinentissimos esse supponimus, at in sensibus quibusdam interpretandis errare ac perperam sentire. Quare si in hos gladium stringat Magistratus , aut pœnis ullis corporalibus sæviat, nec exemplo isto Christi, de quo in locis citatis agitur, se tueri,nec inclementiæ,à Christi mitissimo Spiritu alienissimæ,notam potest effugere.

De Nicolaitis.

Atqui,inquit Censor,*neminem alterius corpus,bona,famam lædentem & perdentem,aut Majestatem blasphemantem inultum patietur: occidentem vero animas,Deum blasphemantem,& quidvis,sub prætextu conscientiæ,dicentem & facientem patienter feret?* Hoc sane palmarium est hæreticidarum argumentum, at revera futile, meritoque jure execrandum. Quis enim non videt disparem longe esse rationem facinorosorum & hæreticorum. Illi fatentur facinora sua & sciunt ea suppliciis digna esse divino atque humano jure: hi negant se hæreticos esse,se perperam sentire,se blasphemare, &c. imo contraria omnia protestantur,atque ut protestationi suæ fidem faciant,mortibus omnibus mori malunt, quam aliter agere,ne iram & ultionem divinam in se concitent & æternum pereant. Qui furantur aliorum bona,qui proximum lædunt,aut occidunt, qui Majestatem blasphemant,ii eo animo ea faciunt, ut furentur, ut lædant, & ut blasphement. At qui alios imprudenter seducunt,ii eo animo id faciunt, ut eos in viam reducant,& ab æterna perditione secum præstent immunes, parati gravissima quæque idcirco subire ac ferre,potiusque jacturam fortunarum &vitæ suæ facere,quam à proposito isto desistere,ne Deo ac Domino suo displiceant: Inter hæc quantum sit discriminis qui non animadvertit, næ is cæcus est & hæreticus vere pertinax, dignumque se reddit pœna illa quam in alios statuit.

Frivolum Bezæ & Censorum argumentum diluitur, Fures & latrones vitam hanc nobis eripientes licet occidere,ergo multo magis hæreticos occidentes animas,

Altera ratio sequitur in Declaratione, *Quod id sit ineptis & præposteris*

II. *steris armis adversus hæreses pugnare.* Ad hanc sic respondet Censor; *Certe cum hæresis mentis tantum error est, non nisi similibus armis oppugnanda & expugnanda est:* At juxta Censores ipsos, uti jam ante probavimus, hæresis non potest esse mentis tantum error. Nam de ratione formali hæreseos pertinaciam esse dicunt. Esto tamen, transeat hoc *σφάλμα:* Nos accipimus hanc Censoris confessionem, & ex ea concludemus, hæreticos aliis armis quam spiritualibus oppugnandos non esse, quia demonstrabimus, cum Deo, hæresin, de qua inter nos agitur, non debere nec posse nobis videri aliud quam nudum ac merum errorem mentis. *Sed,* inquit, *cum ad errorem mentis concurrit voluntatis actus malitiosus, pervicaciam & obstinationem animi adjunctam habens,* &c. Malitiam itaque & pertinaciam sive obstinationem animi requirit ad hæresin, propter quam puniri vult hæreticos & quidem tanquam duo diversa: malitiæ enim pertinaciam adjungit. Nos de utraque paulum videamus: De blasphemia, & Reipub. perturbatione quæ adduntur, ea jam ante ex professo ventilata sunt, nec repetentur hic à nobis, ne actum agamus. Ac *malitiam* quidem, quam *malitiosum voluntatis actum* Censor vocat, quod attinet, de ea nemo, nisi solus Deus judicare certo potest. Humana omnia judicia de mente animoque alterius incerta sunt, conjecturæ fallaces, consequentiæ dubiæ, nisi cum quis aperte culpam & crimen fatetur, aut quod malum esse novit, nihilominus tamen facere vult. Tum enim homo seipsum judicat & animi sui secretum nobis aperit. Contrarium in hæresi est. Nemo enim dedita opera errat, aut errare se sibi persuadet, cum de æterna salute sua agitur. Quare fas non est invito alicui malitiam tribuere. Caritas aliud suadet, & præsumtiones pro errante sunt. De pertinacia videamus. Ista enim manifesta est & in propatulo, nec diffitetur eam errans, qui eam constantiam esse in veritate credit: Hæc sine malitia esse potest fatentibus id Pontificiis ipsis hæreticorum persecutoribus acerrimis. *Ad pertinaciam sufficit,* inquiunt, *ut quis advertat se contra Ecclesiam sentire. An id fiat ex directo affectu contradicendi Ecclesiæ, an ex cupiditate gloriæ, an quia vi argumentorum convictus est apud animum suum, an alia de caußa, id perinde est.* Pertinacia oriri potest vel ex obstinata malitia, vel ex infirmitate judicii, vel aliunde, ut Martinus Becanus in tractatu suo de hæresi & Apostasia cap. 3. pluribus differit: Atque hi sane consequenter loquuntur, & colorem dant hæreticido, quod tuentur. Nec alia via est, quæ colorem ei dent aut speciem. Pœna enim, capitalis præsertim, certo fundamento atque irrefragabili judicio

Ratio, quod hæreticos gladio punire, sit ineptis & præposteris armis adversus hæreses pugnare, vindicatur à Censoris exceptionibus.

De Malitia & pertinacia hæreticorum, paulo prolixius differitur.

Discrimen inter malitiam & hæresin.

Ad pertinaciam quæ requirantur.

dicio niti debet. Quæ res Reformatos meritò movere debuisset ut ab hæreticidio prorsus atque omnino abstinerent. Nam cum Ecclesiæ suæ istam infallibilem judicandi autoritatem non tribuant, ut in eo, quod verum esse statuit, errare non possit, qua via, quo jure eos, qui contra Ecclesiam suam sentiunt, & in sententia sua perseverant, culpæ aut criminis ullius postulabunt? Pertinacia enim pertinacia esse desinit, cum quis in eo, quod credit aut sentit, errare se non advertit, adeoque se non errare firmiter persuasum sibi habet: Pertinacia

creditur à multis fiducia.

Omnis ignorantia, sive ea inculpabilis, sive culpabilis sit, excusat à peccato hæreseos. In cæteris peccatis sola ignorantia invincibilis excusat. Sufficit ut voluntaria sint contra legem Dei, sive quis advertat se contra legem istam peccare, sive non advertat, dummodo advertere id possit & debeat. At in hæresi voluntariũ non sufficit, sed scientia insuper atque advertentia requiritur, quâ quis scit id quod sentit aut statuit repugnare Ecclesiæ, vel normæ secundum quam judicium faciendum esse creditur. Quia vero Ecclesiam, vel normam talem infallibilem hic in terris non agnoscunt Reformati, hinc pertinaciæ nemo ab iis postulari potest. *At rationes sunt*, inquies, *luce meridianâ clariores, quibus non adsentiri pertinacia est.* At, inquam, aliud est simpliciter rationes esse luce meridianâ clariores, aliud mihi tibique clariores. Persæpe enim quod mihi clarum & Solis radio scriptum videtur, aliis nocte & tenebris ipsis obscurius videtur: Nec mirum: Judicia enim aut pro captu aut pro affectu variant. γλαύκωμα sæpe in animo est, quod rem aliter atque aliter apparere facit. Intus apparens prohibet alienum. *At plurium concordibus judiciis refragari, pertinacia est*, inquies. At, inquam, multitudo certum non est veritatis indicium. Quod uni accidit pluribus accidere potest. Est & consensus errantium. Tum, permultum admodum refert, quales illi sint, quorum judicia & suffragia conspirant: Suum cuiq; ordini vulgus est: optima aliquando paucissimis placent, & *argumentum pessimi plerumque turba est*, inquit Seneca. *Sed si ad incitas redigatur, & nihilominus perseveret, quid ad pertinaciæ crimen super est?* At, inquam, fieri potest, ut quis ad incitas redactus videatur, non veritatis vi, aut rationũ evidentiâ, sed vel obscuritate earum nimiâ, vel probabilitatis specie, vel quia hypothesibus nituntur, quas convellere non audet, aut consultũ non judicat. Aliud est adducere aliquẽ eo usq; ut obmutescat, aliud efficere ut quis in errore se fuisse

Instantia prima diluitur.

Instantia secunda diluitur.

Instantia tertia diluitur.

fuiſſe intelligat. Fit nonnunquam, ut quis, etſi apertam veritatem tueatur, ſubtili & horrida aliqua diſtinctione, veluti fragore & tonitru quodam perculſus atque attonitus hæreat, & tantum non obſtupeſcat, cumque non reperiat, quo diſtinctionem eludat, cedere videatur, non quia perſuaſus eſt, ſed quia impeditur quo minus aliis id, de quo perſuaſus eſt & perſuaſus manet, probare poſſit. Aliud eſt perſuadere, aliud percellere: Aliud convinci, aliud obmuteſcere. Quare concludo: Cum nec de malitia nec de pertinacia ejus, qui errare creditur, certi atque indubitati quicquam ſtatui à nobis poſſit, imo noſtrum de aliorum pertinacia judicium nil niſi mera pertinacia eſſe poſſit; peſſime facere Reformatos, cum hæreticidii autores ſunt Magiſtratibus, & Magiſtratus graviſſimo peccato ſe obſtringere, cum in hæreticos capitalibus aut corporalibus ullis ſuppliciis animadvertunt. Quare quam cara ipſis eſt æterna ſalus ſua, tam ſedulo operam dare debent, ut ab iſto tam horrendo crimine ſceptra, coronas, & tribunalia ſua præſtent immunia, ſi Deum ſibi regniſque ſuis propitium velint. Nihil magis inviſum ſupremo Numini, quam innocentium cædes, quid dico piorum & Dei timentium? Inter peccata clamantia principem locum tenet innocentium adflictio. Itaque ſanguinis innoxii reverentia Reges Principeſque ſupra alia omnia decet. Nunquam ſe polluant ſanguine, niſi cum de crimine, meritoque criminis dubium nullum oriri poteſt. *Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.* Quare qui ſanguinaria conſilia ſuggerunt contra hæreticos, eos peſtes animarum, Regnorum, ac Rerumpub. ſuarum habeant. Nulla enim major innocentia quã imprudenter errantium. Nulli minus peccant, quam qui conſcientiis ſuis vim facere, & linguam vænalem habere nolunt, aut ſententiam ſuam de æterna ſalute ſua, veluti navigium aliquod ex Reipub. tempeſtate moderari neſciunt. Simplicitatem & reverentiam Numinis id arguit, quam ſi comitetur par in diſſentientes benevolentia, perfecta eſt innocentia, &, qui adeſt error, commiſeratione non odio dignus eſt. Date gloriam divinæ veritati Reges, Principeſque ut ſuis armis contra errorem pugnet. Veritatem comitetur innocentia, & error ad eam evaneſcet veluti ad Solem tenebræ. Pericula ne vos terreant. Summum periculum patitur veritas cum eam non tuetur innocentia. Innocentiam proſcribit, qui lædit eum, qui nulla ſua culpa errat, & mori mavult, quam deſerere quod verum putat. Pacem & tranquillitatem ſi vultis regnis veſtris, innocentia præſtabit. Diſſenſiones pacem non turbant, quæ ab animorum conjunctione eſt. Animos

Seria parænesis ad Reges Principeſque, contra hæreticidii autores.

non

non divellit dissensio, sed violentia. Docent id Regna, & Respub. quæ inter infinita sententiarum divortia incolumes durant, solius innocentiæ beneficio. Ubi vis dominatur, ibi servitus est, & in opprimentes immortale odium. Inde omnes lachrymæ. Tuta ibi omnia timenda sunt. Malus diuturnitatis custos est metus. Quicquid exprimitur grave est. Tandem in nervum erumpunt odia, & tanto acrius, quanto premuntur gravius. Columen Rerumpub. & Regnorum est dissentientium tolerantia. Fugite ergo, ô Principes, crudeles istos medicos, qui nil nisi cauteria & carceres suadent, qui, quod sibi concedi postulant, aliis non indulgent. Suæ tantum carnali quieti consulunt, quam tanti faciunt, ut eam relegatione, incarceratione, denique sanguine innocentium redimere non reformident. Ne facto vestro sævitiam Albanam excusetis, aut exemplo vestro alios sævire doceatis in dissentientes. Alioquin Christianismus nil nisi carnificina erit & laniena mutua. Crudelitatem suam damnat, qui alienam non fert. Nec moderata consilia credite, quæ sævissima quæque præter solum sanguinem suadent: Teter & æternus carcer morte brevi deterior est: Exilium sæpe miseriam habet, mors nunquam. Mille mortibus afficitur, qui longa & lenta conficitur, &, ut ut sit, innocentiam tollunt, qui crudelitatem suadent. Nec facile consistit crudelitas: Crudelitas hydrops est, quanto plus bibit tanto plus appetit, nec satiatur nisi sanguinem hauriat, eoque se, ubi vult, ingurgitet. Enimvero sanguinis odium consilia ista non suggerit, sed offensionis metus: ubi ille desinet, sanguis postulabitur. A primo gradu pedem abstinete nisi progredi velitis. Alio pretio non constabit tandem tranquillitas vestra, nisi sanguinis. Naturæ lex Cynosura vestra sit. Quod vobis fieri non vultis, aliis ne facite. Quam teter vobis aliorum error, tam teter aliis error vester videtur. Cogitate quam facile sit errare ac labi, quam difficilis sit electio veræ viæ inter tot opinionum divergia; quam acria sint studia Sectarum pro iis, quas cum lacte imbiberunt, sententiis: Odia, quæ à teneris annis imprimuntur, nimis gravate exuuntur, & cum nemo credatur erroris expers, sua quæque secta odia putat justissima. Conscientiam suam quisque Deo integram habere vult: Malitia opus non est ad perseverationem in errore. Præjudicium sufficit, & contra veræ sententiæ Patronos firmiter impressa erroris suspicio. Tum suus cuique error satis nocet, ut odio novo errantem gravari non oporteat. Et si errantem inimici nostri bovem reducere Deus jubet: Si homicidium, facinus alioquin gravissimum, imprudenter admissum, Deus puniri vetat: Si

percussoribus innoxiis asyla poni jussit, cur eos odio nostro dignos putabimus, qui imprudentererrant, & errorem suum, tanquam perditionis nostræ æternæ remedium, persuasum nobis volunt. Si profanos, avaros, ebriosos, invidos non pellimus, non fugamus à nobis, cur probos piosque, nulla sua culpa errantes, proscribimus? Hoc est Barrabam dimittere, & Christum in crucem agere. Hanc labem Iudæi sibi habeant. Christiani sumus, & Spiritum alium à nobis requirit Deus ac Servator noster. Quod si tamen officii vestri esse putetis, providere ne veritas detrimentum aliquod patiatur, hoc agite, ut subditi vestri rationibus, beneficiis, & caritatis officiis inter se certent, si forte alius alium ad se volentem pelliciat, & sic tandem sponte sua omnes in unum ovile coëant. Facessant à cœtibus convitia, scommata, dicteria, & quæ alendis odiis serviunt conciones Philippicæ ac Tribunitiæ. Hoc si ullis, imperate iis saltem, qui fidem à solo Dei donantis arbitrio pendere volunt, qui neminem credere posse docent, nisi quem omnipotens Dei Spiritus ex alto adflat, qui à fidei donatione omnem receptionis nostræ operam excludunt. Cur enim illi sæviant in errantes & nulla sua culpa fidei expertes? Cur illis serviat brachium vestrum in innoxia capita & myriadas animarum doni istius incapaces? Commiseratione tangamini, & quos errare ac perire necesse est, eos fleri non deleri jubete. Miseris & afflictis ne addatis afflictionem. Hoc si facitis, tum vere tranquillitatem animo vestro & regno præstabitis securitatem: Securitas à pietate est, & mutua inter cives benevolentia in mediis dissensionibus.

AD CENSURAM CAPITIS XXV.

De Synodis seu Conciliis, eorumque modo & usu.

OMnia sunt similia. Colophon respondet proœmio, & capitis ultimi censura cæteris prioribus. Cavillationum, suspicionum, detorsionum plena sunt omnia, à capite ad calcem. Rem testem demus.

Primus hujus capitis cavillus est; quod Declaratio Synodis aliquando opus esse asserat idqueexemplo Apostolorum Act. 15. Gal. 1.

Adde,

Adde, inquit Censor, *ex communi congregationis Ecclesiæ disciplinæ præcepto, Dic Ecclesiæ, &, Si Ecclesiam non audiverit*, &c. Atqui quæ consequentia Censor? Christus jubet congregari Ecclesiam, & disciplinam exerceri contra eos, qui fratres suos injuria adficiunt, ergo etiam præcipit ut Synodi habeantur & quidem ordinarie. Tum, Ecclesiæ aliquid hic præcipi, ex textu non liquet, nec ex scopo Christi est. Adde falsum esse quod Ecclesia hic significet Synodum aut Ecclesiam repræsentativam quam vocant. Totus fidelium grex, quocunque demum in loco sit, ex quibuscunque personis constet, intelligitur, quatenus videlicet multitudinem piorum & Dei timentium fratrum notat, qui idonei sunt ad eum, qui peccati manifestus est, arguendum & increpandum. Denique, in loco isto non agitur de re controversa aut dubia, propter quam dirimendam aut disceptandam Synodo opus sit; multo minus agitur de opinione aut placito aliquo, quod hæresin aut errorem sapit. Nihil minus: ne γεῦ quidem ejus rei in textu est: De re nota & confessa agitur, puta de peccato sive injuria, quam is, qui eam fecit, nec negat nec negare potest à se in fratrem suum commissam esse. Sic enim habent verba: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Et ratio est, Quia Christus eum, qui sic peccavit, propter peccatum istud, tanquam rem notam & indubiam, redargui & reprehendi jubet, primum ab eo, qui læsus est, deinde à pluribus, denique ab omnibus simul, si pertendat. Quo fine? nullo alio, quam ut ista via, si fieri possit, ad pœnitentiam revocetur, atque ita æternæ damnationis periculum evadat. Quid, sodes, propter hujusmodi hominem Synodo opus est? Magna hæc negligentia aut αὐθάδεια in Censoribus merito culpanda est, qui Scripturam adeo oscitanter & leviter citant, etiam cum de necessitate rei alicujus ex ea concludenda aut demonstranda agitur.

An locus Matth. 18. *Dic Ecclesiæ &c.* ad concludendum Synodorum necessitatem faciat, expenditur.

Idem apparet in eo, quod subjicit, de addita promissione: *Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, illic sum in medio eorum*, Quid enim hæc promissio ad Synodos, nedum ad earum necessitatem concludendam facit? Etenim si scopus Domini Iesu attendatur, promissio hæc non pertinet ad duos vel tres in nomine Iesu Christi congregatos, qua tales, sed ad duos vel tres consentientes, sive potius ex discordibus concordes factos, qua tales, qui videlicet positis inimicitiis amice inter se conspirant, & sic conveniunt sive congregantur & uniuntur, antea vid. divisi ac dissociati: συνηγμένοι itaque hoc in loco, idem est, quod versu præcedente dictũ fuerat, συμφωνήσωσιν. Antecedentia & consequentia sensum hunc tam clare

An ex promissione, quam Christus in eodem capite facit, necessitas concludatur.

clare demonſtrant, ut probatione alia non ſit opus. Hæc etſi ſic ſe habeant, neutiquam tamen negant Remonſtrantes, verba hæc Chriſti extendi etiam poſſe ad omnes, qui in nomine Chriſti ob ſimilem cauſſam conveniunt. Tantummodo negant, ſcopum Chriſti eſſe, iſtis verbis promiſſionem generalem dare, quæ ad omnes quamcunque ob cauſſam in nomine Chriſti congregatos, ſive in Synodis ſive extra Synodos, ſive alibi pertineat, quaſi vid. ex vi promiſſionis hujus certum ſit, quicquid in Synodis in nomine Ieſu Chriſti congregatis, de quacunque controverſia aut lite ſtatuitur, id ſpeciali quadam Ieſu Chriſti directione ſtatui; ac proinde pro vero certoque ab omnibus amplectendum eſſe; quod impræſentiarum ſatis eſt, ad demonſtrandum, Cenſorum in citandis Scripturis, cum de rebus maximi momenti videlicet de præceptis & promiſſionibus divinis agitur, negligentiam.

Declarationis & Epiſcopii conſenſus in hac materia de Synodorum neceſſitate.

Atque hæc eorum negligentia idcirco videri debet indignior, quod Cenſuram hanc ſuam, non ex Declaratione ipſa, ſed ex M. Epiſcopii privatis Diſputationibus, multo ante habitis, arceſſant, quaſi ſententia unius Epiſcopii, communis omnium Remonſtrantium ſententia videri debeat. Nempe, Epiſcopius adſeruit olim, *Synodos nec ad eſſe nec ad bene eſſe Eccleſiæ abſolute eſſe neceſſarias*; Ergo idem adſerere videri debet declaratio: Quæ conſequentia? Contrarium ex ipſa Declaratione in terminis patet; Nam ea *Synodos ſeu conventus Eccleſiaſticos non tantum utiliter poſſe inſtitui, ſed & quandoque debere* adſerit. Quare, cum inquit Cenſor, Synodos non eſſe abſolute neceſſarias ad bene eſſe, quid aliud eſt, quam vehementer utiles non eſſe? Nos contra regerimus, *Synodos non tantum utiliter poſſe inſtitui, ſed & quandoque debere* (uti declaratio habet) quid aliud eſt, quam Synodos non utiles tantum, ſed etiam aliquando neceſſarias eſſe (etſi non abſolute, quod tantum adſerit Epiſcopius)? ut jam non examinemus ineptam Cenſoris collectionem, Si Synodos abſolute neceſſarias ad bene eſſe Eccleſiæ negat Epiſcopius, ergo negat eas vehementer utiles eſſe. *At*, inquit Cenſor, *Declaratio quidem aliter non nihil loquitur, quam Epiſcopius, ſed & illa à debito ad poſſibilitatem recidit, dum ait, utiliter inſtitui poſſunt, ſiquidem in iis legitimus ordo & modus ſervetur.* Quam frivole! Aliud eſt Synodos poſſe ac debere inſtitui, aliud Synodos, cum jam inſtituuntur, utiliter inſtitui. Hoc exponit Declaratio, cum ait, *Si quidem in iis legitimus ordo ac modus ſervetur*, Non iſtud. Nimirum ſcopus Declarationis eſt, indicare, quantus Synodorum abuſus accidere poſſit, etiam cum eæ

Scopus Declarationis, cum

non

non sine gravi caussa instituuntur. Tantus certe ac tam late patens, ut etiamsi graves caussæ sint, ob quas convocantur, tutius tamen utiliusque sit eas non convocare, si quidem in iis, ubi convocatæ jam sunt, legitimus ordo ac modus non serventur. Damnum enim ex illegitima earum celebratione multo gravius metuendum esse, quam fructus ex justa earum convocatione sperari possit. Experientia seculorum omnium testis est: Pleræque Synodi polemicæ fere fuerint, & nonnullæ etiam lestricæ. Partium studia in iis manifesta sunt. φιλονεικείας & φιλαρχίας vestigia ubique sunt obvia: Factionum, pravarum artium, ambitionis, intemperantis Zeli lineamenta passim apparent, imprimis postquam Ecclesia Imperatoris gratia & favore opus habere cæpit; Exinde eruditionis gloria, Episcopatuum splendor ac luxus, pro scopo fere fuerunt: Et sequebatur litis æternæ tædium ac contendendi molestia. Hinc, suffragia ambiebantur & qui numerum eorum non pondus augerent, hinc inde ex fæce hominum quærebantur. *Alij*, inquit Nazianzenus in carmine de Episcopis, *nepotes erant eorum, qui tributorum scribæ fuerant, & aliud nihil animo volvebant quam falsas & subdolas rationum depravationes; alii ab aratris venerant adusti à Sole, alii à ligone vel bidente, totum diem non quiescentes, alii remos exercitusve reliquerant, redolentes adhuc sentinam, vel corpus fœdatum cicatricibus habentes*; populi gubernatores *ac duces militum, qui ne MINIMUM quidem concessuri videntur, nonnulli etiam opificiorum, quæ citra ignem operas suas perficere nequeunt, gnari, ne fuliginem quidem carnis integre abluerant, flagriones ac pistrinis digni*, &c. Hinc plus mali quam fructus ex iis ad Christianum orbem rediit. Unde Nazianzenus in Epistola ad Procopium de sui temporis Synodis non dubitavit affirmare; Nullam se unquam vidisse Synodum, cujus exitus non fuerit infelix & deplorandus; sed in omnibus propter consultantium ambitionem & contentiones, res Ecclesiæ alioquin laborantes, potius exacerbatas quam sanatas. Nec meliore si non deteriore conditione fuerunt, quæ Nazianzenum secuta sunt, sæcula & Concilia. Nostratia sane pudenda fuerunt, & Dordracenum nuperum tale, propter quod æternum erubescet Fœderatum Belgium. Nec mirum: Quis in hac tristissima & luctuosissima Ecclesiarum secessione, pertinacissima animorum divisione, exiguo probitatis, æquitatis, moderationis studio, aliud quid exspectet? Quare nihil æque necessarium judicarunt Remonstrantes, quam ut in Declaratione sua, omnia in Synodis rite atque ordine agenda esse monerent, certi & crebris variisque documentis persuasi, nisi

Synodos utiliter institui adserit, siquidem in iis legitimus ordo ac modus serventur.

nisi ejus rei diligens ratio habeatur, Synodos non tantum non utiliter institui, sed ab iis pericula majora quam commoda in Ecclesias redundatura esse. De fine Synodorum, quod hic obiter carpit Censor, mox agetur, *cum*, ut Censor ipse ait, *de conditionum expensione videbimus*.

De Synodi conditionibus.

Inter conditiones, ut Synodi utiliter habeantur, primam, quam adsignat Declaratio, probat Censor.

Secunda conditio de libertate plenaria vindicatur.

Secunda est, *de libertate plenaria uniuscujusque, sine scrupulo & periculi metu, tum proponentis tum examinantis*, ait Censor, additque, *Ingens & vaga est hæc libertas, nullisque terminis circumscripta, quidvis in controversiam adducendi & examinandi, imo licẽtia effrænis*. Atqui plenaria libertas, quam Declaratio postulat, non est libertas, *quidvis in controversiam adducendi*, uti Censor verba Declarationis calumniose hic exponit; sed, uti verba Declarationis ipsissima habent, *libertas sententiam suam*, (vid. super omni re, quæ in quæstionem in Synodo deducitur) *dicendi sine scrupulo aut periculi metu, & in aliorum opiniones inquirendi*, videlicet, uti conditio prima exigit, ex solo Dei verbo. Quo ipso libertas plenaria terminis verbi divini circumscripta manet, adeo ut ulterius porrigi non possit, quam ad ea, quæ ex scripto Dei verbo, quoad ejus sensus & consequentias, in controversiã aut vocantur aut vocari possunt: Ea itaq; quæ in verbo Dei clare ac perspicue decisa ac definita sunt, semper excepta esse vult Declaratio. Quod satis est ad diluendum id, quod Censor ex innoxiis declarationis verbis odiose simul ac perperam colligit, quasi, videlicet, iis sanciatur libertas nullis terminis circumscripta, qua quidvis adeoque etiam ea, quæ certa & firma sunt in Religione Christiana, liceat in controversiam adducere. Quod si vero Censor hanc limitationem existimat non sufficere, & præter ea, quæ clare atque aperte in Scripturis decisa sunt, (sub quibus etiam ea, quæ per evidentem & cuilibet obviam consequentiam deducuntur, comprehensa volumus.) alia adhuc esse vult, ad quæ libertas inquirendi non extendatur, age ea definiat, & videbit protinus Tyrannidi latam portam aperiri, cujus ea indoles est, ut non facile consistat, sed paulatum, nunc hæc, nunc illa, examini & inquisitioni subducat, donec tandem libertatem totam opprimat ac pessumdet: Uti enim in licentia quidlibet, ita in Tyrannide nihil moliri licet, nisi quod Tyranno placet. Utrique vitio Tyrannidi scilicet ac licentiæ, alia via occurri non potest, quam ista, quam jam indicavimus. Quisquis ultra aut citra eam id tentat, is, velit nolit, aut in effrænem incidet

licen-

licentiam, aut deflectet ad Tyrannidem: Quare, quæ ex Paulo 1. Epist. ad Timoth. 6. 20. & 2. Timoth. 2. Censor citat, *Quum Timotheum suum aversari jubet profanos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falso nominatæ sapientiæ, (qualis fuit illa Hymenæi & Phileti falsa doctrina, dicentium, Resurrectionem jam factam,)* & alibi, *stultas quæstiones rejicere & vitare*; ea omnia ad rem non faciunt. Nam illas ipsas quæstiones, quæ à Paulo vocantur oppositiones falso nominatæ sapientię, qualis erat doctrina Hymenæi & Phileti, ut jam decisas & rejectas à Paulo, in controversiam iterum adduci non permittit Declaratio, quia sunt ipsissimum verbum Dei, quod unum extra controversiam in Christianis Synodis ponit Declaratio, & ad quod controversias omnes expendi vult. Sed videndum tamen est etiam atque etiam, ne nobis Apostolicam autoritatem arrogemus, aut turpi adeo adulatione nobis ipsis imponamus, ut quæcunque receptis nostris opinionibus objiciuntur quæstiones, ad eas statim accommodemus hæc Apostoli verba, easque ut profanos de rebus inanibus clamores & oppositiones falso nominatæ sapientiæ, ilico respuamus, nôn aliter, quam si in eas digitum intendisset Apostolus, aut nobis, Apostolica ista oratione audacter utentibus, non aliter quam Apostolo credendum sit. Hoc si nobis semel indulgeamus, periit libertas; mera servitus Christianos tenebit. Quod quæque secta volet, id tantum in controversiam deduci sinet. Cætera omnia ultra libertatis terminum erunt, & licentiæ effrænis convitio reprimentur: quod ipsissimum Papatus fundamentum est.

Inepta locorum duorum ex 1. ad Tim. 6. & 2. ad Timoth. 2. citatio refellitur.

Post hæc examinat Censor loca ad marginem Declarationis annotata, pro libertate ista plenaria, quam diximus. *Ea*, inquit, *nihil tale probant. Nam cum Paulus inquit, omnia probate, quod bonum est tenete, eo non vult, in disceptationem adduci vel admitti posse aut debere omnia, sed illud generale Omnia, restringendum est ad ea, quæ apud fideles explorationi subjecta sunt.* Quasi vero omnia in universum, absque ullo discrimine, in quæstionem admitti aut adduci posse, Declaratio ex isto loco probatum velit. Nihil minus. De libertate sententiam suam dicendi, & in aliorum opiniones inquirendi, juxta Dei verbum, tanquam certam & infallibilem normam veritatis ac judicii agit, quod ipsum est, uti Censor loquitur, prophetia Scripturarumque interpretatio, sive libera de Scripturæ sensibus sententiæ dictio. Atque hanc interpretationem generatim intelligi vult Declaratio. Quod si Censor hanc prophetiam sive Scripturarum interpretationem non generatim accipi vult, sed restringi ad hos aut illos sensus,

Loca ad marginem Declarationis citata vindicantur.

Primus locus ex 1. ad Thes. 5. 21. à Censoris exceptionibus adstruitur.

ſenſus, quos ipſe ſibi cum ſuis imaginatur, aut non poſſe, aut non debere interpretatione alia, ſeu contraria, ſeu diverſa convelli, tum vero Apoſtolicum hoc præceptum violat, & ſub titulo licentiæ, veram prophetandi aut Scripturas interpretandi libertatem peſſum dat. Id vero eum velle, ſubjuncta ejus ratio indicat; *Alias enim jubemur*, inquit, *ab omni ſpecie mali abſtinere, in qua qualiſcunque etiam falſa doctrina eſt.* Nihil tamen hac ratione ineptius. Nam nec per *ſpeciem mali*, doctrina falſa intelligitur, nedum qualiſcunque doctrina falſa, nec, ſi omnino qualiſcunque doctrina falſa intelligeretur, ad rem quicquam faceret. Aliud enim eſt abſtinere ab omni falſa doctrina, quam falſam eſſe per debitam antegreſſam probationem conſtat: Aliud abſtinere à doctrina, quæ falſa quidem eſt, ſed de qua, an, vel quod falſa ſit, nondum per juſtam probationem conſtat. Per juſtam probationem, inquam. Nam quamdiu ea non præceſſit, tamdiu ſpecies mali, à qua abſtinendum ſit, nondum apparet; niſi per ſpeciem mali aut falſi intelligi Cenſor velit, id omne, quod cuique homini malum aut falſum videtur, etiamſi malum aut falſum non ſit, aut nulla de ejus malitia vel falſitate ſaltem non contradictoria præceſſerit probatio, quod nullo modo veriſimile eſt. Quamvis enim cuique abſtinendum etiam ſit ab omni eo, quod malum aut falſum eſſe ſibi perſuadet, tamen eo hic non reſpexiſſe Apoſtolum, manifeſtum eſt. Adde, ſi ab omni ſpecie mali abſtinere ſic generatim intelligatur, uti Cenſor vult, tum fieri non poteſt, ut omnia probentur. Per *omnia* enim intelligi etiam ea, quæ bona non ſunt, aut quæ falſa ſunt, ſed quæ falſa eſſe nondum conſtat, ex eo, quod additur, liquet: *Quod bonum eſt*, (inter iſta *omnia* ſcilicet) *tenete*, malis ſepoſitis, quæ per accuratam probationem talia eſſe deprehendiſtis. Unde concluditur, falſum eſſe, quod Cenſor ait, vocem, *Omnia* ad ea tantum reſtringendam eſſe, quæ apud fideles explorationi ſubjecta ſunt.

Secundus locus ex 1. Cor. 14. vindicatur.

Locus 1. Corinth. 14. *ultra prophetas & Scripturarum interpretationem*, ait Cenſor, *extendi non poteſt.* Ita eſt, nec aliud vult declaratio: *At*, inquit, *nec omnes prophetæ.* Sane, inquam: Sed omnibus prophetias ambire licitum erat, imo ut eas fideles omnes ambiant, ſuadet Apoſtolus ibid. verſ. 1. & 39. *Neque de omnibus prophetia eſt*, inquit Cenſor. Non equidem de ſenſibus ſua luce claris, & qui interpretatione non egent, ſed de iſtis omnibus, qui obſcuri ſunt & varias aut retruſiores interpretationes admittunt, quod ſatis eſt ad libertatem iſtam plenariam, quam urget declaratio. *Neque omnium*

de pro-

de prophetis prophetiisque judicium, ait. Imo, inquam, omnium, si vellent. Eorum quidem, qui prophetiæ dono pollebant, ut idoneorum ad prophetandum; Cæterorum vero omnium, si prophetiæ donum ambirent, & sic idoneos se redderent, quod facere quilibet fidelis sine discrimine poterat, ac tantum non debebat.

Locum 1. Ioa. 4. 1. intelligendum esse ait Censor, *de singulorum fidelium probatione, qua fidem suam quisque stabilit, ut tuto requiescat in ea doctrina, quam novit à Deo profectam.* Inepte. Nam quid probatione Spirituum opus est, ubi jam ante certo quis novit Spiritus istos repugnare doctrinæ isti, quam scit à Deo profectam esse? Aliud est probare Spiritum negantem doctrinam istam, quam certo scimus à Deo profectam esse. Aliud probare an Spiritus iste neget doctrinam illam, quam à Deo profectam esse scimus. Ista probatio, proprie dicta probatio non est. Hæc vera probatio est, de qua loquitur Apostolus, quam quilibet facere tenetur, & absque qua tuto non potest requiescere in doctrina ista, quam tenet; Id indicat non obscure Apostolus, cum normam probationis statim subjungit, ad quam expendi & probari vult eos, qui Spiritum jactabant, id est, sive spirituales revelationes, sive proprias & à privato Spiritu profectas sensum divinorum interpretationes. Tertius ex 1. Ioan. 4. 1. asseritur.

Tertia conditio est, *de personis ad Synodum admittendis, nempe, ut in Synodis non compareant nisi viri apti & idonei. Indefinite id dicunt*, inquit Censor, *neque imprimis referunt ad Ecclesiæ ministros.* Quasi vero certum non sit, istud *imprimis* ad Ecclesiæ ministros referendum esse, de quibus justa præsumtio est, quod sint viri apti & idonei. Quare cum Censor addit, declarationem id referre *indiscriminatim ad quascunque personas*, ita ut non referant, *imprimis* ad ministros Ecclesiæ (nisi jam ante de iis constet, quod apti & idonei non sint, cujusmodi non raro inter ministros reperiuntur) calumnia est, quæ palpari potest. Nisi fortasse verba hæc sua Censor sic accipi velit, ut soli ministri admittantur ad Synodum, & inter ministros imprimis ii, qui apti & idonei sunt: Hoc vero est, quod Declaratio repudiat. Nempe ea omnes fideles ad Synodum admittendos censet, dummodo sint viri apti & idonei, qui in medium consulere & expendere possunt, quod è re Ecclesiæ est, sive sint Laici, qui vocantur, sive clerici. Imo laicus quilibet è trivio qualitatibus istis præditus, præferri meretur ministris omnibus, quibus eæ non adsunt. Ita olim *Gerson* ipse, quem *Iuellus* citat, cum ait, *Ius ferendi suffragii etiam ad Laicos potest extendi, & plus aliquando quam ad multos clericorum.* Tertia conditio de Personis ad Synodum admittendis vindicatur à Censoris cavillationibus.

rum. Imo *Withakerus* in lib. de Conciliis asserit, *opinionem omnium Protestantium esse hanc, Ius ferendi suffragii nulli ex officio competere. Prælatos & Episcopos, nisi docti sint, domi detinendos esse, & nullos mittendos nisi propter doctrinam.* Addimus nos, doctrinæ quidem & prudentiæ rationem habendam esse, cum negotia tractanda sunt, quæ non præcise ad æternæ salutis & communis fidei regulam, sed vel ad Ecclesiæ regimen, vel ad subtiliorum quarundam controversiarum ventilationem pertinent; sed cum salutis æternæ negotium agitur, omnes pari jure ad Synodum admittendos esse. Quod ad omnes pertinet, ab omnibus tractari debet: Nemini mortalium licet hanc provinciam alteri mandare, nemini mandatam suscipere. Pastor an ovis sit, nihil refert. Pastores ordinis caussa cæteris præferri possunt, non juris aut potestatis alicujus privilegio.

De missionis ad Synodum necessitate.

At, inquit Censor, *quascunque personas ad Synodum admitti volunt, etiam sine Ecclesiæ missione, tantum impulsu proprio.* Atqui, inquam, in Declaratione ejus rei ne vestigium quidem est. Ita est: *At* (inquit) *Episcopius in Thesibus suis privatis exprimit, quod Declaratio hic subticet.* Atqui, unde constare potest Censori, aut Episcopium non mutasse sententiam, aut Declaratores Episcopio tacite suffragatos esse? Audacia hæc est non exigua, sed quæ Censoribus per quam familiaris est: Esto tamen, Episcopio etiam tacite suffragetur declaratio, quid in ea re absurdi? Qua missione opus habent, ut in Synodo compareant, qui ipsi eos, qui ad Synodum veniunt, mittunt? Quo jure missi Synodo intersunt, cur non eodem jure intersint mittentes? Et cum in Synodo caussa communis Fidei agitur, cur ad eam non admittantur omnes, quorum interest? Tantum abest, ut, cum Fidei negotium tractandum est in Synodo, Ecclesiæ missione opus sit, ut contra Ecclesia judicanda sit perperam agere, cum aliquos eo fine ut quovis modo decisionem faciant, ad Synodum mittit; & ii, qui sic mittuntur, aut ab Ecclesia sic mitti se sinunt, provinciam plane indebitam atq; illicitã in se suscipiãt. Fides per delegatos aut commissarios tractanda non est. Omnium interest audire & expendere quicquid ad eam pertinet. Alieno judicio nemo debet stare. Cujuslibet est sine ulla missione accurrere eo, ubi de salutis æternæ negotio in comitia itur. Quod tamen sic accipiendũ non est, quasi Synodos per delegatos haberi non velimus. Nihil minus. Sed delegatos istos, ad Synodũ eo fine non debere accedere volumus, ut sine tacita vel expressa conditione referẽdi ad Ecclesiam totam, quæ in Synodis proponentur & ejus consensum inquirendi quicquam

quam statuant, quod ad communem Ecclesiæ totius fidem pertinet: Ipsius Ecclesiæ consensus & approbatio libera antequam quicquam decidatur, omnino prærequiritur. *Atqui*, inquit Censor, *hæc boni omnis ordinis perturbatio est.* Imo contra, tum demum bonus ordo turbatur, cum, quod cõmune omnibus est, ad paucos trãsfertur, cum missi & ablegati ab Ecclesia, Ecclesiam ipsam mittentem excludunt, & privilegium sibi in præjudicium aliorum, quorum interest, proprio suo impulsu vendicant. Aliud est ordinẽ introducere pro arbitrio, quem violatũ nolumus, aliud ordinem, quem violatũ nolumus, esse ordinem, qui jure introductus aut merito introducendus est. *Sed neque aliter se res habuit in Synodo Apostolica Hierosolymitana*, ait Censor, *ubi sententia dictio & judicium pastorum fuit; suffragatio plebis adstantis & audientis silentio suo.* Hoc falsum est. In Synodo ista plebs sive multitudo tota, quæ nunc Ecclesia, nunc fratrũ cætus vocatur, potestatem suffragandi & partem in definitione habuit, uti prolixe id probant *Iuellus*, *Withakerus*, *Parkerus*, aliique, & ex textu ipso non obscure liquet, quando decretum de mittendis ad gentes fratribus, diserte ab Apostolis & presbyteris cum tota Ecclesia factum esse dicit, & literas omnium, non Apostolorum & presbyterorum tantum, sed & fratrum nomine, ad eos expeditas fuisse narrat, c. 15. Actor. vers. 22. 23. De silentio sive tacito aut muto suffragio plebis, ne verbum quidem in textu est. Versu quidem 12. dicitur, *tota multitudo tacuisse & audivisse Paulum ac Barnabam narrantes, quanta Deus per ipsos inter gentes edidisset signa & miracula*; sed multitudo ista non significat ibi Ecclesiam contradistinctam ab Apostolis & presbyteris, sed universum cætum, qui ex Apostolis, presbyteris & fratribus constabat: πᾶν τὸ πλῆθος habet textus. Nec ad rem facit, si quis dicat cap. seq. 16. vers. 4. *decreta ista facta ab Apostolis & presbyteris*, nulla mentione facta plebis aut Ecclesiæ; Nam plena rei cujusque veritas non est petenda ex verbis quibusdam, extra rei gestæ historiam obiter aut incuriose prolatis, sed ex ipsa rei gestæ historia, ubi perfecta ejus narratio perscripta est.

Atqui, inquit Censor, *nos admittimus quidem juxta Ministrum & alias privatas personas, ei rei idoneas, sed publica autoritate missas & admissas.* Nempe, autoritate vestra, & quam vos vobis soli usurpatis, nullo alio fine, quam ut non compareant in Synodo, nisi mancipia libidinis vestræ, muti scilicet aut jurati suffragatores, de quibus jam ante vobis constat, quod non pedibus tantum, sed toto corpore in suffragia vestra concessuri sint & inclinato capite dicturi, *Placet.*

De personarum privatarum ad Synodum missione cum publica autoritate.

Exceptio Censoris diluitur: Sic ordo omnis Ecclesiasticus pessum dabitur.

Hæc autoritas, publica ista autoritas, scilicet, est, quam adsertum itis, & pro qua, veluti pro pupilla oculi vestri, acrius contenditis, quam pro veritate divina. Nimirum, ista salva, haud difficile vobis est in Synodis decernere ac statuere quicquid libet. Res patet. Ecclesiæ missionem prærequiritis: Quid? An Ecclesiæ, id est, plebis totius Christianæ, quam pascitis? Plebs itaque Christiana, pro arbitrio suo, mittet, quos volet. At, si Ecclesia mittat quos vult, cur non compareat etiam in Synodo, si velit? An vero Ecclesiæ repræsentativæ, sive consistorii missionem prærequiritis? Haud dubie. At ii ipsi vos estis; vestra itaque autoritas, publica illa autoritas est, quam requiritis; Pro vestro itaque arbitrio stat caditque in Synodis Veritas & fides Christiana. Hæc sine dubio voti vestri summa est: Quid ergo, inquies, *ordo omnis Ecclesiasticus pessum dabitur?* Absit: Ordinem Ecclesiæ suum cuique liberum relinqui volumus. Deus author ordinis est: nemo illum impune aut violat aut contemnit. Tantummodo id asserimus; Ordinem illum illegitimum & divino juri repugnantem esse, quo sancitur, ut in Synodis nullis liceat comparere, nec suffragii jus habere, nisi qui à Consistoriis aut Classibus, id est, à pastoribus ad eas deputantur & ablegantur, quando in iis de communi Ecclesiæ fide agendum est: Hunc ordinem dicimus meram Papalem usurpationem esse, & quæ cedit in maximum præjudicium totius Ecclesiæ. Quod ad omnes pertinet, ab omnibus æquo & pari jure tractari debet. Salutis autem æternæ & fidei ad salutem necessariæ negotium ad omnes æque pertinere, quis dubitaverit?

De altera personarum conditione, ut qui ad Synodum mittuntur, sint vere liberi & durante litis examine nulli vel personæ, vel Ecclesiæ, vel Confessioni &c. sed soli Deo & verbo ejus simpliciter adstricti.

Additur & alia personarum conditio, inquit Censor, *ut, qui ad Synodos delegantur, vere sint liberi, & durante litis examine, nulli vel personæ vel Ecclesiæ vel Confessioni, &c. sed soli Deo & Christo, ejusque sancto verbo simpliciter adstricti: Hanc conditionem Episcopius ita effert* (biennio sc. antequam Confessio aut declaratio edita est: quis non miretur?) *ut nullum præjudicium domo adferatur, sed tantum verum inveniendi, & boni publici cupido.* Conditionem hanc non improbat Censor, *si oppositæ aut per se & in se Ecclesiæ scripta qualiacunque, Confessionesque publicæ considerentur, &c. At vero, si Ecclesiæ publica Confessio evidentem ex Scripturis, & secundum Scripturas, sententiam planæ & obviæ veritatis continet, certe ei, non quidem propter vel per se, sed per & propter Scripturam, obligati sumus.* Quam hæc dicuntur inepte! Quasi vero quisquam adeo infrunitæ mentis sit, ut aliquem adstrictum nolit isti opinioni seu confessioni, quæ evidentem ex Scripturis, & secundum Scripturas, sententiam planæ & obviæ veritatis

continet.

continet. Nimis hoc putidum eſt. Aliud eſt, Confeſſionem ſeu opinionem aliquam, continere reipſa evidentem ex Scripturis & ſecundum Scripturas ſententiam obviæ & planæ veritatis: Aliud credere aut perſuadere ſibi eam evidentem talem ſententiam continere: Hoc enim credere aut perſuadere ſibi quis poteſt, ubi non modo nulla talis evidentia, ſed manifeſta atque aperta falſitas eſt: Tum, Declaratio non loquitur niſi de lite pendente, id eſt, de opinione aut Confeſſione, cujus veritas in quæſtionem deducitur. Quamdiu lis iſta pendet, nemo obſtrictus manere debet alteri litis parti, ita ut, quia quod allegatur, iſti parti, quam veram eſſe credit, contradicit, idcirco iſtud falſum eſſe credere velit: Sic enim, nec examen liberum eſt, nec judicium legitimum. Iudex enim in judicio contradictorio non debet eſſe altera pars litis.

At impoſſibilis eſt conditio, inquit Cenſor, *durante lite perſonam deponere, omnemque ſuſceptæ veritatis ſententiam, ac ſeſe, ſine ullo prorſus præjudicio, neutralem, ut ita loquar, conſtituere.* Hæc mera covillatio eſt. Sine præjudicio accedere ad litem, non eſt exuere ſententiam, quam de re aut dogmate aliquo concepiſti, aut non amplius iſti adſenſum præbere velle: Nihil minus; ſed tantum eo animo ad litem accedere, ut ſententiæ iſti tuæ, quam nunc credis veram eſſe, ſic non adſentiaris, ut quicquid ei contradicit aut contravenit, id eo ipſo falſum eſſe velis in animum tuum inducere, quia cum ſententia iſta tua non convenit, etiamſi rationibus & argumentis hinc inde munitum tibi proponatur & conſiderandum offeratur. Primis iſte adſenſus non eſt in poteſtate noſtra; Itaque eum deponere aut exuere nobis impoſſibile eſt. Actiones enim mentis, voluntatis imperio non ſubjacent. At poſtremus iſte in poteſtate noſtra eſt: Nemo enim opinioni ſuæ aut humanæ ulli Confeſſioni ſic obſtrictus eſt, ut non ſemper paratus eſſe debeat meliora aut diverſa oſtendentibus cedere. Quare, quod addit Cenſor, *Id in rebus facti locum habet, non item juris: Ius enim veritaſque in noſtra poteſtate arbitrioque non eſt*, plane abſurdum eſt. Tum eadem plane ratio eſt in rebus facti ac juris, cum videlicet de veritate ſeu facti ſeu juris lis incidit. Qui factum aliquod ſe ſcire credit, eodem loco cenſeri debet, quo, qui credit ſe ſcire jus & veritatem. Nemo fidem aut opinionem ſuam debet facere normam judicii ſui, quando fidem aut opinionem ſuam diſceptari audit, aut in dubium vocari videt rationes, quibus fidem aut opinionem ſuam ſuperſtruit. *At ſufficit*, inquit, *ſi meliora ex verbo Dei edocti verbo Dei nos ſemper ſubmittamus.* At, inquam, eo ipſo, quia iſti veſtrę præcon-

Oſtenditur conditionem iſtam non eſſe impoſſibilem, contra exceptionem Cenſoris.

ceptæ opinioni aut ſententiæ obſtrictos vos eſſe creditis, meliora ex verbo Dei edoceri vos poſſe, nec vultis nec poteſtis animum veſtrum inducere. Opinio obligationis remora eſt omnis boni conaminis, & melioris inſtructionis obex atque obſtaculum. Liber animus, & qui omnia ſine præjudicio ad Scripturæ S. & rectæ rationis normam amat expendere, unicus adeoque obtimus veritatis judex atque arbiter eſt.

Quarta Conditio de Fine & uſu Synodorum vindicatur.

Quarta conditio eſt, *finis & uſus Synodorum habendarum*, inquit Cenſor, *videlicet, non ut quovis modo controverſiæ Fidei tollantur, ſcilicet, ob nudam tranquillitatem Reipub.; ſed ut opera detur ante omnia, ſeu*, ut Belgica editio habet, *ut propoſitum habeamus, ut hæreſes, ſchiſmata, aliaque publica id genus vitia & ſcandala, ante omnia arceantur, aut invecta tollantur, atque ita pietati & veritati, item libertati & caritati ſemper in iis conſulatur, propoſitum, operam, conatum hoc loco habemus ad hæreſes, ſchiſmata aliaque ab Eccleſiis arcendum & tollendum; non autem per deciſionem factum ipſum.* Quis non faſtidiat hujuſmodi cenſuras? Declaratio Remonſtrantium ait, *Id opera detur ante omnia, &c.* Ergo ſignificat, conandum tantum eſſe ut id fiat, & intra conatum ac propoſitum nudum conſiſtendum ſemper eſſe. Quid ineptius verbis iſtis adfingi poteſt? Contrarium potius concludendum eſt. Si conandum ante omnia eſſe monet Declaratio, ut hæreſes, ſchiſmata aliaque vitia ab Eecleſiis arceantur, aut invecta tollantur, ergo, ubi commode ac legitime id fieri poteſt, arceri ac tolli actu ea vult. Quis enim conetur ad hoc, ut conetur? Sed quid conſequentia opus eſt, cum Cenſor ipſe fateatur, in quinta, quæ ſequitur, conditione, Declarationem agnoſcere, deciſivam aliquā ſententiam in Synodis locum habere poſſe? *Sed mentem horum architectus Confeſſionis Magiſter Epiſcopius plenius & planius exhibet in diſput. de Synodis.* Ridenda hæc ſunt. Nempe, M. Epiſcopius (quem architectum Confeſſionis hujus immerito & ſine cauſſa Cenſor vocat) exhibuit Declaratorū mentem biennio antequā aut Declaratores noverat, aut de Declaratione concipienda quiſquam cogitaverat. O divinum Epiſcopium! Mirum, quod Cenſor hic non potius tribuat Epiſcopio annuam aut biennalem fidem, quæ cothurni inſtar vertit ſe ad arbitrium cæterorum Declaratorum; *At ſic architecti Confeſſionis gloria deceſſiſſet Epiſcopio.* Nempe, ut ſolus Epiſcopius crederetur Confeſſionis architectus, Cenſorum intererat. Eſto. Ineptias has tranſeamus. Mentem declarationis ut ex Epiſcopii Theſibus arceſſeret Cenſor, opus non erat, Eadem utriuſque mens eſt, & utrobique ſatis mani-

manifeste liquet: Nimirum Synodorum habendarum finem ac scopum esse non debere, ut per eas *quovis modo* tollantur controversiæ, ad externam Reipub. & Ecclesiæ pacem. Aliud est operam dare ut tollantur controversiæ, aliud operam dare ut quovis modo tollantur. Deinde, aliud est operam dare, ut controversiæ tollantur eo fine, ut veritas triumphet: Aliud operam dare, ut controversiæ tollantur eo solum aut potissimum fine, ut externæ Reipub. paci ac tranquillitati consulatur: Priores utriusque membri fines, tantum abest, ut negent Synodum proponere sibi posse, ut contra statuant, illos ipsos Synodo potissimum propositos esse debere: Posteriores, à Synodo exclusos tantum volunt. Et ratio manifesta est: ubi controversias quovis modo tollere pro scopo est, ibi veritatis divinæ cura aut nulla, aut non nisi inter postremas est. Et ubi externa Reipub. tranquillitas præcise intenditur, ibi conscientiarum tranquillitas pro nullo, aut minimo ducitur: veritas ibi non persuadetur, sed obruitur, Suffragia ibi non tam ponderantur, quam suffragatores numerantur. Paucorum rationes, licet optimæ, in censum isthic non, aut non nisi vix veniunt: Numerus quæritur. Contradictiones ibi repelluntur per sola muta suffragia, per *placet*, aut *non placet*. Placentini isthic dominantur, non Veronenses. At ubi id opera datur, ut controversiæ tollantur eo fine, ut veritas triumphet, ut conscientiis satisfiat; ibi ponderantur vota ac suffragia: ibi non admittitur contradictio, quæ per solum *placet*, aut *non placet*, fit: Rationes & argumenta postulantur, quibus contradictio fulciatur. Muta suffragia sine ratione ibi exulant. Plures an pauciores, laici an clerici sint, qui rationes adferunt, perinde est. Quod si contradictio bene fundata sit, & quæ omnino per alios adversa sentientes tolli non possit; is vero, qui contradicit, adversam sententiam non omnino etiam tollat, id agitur, ut in medio relinquatur lis, & tolerantia mutua sanciatur; Quod si vero parti alteri omnino satisfiat, sublata est controversia, & lis decisa, non *quovis modo*, sed eo, quo decisio fieri potest ac debet. Est enim decisio non præcise intenta, sed ex consensu & persuasione nata: nec per pluralitatem suffragiorum imperata, sed per efficacitatem argumentorum obtenta, nec ita omnium, ut non etiam sit singulorum; quæ decisio, in rebus fidei & salutis æternæ negotium spectantibus, unica illa decisio est, sine qua cæteræ omnes decisiones, quibuscunque tandem titulis ornentur, non frustraneæ tantum, sed & noxiæ ac Tyrannicæ decisiones sunt, & quæ Iliadem malorum, schismatum, vid. scandalorum, persecutionum,

Ostenditur scopus Declarationis, cum asserit, Synodorum finem esse non debere, ut per eas controversiæ tollantur *Quovis modo*.

bellorum,

bellorum, pepererunt per Chriſtianum orbem. Et in hæc mala incidere eos neceſſe eſt, qui ſcopum & finem Synodorum eſſe volunt, ut controverſiæ enatæ quovis modo tollantur, ut Reipub. ſtatus in tranquillo ſit, ſive id fiat per diſſentientium perſuaſionem, ſive per eorum oppreſſionem, exautorationem, relegationem, ſive per alia violenta media, quæ deciſionibus iſtis exequendis paſſim adhiberi ſolent. Hæc ſumma eſt ſententiæ Declarationis, & eorum quæ M. Epiſcopius in Theſibus ſuis privatis adſeruit: Deciſionem in & à Synodis fieri poſſe non negant, ſed eo fine Synodos cogere, ut præciſe fiat deciſio & controverſiæ quovis modo tollantur, id vero injuſtum atque illicitum putant, nec referre, ſeu plures, ſeu omnes ſimul, qui iſto fine conveniunt, deciſionem faciant. Finis enim iſte ſic præciſe intentus ſuſpectum reddit quicquid agitur. Et fere conſpiratio ſeu conjuratio potius, quam conſenſio animorum ac ſententiarum eſt, quæ in Synodis iſtis locum habet: Alii nolunt, alii non ſtudent, alii non audent meliora ſuggerere, aut quæ ſentiunt proferre, ne finis iſte intentus non obtineatur, aut convocatio ſine fructu iſto ſit, quem propoſitum ſibi habent quovis modo conſequi. Quare, quæcunque à Cenſoribus in hoc paragrapho contra Declarationem adferuntur, ea nullius momenti ſunt. *Niſi*, inquit, *deciſiones hujuſmodi in Synodis fieri concedatur, evanida foret omnis Synodi autoritas*; Nempe, hæc prima atque unica cura veſtra eſt, ut Synodo autoritas conſtet. Quaſi vero in rebus fidei autoritas ſeu homini ſeu cætui ulli competat. Hinc illæ lachrymæ: Eſto tamen, autoritas illis aliqua competat, & publici interſit ne ea evaneſcat; At autoritatem, quæ injuſtitiam & Tyrannidem ſapit, evaneſcere, quid periculi in ſe habet? Optandum utique & adlaborandum eſt, ut hoc fiat. Deciſiones autem iſtas in rebus fidei præciſe intentas, & quæ à delegatis quibuſdam ad Synodum fiunt, Tyrannidem ſapere tam clarum eſt, quam lux Solis.

Exceptio prima Cenſoris diluitur, qua Synodi autoritatem convulſam iri adſerit, niſi deciſiones præciſæ Synodo concedantur.

At ſine iis religio tota Chriſtiana in incerto verſaretur. Quaſi vero Chriſtiana Religio ante deciſiones iſtas in incerto verſetur, aut per eas in certo ponatur. Pudeat hæc à Reformatis affirmari, quæ ipſiſſimum Papatus fermentum ſapiunt: Quid enim? Cum Synodos omnes non particulares tantum, ſed & generales in deciſionibus iſtis errare poſſe credatis, quomodo Religio per deciſiones iſtas in certo ponitur? Et cum deciſiones iſtæ ut plurimum fiant cum diſſentientium exautoratione, ſi diſſentientes iſti contrarias deciſiones faciant, quæ certitudo? & apud quos? *Pauci fere ſunt iſti*, inquies. At nõ raro plures contra pauciores bene conſu-

Altera exceptio diluitur.

consulentes insanis consiliis & pertinacibus studiis in Synodis certasse author est Sulpitius, & experientia omnium sæculorum fidem fecit: Provinciales Synodos interdum rectius quam universales sensisse, autor est Beza in præfatione sua ad N. Testamentum. *Sed & litium* inquit, *ac controversiarum nullus omnino finis foret.* Nempe ergo, decisionis istæ litium remedia sunt. Quis credat? Hydræ sunt; plures inde nascuntur & confertim pullulant: Ex una lite sic resecta infinitæ germinant. Nec mirum. Oppressa creduntur judicia & externæ quieti, non veritati nec conscientiis consultum: Hinc murmura, susurri, clandestinæ coitiones, odia & schismata, quæ non raro in factiones litibus omnibus pejores desinunt. Non est necesse ut huic rei fides fiat. Nullum sæculum est quod non clamat hoc indubium esse. Experientiam nostri temporis adderem, nisi eam flere ac deplorare satius esset, quam in exemplum & ad confirmationem rei per se manifestæ adducere. Nimirum, litem quinquarticulanam, sic decidit ac finivit Synodus Dordracena, ut nemo, nisi quorum interest, litem hodie integram non malit, quam sic decisam. Majores animorum exacerbationes, majora odia vix concipi possunt, quam quæ post istas decisiones enata sunt: Eo res rediit, proh dolor! ut jam patria nostra nec lites suas, nec litium suarum remedia ferre possit. Hoc pretio constat Dordracena decisio, & litium istarum facta est redemtio.

Tertia exceptio diluitur, quod sic litiū & controversiarum nullus omnino finis foret.

Quinta conditio est, Si in illis plana, salutaris, atque necessaria veritas arcte quidem teneatur; at diffidentibus tamen & veritatem adhuc nescientibus, periculum idcirco nullum creetur, nec vis ulla conscientiis inferatur, &c. *Hic*, inquit Censor, *dicisivam aliquam sententiam agnoscere videri possunt, veruntamen talem agnoscunt, quæ aliis non præscribat.* Ita est: cum de rebus ad communem Ecclesiæ fidem aut salutarem veritatem pertinentibus agitur. Earum enim, quæ ad praxin sive ad Ευταξιαν Ecclesiæ pertinent, alia ratio est. In his, quod pluribus placuit, cæteris præscribi potest, & à cæteris sine tergiversatione ut admittatur, æquum est. At in istis, ut, quod pluribus placuit, cæteris præscribatur, iniquissimum est. Nemo alieno judicio in rebus fidei obligare conscientiam suam debet, nemo judicio suo alienam. Qui obligat & obligari se patitur, in pari culpa sunt. Fides proprium judicium atque adsensum postulat, quem tollit aliena præscriptio, quocunque demum titulo veniat.

Vindicatur Quinta conditio: Ne dissentientibus, aut veritatem nescientibus post decisiones periculum ullum creetur aut vis conscientiis eorum adferatur, &c.

Quasi vero, inquit Censor, *decisio in Synodo, planæ, salutaris, & necessariæ veritatis, in & ex verbo Dei factæ, alios quoque non devinciat,*

An decisio in Synodo facta, aliter sentientes aut reluctantes devinciat,

puta, aliter sentientes, etiamsi reluctantes. Non sane, quatenus decisio in Synodo facta, vestra est decisio, non eorum qui vel aliter sentiunt, vel decisioni reluctantur. Vestra decisio istos non obligat, priusquam ipsi intelligant, non minus quam vos, decisionem illam rectè factam esse: Enimvero, satis non est adhoc ut quis ad adsensum obligetur, ut, quod decisum est, verum sit, & verbo divino consentaneum. Iudicium cujusque privatum accedat necesse est. Alioquin fides nil nisi implicita fides erit, & turpe ac deforme obsequium. Quocirca, nec decisio quæ in Synodo facta est, obligare quemquam potest ad adsensum, etiamsi decisio recte & ex verbo Dei facta sit, nisi is de decisa illa veritate, apud animum suum persuasus sit, non minus quam ii, à quibus decisio in Synodo facta est. Quod adeo verum est, ut omnes, qui decisioni isti non interfuerunt, de ipsa illa decisione judicium facere ac ferre debeant, an recte facta sit, nec ante ut recte factam admittere, quam eam proprio suo judicio deprehenderint recte factam &c. Fatendum quidem est, decisionem, quando à viris multis piis, eruditis, gravibus, & prudentibus facta est in Synodo, non leviter habendam esse, quin & merito inclinare animos nostros ad acriorem decisionis factæ considerationem, sed ut ea cuiquam præscribat, aut dissentientem cogat ad adsensum & obsequium, nec ratio recta, nec communis Reformatorum sententia permittunt. *Neque conscientiæ ita vis fit*, ait Censor. Non equidem quatenus conscientia merum actum mentis internum sive immanentem significat: Sic enim Vis conscientiæ fieri nequit, ut recte ait Censor; At non quatenus conscientia significat actum mentis, quo quis obligari se credit ad docendum alios id, quod verum & necessarium esse sibi persuadet: Sic enim cogitur per præscriptionem istam vel dissimulare, quod palam publiceque profitendum esse credit; vel simulare, quod credit esse falsum. *At hæc vis*, inquit Censor, *à verbo Dei fit, cui omnis anima subjicitur.* Imo vero contra à verbo Dei non fit, quando is, cui vis ista fit, credit verbum Dei contrarium jubere, quam quod decisum est & credendum præscribitur aut quando nondum intelligit verbum Dei id jubere, quod decisum est: Nam verbum Dei, etiamsi vim obligandi ex se & per se habeat, actu tamen non obligat quemquam, nisi intellectum, & sic prout adhibita omni possibili diligentia & prudentia intelligendum esse creditur. Nemo enim obligatur ad verum verbi divini sensum sequendum contra conscientiam suam, licet erroneã. Addit Censor, *Et quomodo omnes omnino dissidentes à plana, salutari, & necessaria veritate*

Quomodo si eos devinciat, vis conscientiis eorum fiat.

Exceptio Censoris diluitur, vim istam à verbo Dei fieri.

ritate expertes omnis periculi debere esse statuunt, quum Ecclesiæ disciplinam incurrant, in tales ex ipsorum sententia quoque exercendam? Quasi vero excommunicationem inter pericula ista censeat Declaratio, à quibus Declaratio liberos esse ac manere vult dissentientes aut reluctantes. Nihil minus: De proprie dictis periculis agit Declaratio, quæ aut corpori aut bonis, aut vitæ ipsorum creantur, ad quorum nullum extenditur excommunicatio.

Postrema conditio est, ut quod in iis statutũ est, libero semper examini & ulteriori revisioni subjectum relinquatur, &c. *Hæc fluit*, inquit Censor, *ab eodem fonte. Certe, quod semel ut verum in planis, salutaribus, & necessariis ex verbo Dei statutum est, semper ut verum, statum firmumque permanere debet:* Merus hic est coccysmus, & qui indignus est Reformatis Theologis. Aliud est, id quod in verbo Dei semel statutum est, semper ratum ac firmum permanere debere: Aliud, id quod ex verbo Dei in Synodis ut verum statutum esse creditur, semper ratum ac firmum permanere debere. Prius enim istud semper extra erroris aut dubitationis aleam est: At posterius periculo erroris aut dubitationis semper obnoxium manet, etiamsi millies, & centum viralibus judiciis statutum esset. Hoc si verum est, uti verum esse nullus Reformatus dubitat, quid caussæ est, cur, quod semel statutum est in Synodis, non semper examini & ulteriori revisioni subjectum esse ac manere credi debeat? Certe ubi erroris periculum est, ibi examini & revisioni semper locus est. *Atqui, id quod statutum est, ex verbo Dei statutũ esse supponitur*, inquit Censor. Esto. At suppositio ista fallere potest. Deinde, si ex verbo Dei statutum est, ergo in verbo Dei antea statutum erat; & tamen ejus examen in Synodo, ubi decisio facta supponitur, factum est. Quid isto examine opus erat? & cur examini ejus, quod in Synodo statutum est ex verbo Dei, & quod tamen errori obnoxium est, locus non erit, cum examini ejus, quod in verbo statutum est, & quod errori nulli obnoxium esse potest, locus in Synodo illa datus sit, ubi decisio facta est? Certe, ex eo quis efficacissime concluserit, majorem autoritatem à vobis deferri Synodali vestræ decisioni, quam ex verbo facitis, quam decisioni quæ in ipso Dei verbo à Deo facta est. *At, sic semper discetur, & nunquam ad veritatis cognitionem pervenietur.* Contra. Aliter nunquam discetur, nec discere opus erit. Synodales decisiones memoria tenere, iisque mordicus inhærere summa doctrina & eruditionis apex erit. Deinde Christiani hominis est semper discere, examinare, expendere placita & statuta humana, an di-

Postrema conditio vindicatur; ut quod in Synodis statutum est, libero semper examini & Revisioni subjectum relinquatur.

Exceptio Censoris diluitur: Sic semper discetur, & nunquam ad veritatis cognitionem pervenietur.

vino verbo consentanea sint. Nunquam de ullis humanis statuere debet, quod talia sint, ut examinari non debeant ad verbi divini normam, ne quidem, si illa millies examinaverit. Hoc privilegium soli verbo divino competit. Quæ in eo clare decisa sunt, ea non opus habet ut semper discat. Sunt enim claræ, apertæ atque indubiæ veritatis. In cæteris, Christianus semper est discipulus & inquisitor; non quod semper dubitet aut hæsitet; sed quod, etiamsi impræsentiarum nec dubitet nec dubitandi caussam habeat, de iis tamen certus esse non possit ea certitudine, quæ omni erroris periculo exemta est, ac proinde, ea semper solicite expendere & trutinare teneatur, ad regulam, quæ falli non potest. Atque hoc coram Deo satis est, ut prudenter semper didicisse, & ad cognitionem veritatis, quantum in hac fragilitate humana fieri potest, pervenisse dicatur, prout in Censuræ ad Præfationem examine prolixius hac de re à nobis dissertatum est.

Ostenditur, Protestantes has ipsas conditiones, quas hic Censores censuerunt, olim approbasse & postulasse à patribus Concilii Tridentini.

Atque hæc sunt ea quæ ad vindicias conditionum, quas in Synodis requirit Declaratio, contra exceptiones Censoris sufficiunt. Quibus unum tantum impræsentiarum addimus. Mirum merito videri debere, quod conditiones hæ Censoribus nostris usque adeo displiceant, cum reipsa non sint nisi ipsissimæ illæ conditiones, quas olim Protestantes ad legitimam Concilii celebrationem contra Tridentinos requisiverunt, & propter quarum defectum Concilium Tridentinum multifariæ, ut vocant, Nullitatis μιᾷ ψήφῳ condemnarunt. Qui dubitat, videat quæ *Gentiletus* de Nullitatibus Concilii Tridentini, & quæ nuper *Archiepiscopus Spalatensis* pro conditionum à Protestantibus requisitarum æquitate, contra Bellarminum scripsit. Deinde, cum sint conditiones, quæ ex præcipuo Reformationis fundamento deductæ sunt, quod est, Synodos omnes tam Generales quam particulares in decisionibus suis errare posse, ac non raro gravissime errasse. Hoc fundamento supposito, in quo omnes Reformati & Protestantes contra Pontificios conveniunt, omnino necessarium est, ut conditiones illæ, quas requirit Declaratio, in Synodis locum habeant, ut utiliter & ex re tum Ecclesiæ tum Reipub. Christianæ instituantur. Hæc diversitas unde oriatur, haud difficile est colligere. Prout tempora se dant, ita Censores magni humilesque sunt. Autoritate publica pressi æquissima postulant: Autoritate publica præditi iniquissima imperant. Et iniquitatis color est, quod Reformatarum & Pontificiarum Synodorum longe dispar sit ratio: Quasi Reformationis titulus justum iniquitatis velum sit, & ad bonitatem

nitatem caussæ sufficiat Pontificium non esse. Res patet. Inter conditiones octo, quæ à Protestantibus olim requirebantur, hæc una erat, ut decisio non fieret secundum suffragiorum pluralitatem, sed juxta normam verbi divini. In nupera Synodo Dordracena mera pluralitas suffragiorum proram & puppim fecit. Et tantum abest ut decisio ad normam verbi divini facta sit, ut plerique non nisi muti suffragatores fuerint, utpote homines Scripturam & controversiarum ignorantissimi, & inter eos etiam linguæ istius, qua Synodus de communi consensu utebatur, prorsus imperiti, adeo ut, quæ in ea tractabantur, oculis tantum, non auribus observarent, & contradictiones omnes repellerent per merum capitis nutum, aut per nudum *placet* aut *non placet*. Deinde, inter conditiones etiam hæc erat, ut altera pars litigantium judex non esset, ac proinde Pontifex Romanus Concilium non indiceret, nec ei præsideret. In Synodo Dordracena pars altera litigantium, jampridem schismatis rea, judicandi & præsidendi autoritatem sibi sumsit, suasque schismaticas actiones suopte proprio judicio, approbavit & confirmavit, & quos jam ante, indicta caussa contra omne jus & fas damnaverat, ejecerat, expulerat, juste à se damnatos, segregatos, ejectos & expulsos pronunciavit. Tertio, Inter conditiones Protestantium erat, ut Theologi Principum ac statuum Confessionis Augustanæ non modo citati ad Synodum accederent, sed non minus quam Episcopi sententias aut voces decisivas haberent. In Synodo Dordracena, Remonstrantes, & inter eos *Professor Episcopius*, & *Vltrajectini fratres*, ille Illust. DD. Ordd. Hollandiæ & Westfrisiæ literis ad Synodum evocacatus, hi à Synodo Provinciæ suæ ablegati, Synodo interesse prohibiti fuerint, & citatorum in numero comparere jussi sunt, quibus non modo non permissa fuerunt libera cum cæteris suffragia, sed libertas citatis jure omni divino atque humano debita, etiam contra ipsarum literarum citatoriarum fidem, ademta fuit. Quarto, Inter conditiones etiam erat, ut Prælati omnes absolverentur à juramento fidelitatis, quo Papæ obstricti erant, & traditionum ac Canonum Ecclesiasticorum rationem non haberet, sed solius verbi divini. In Synodo Dordracena, ut deputati ad Synodum absolverentur à juramento fidelitatis, quo Confessioni & Catechesi obstricti erant, iniquissimum judicatum fuit, & in hac Censura accerrime reprehenditur à Censoribus. Hæc palliare atque incrustare hac una exceptione, quod in Synodo ista decretum fuerit, ut non nisi secundum normam verbi divini judicaretur, nihil aliud est quam

ſepiæ atramentum addere, & virtutem verba putare, ut lucum ligna. Aliud ῥῆμα aliud πρᾶγμα. Decreta iſta fieri videntur, ut pro operimento ſint, ne praxis diluceat: Nihil enim commune cum decreto iſto praxis habet. Atque hæc inter arcana imperii ſunt, Peſſimis factis decreta optima prætexere, &, cum aliter agas, aliter tamen agere videri velle.

De officio Chriſtiani Magiſtratus in regimine Eccleſiæ.

Denique, Sectione III. & IV. Cenſor ait, *de officio pii Magiſtratus circa Synodos, & univerſim de toto Magiſtratus in regimine Eccleſiæ officio agunt.* Si per pios Magiſtratus Cenſor Magiſtratum Chriſtianum intelligit, recte mentem Declarationis expreſſit; Non enim agit Declaratio niſi de Magiſtratu, qui Dei Chriſtique autoritatem ſupra ſe agnoſcit, & ex præſcripto Religionis Chriſtianæ eam exercet & adminiſtrat. Quod vero addit, *Declarationem agere univerſim de toto Magiſtratus, in Regimine Eccleſiæ, officio,* id amuleto opus habet. Nam de officio Magiſtratus ſimpliciter, qua Magiſtratus eſt, ſive, qua ſupremam in Regno, ſtatu, aut Republica poteſtatem habet, ſive ſit Iudaicus, ſive gentilis, ſive alius quivis Magiſtratus, Declaratio non agit: ſed tantum de officio Magiſtratus Chriſtiani, circa externum Eccleſiæ ordinem, ac regimen, quod videlicet iſtud agnoſcere debeat Eccleſia, quæ poteſtati ejus ſubdita eſt. Quæ ſit poteſtas Magiſtratus, qua talis, circa ſacra univerſim, alterius loci eſt diſquirere. *Dicunt itaque,* ait Cenſor, *officium Magiſtratus eſſe, externum Eccleſiæ ordinem ac regimen architectonice moderari, & publicum Dei in ea cultum ſartum tectum conſervare. Certe agnoſcimus & nos* inquit, *hoc Magiſtratus officium: Sed quod addunt, Architectonice moderari, id abſolute ita dici non poteſt:* At nec abſolute id ita dicit Declaratio, quamquam, ſi id dixiſſet, nihil dixiſſet, niſi quod veriſſimum & optimis rationibus nixum eſt. *Atqui tamen,* inquit Cenſor, *id evincitur ex eo, quod prænotarunt de Magiſtratu Chriſtiano,* ſi quis modo talis ſit in Eccleſia, *quo ſatis indicant non abſolutam ejus poteſtatem eſſe in Eccleſia regimine,* &c.

Quid ſibi velint verba Declarationi inſerta, Si modo Chriſtianus Magiſtratus in Eccleſia ſit.

At verba illa, *Si quis modo talis ſit in Eccleſia*, non eo fine declarationi inſerta ſunt, ut indicetur Magiſtratui ſupremo abſolute, ſive, qua Magiſtratus ſupremus eſt, jus ſive poteſtatem illam in publico ſive externo Eccleſiæ regimine non competere. Nihil minus: Poteſtati enim ſupremæ ſive architectonicæ, qua poteſtas ſuprema eſt, jus hoc ut competat, ratio ordinis ſive boni regiminis natura ſua poſtulat. Duas enim ſummas poteſtates in uno populo dari, ipſius ſummitatis naturæ omnino repugnat. Sed eo tantum fine declarationi inſerta ſunt verba illa, ut indicaretur,

dicaretur, Ecclesiæ esse, in publico isto atque externo regimine agnoscere potestatem illam, neque sine ejus autoritate, jussu aut consensu, nedum, invita aut refragante illa, quicquam eorum, quæ ad externum istud regimen pertinent, decernere aut suscipere, tanquam si ad eam cura ista non pertineret, aut ad eam non nisi secundario ac minus principaliter pertineret. Si enim Magistratus persecutor aut osor sit Ecclesiæ, aut si curam illum externi regiminis in se nolit suscipere, sed eam subditorum suorum arbitrio liberam velit relinquere, tum ut autoritas Magistratus interveniat necesse non est. Quid enim juvat Magistratum potestate illa præditum esse, si ea uti nolit? At, si talis in Ecclesia Magistratus sit, qui ea uti vult, & curam istam ad se pertinere credit: tum autoritas ejus, post Dei Christique autoritatem, regimini isti intervenire debet. Et ratio est; Si Magistratui, qua tali, jus hoc competit, ergo multo magis competit Magistratui Christiano, &, si quis modo talis in Ecclesia sit, ut id ei deferatur ab Ecclesia, æquissimum est: Christiana enim Religio non modo non adimit Magistratui potestatem illam, sed addit insuper aptitudinē potestate illa recte & ex præscripto Religionis Christianæ utendi. Quare, cum Censor ex verbis istis colligit, Potestatem hanc Magistratui competere ex accidente, quando, scilicet, Magistratus Ecclesiæ membrum est, nec aliter, à mente atque sententia Declarationis plane deviavit.

Veruntamen, juvat totam hanc rem propius paulum, vestigiis & verbis Censoris insistendo, expendere. Hic enim manifeste produnt se Censores, & quam sint reverentes supremarum potestatum, cum de earum summa autoritate agitur, palam testatum faciunt. Quicquid alias videri volunt maxima earum reverentia duci, quicquid protestantur de obsequio & fidelitate sua, id omne vanum videri debet. Ad hunc apicem, unde tota eorum reverentia fluere debet, ubi ventum est, protestationum omnium naufragium fieri necesse est: Non potest autoritas suprema magis directe labefactari, nec Tyrannidis aut Hierarchiæ Ecclesiasticæ fundamentum apertius stabiliri, quam si vel supra vel juxta Magistratum collocetur potestas, cui immediate sub Christo publica cura religionis & externum Ecclesiæ regimen competere dicatur: Sic enim necessario efficitur, supremū Magistratus esse, potestati isti aut parere aut servire, quod ad curam istam attinet, quod summitati & supremæ potestatis essentiæ directe repugnat. Vertant sese Censores in mille formas, huc recidet universa eorum reverentia, & tandem in Papatum vel quasi

Papa-

Papatum desinet: Rem testem dabimus, vestigia Censoris prementes.

De potestate Magistratus architectonica in regimine Ecclesiæ.

Christus, inquit, *ut unicus Ecclesiæ Rex, Ecclesiam suam ipse regit ac moderatur architectonice, non tantum, qua interna, sed & qua externa & publica est*: At de eo non quæritur, utrimque hoc in confesso est: Sed quæritur tantum, An Christus Ecclesiam suam, qua publica & externa est, immediate tantum regat ac moderetur. *Per Ministros suos id facit*, inquit Censor: Ministri ergo sive pastores habent potestatem & autoritatem immediate, id est, primam ac supremam sub & à Christo. Magistratus itaque potestatem istam aut prorsus non habet, aut immediate etiam una & cum Ministris eam à Christo habet, aut ministrorum istorum ista in re minister ac subditus est, quæ quam sint absurda, in sequentibus demonstrabitur. *At Ministri isti ministerialiter tantum agunt*, inquit Censor. Hæc tantum sunt verba. Ministerialiter agere hic reipsa idem est, quod architectonice regimen ac moderamen Ecclesiæ habere. Nam & Magistratus minister est & ministerialiter tantum Dei ac Christi respectu agere dicitur, cum architectonica ei potestas tribuitur. Et Architectonice regere ac moderari nihil aliud est, quam potestatem & autoritatem regendi ac moderandi habere, qua nulla alia potestas sive autoritas sub Christo superior est. *At nulla potestas vere architectonica est in Dei Ecclesia*. Nempe, *vere* architectonica, id est, quæ nulli superiori, nec Deo, nec Christo, subdita est. Quis non tussiat ad tam frigidas & in speciem humiles exceptiones, dicam, an cavillationes, quibus ipsum superbiæ virus tegitur? Quasi quisquam adeo sit demens, ut tale quid ei in mentem veniat, aut quasi Declaratio architectonicam moderationem, quam Magistratui tribuit, non diserte ponat post summam Dei Christique autoritatem: Verba videantur, & res patebit. Quare futile est, quod Censor hic distinguit inter potestatem absolute architectonicam, & subalterne. Nam, ne occasio quidem suspicandi est, Declarationem tribuere Magistratui Christiano potestatem absolute architectonicam, aut talem, quæ non sit subalterna potestati Domini Jesu Christi: Hæc sine tædio vix possunt disputari, adeo sunt, non Dico Academica, sed trivialia.

At, inquit Censor, *Si quis subalterne sub Christo talem autoritatem architectonicam dicat competere Magistratui, ille Ecclesiam sacrumque Ministerium, quod immediate subest Christo, jam Magistratui ita submittit, ut Ministri non modo Dei, sed & Magistratus ministri dici debeant*,

beant, atque ita Ecclesiæ, Ministerioque Ecclesiastico sua potestas divinitus tributa subducetur. Hæc non in Remonstrantes tantum, sed in complures Reformatos Theologos adeoque Reformationis Principes dici, ex sequentibus manifestum fiet. Sed nos hic jam pedem paulisper figemus, ut status controversiæ, qui alias mirum in modum involvi solet, pateat & oculis omnium expositus sit: Thesis Declarationis & Remonstrantium hæc est: Status controversiæ inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes, de Potestate Magistratus Christiani in regimine Ecclesiæ.

Potestas architectonica, quoad publicum & externum Ecclesiæ regimen, immediate sub Christo competit Magistratui Christiano, non Ministris Ecclesiæ.

Thesis Censorum hæc est:

Potestas architectonica, quoad publicum & externum Ecclesiæ regimen, immediate sub Christo competit Ministris Ecclesiæ, non autem Magistratui Christiano.

Contradictoria hæc Censorum Thesis ex verbis eorum manifeste liquet: Dicunt enim eos, qui autoritatem architectonicam subalterne sub Christo Magistratui tribuunt, Ecclesiæ adimere autoritatem, quæ divinitus & subalterne sub Christo ei concessa est. Hoc autem tantundem est, atque dicere, Potestatem architectonicam, quoad publicum Ecclesiæ regimen, competere Ministris Ecclesiæ, non autem Magistratui Christiano. Ex ratione etiam contradictio hæc manifesta est. Alterutrum enim dicendum est, Aut utrisque simul immediate architectonicam istam potestatem sub Christo competere, aut alterutri tantum: utrisque simul ut competere dicatur, per se absurdum est: Nam alioquin duæ collaterales potestates architectonicæ, quarum altera ab altera non dependeret, in Ecclesia Christi statuendæ forent, quod contra boni regiminis naturam est: Ministris itaque Ecclesiæ, exclusive ad Magistratum Christianum, qua talem, autoritas ista competit, ex Censorum aperta confessione.

Digna est hæc sententia & Confessio, quæ à Regibus, Principibus, & Ordinibus, populorumq; Rectoribus serio perpendatur. Est enim ipsissimum Papatus corculum ac medulla, qua salva, autoritas eorũ nil nisi inanis umbra & titulus sine re est. Hoc tamẽ ita accipiendum non est, quasi sententia ista conveniat per omnia cum iis, quæ Papa jam usurpat aut sibi tribuit: Nihil minus: Sed quod contineat illud ipsũ, in quo sita est forma Papatus, seu Papalis hierarchias; sive illa in Papa solo, sive in cõcilio supra Papam, sive in utroq; simul residere dicatur: Ex eo autem concesso, cætera omnia, quæ Papa jam usurpat, tam necessario fluunt, quam calor ex igne, Ostenditur sententiam Censorũ cum sententia Pontificiorũ convenire, quoad principalem controversiæ statum.

igne, si quis modo consequenter sentire & loqui velit, prout infra demonstrabimus. Quod idcirco monendum putamus, ut intelligatur, quam inepte ii disputent, qui, ut sententiam hanc suam à Papatus crimine aut suspicione purgent, varia adferre solent, quæ jam Papa sibi arrogat, à quibus ipsi se abhorrere profitentur; quasi vid. id magnopere ad rem faciat, salvo manente principali Papatus fundamento, & quasi certum non sit, cætera ista ex fundamento hoc necessario consequi, quicquid ii, qui fundamentum hoc tenent, ab iis abhorrere videre velint. Deinde, quam parum candide ac sincere agant ii, qui, cum de Autoritate Magistratus circa sacra disputatur, principalem controversiæ statum dissimulant, & operosas quæstiones ac speciosos quosdam controversiæ status formant, qui aut ad rem principalem non faciunt, aut extra controversiæ lineam sunt, & quos non nisi ad amoliendum aut divertendum Principalis status seu controversiæ, quam metuunt invidiam, facere, pene palpari potest: In hoc ordine si cum ineptis quibusdam aliis scribillatoribus, se non esse sibi persuasit Walæus vester, quum de officio Ministrorum & Magistratus autoritate librum suum contra Reverendum D. Uytenbogardum scriberet; næ, aut valde sibi ipsi placuit, aut Elephanti corio tectus fuit. Quorsum enim tria illa capita, quæ in libro isto tractat, alio spectant, quam ad obscurandum & tegendum principalis controversiæ statum, quem Reverendus iste Senex optime formaverat, & quem pro principali statu habendum esse non obscure hic illic Walæus in libro isto testatum facit; ipsiq; adeo Pontificii, quando contra Anglos disputant, principalem esse agnoscunt, usque adeo ut omnia pene, quæ in isto libro Walæi tractantur, vel ipsis judicibus, ad rem non faciant. Distinguunt enim inter Potestatem ordinis, Potestatem jurisdictionis interioris, & Potestatem jurisdictionis exterioris: & duo priora certa utrimque esse dicunt; Postremum in controversia. Vide Mart. Becanum de Primatu Regis Angliæ, circa principium. Itaque huc omnia redeunt:

Architectonicam potestatem regendi Ecclesiam immediate sub Christo competere Ministris Ecclesiæ, non autem Magistratui Christiano.

Hinc immediate sequitur:

Supremum atque architectonicum judicium de iis, quæ pertinent ad externum Ecclesiæ regimen, immediate sub Christo competere Ministris Ecclesiæ.

Consequentiæ ratio per se patet: Supremum enim regimen, sine supremo

premo judicio, ſupremum regimen non eſt: Qui enim judicia aliorum ſequi tenetur, is non regit, ſed regitur, adeoque mancipium & ſervus eſt judicantium.

Hoc poſito ſequitur immediate,

Univerſam autoritatem, inſpectionem, curam & directionem, quæ Magiſtratui à Cenſoribus tribuitur dependere à judicio Miniſtrorum Eccleſiæ, tanquam à judicio ſummi tribunalis, & ſupremæ Curiæ, à qua provocatio non datur.

Ex eo a. deinde immediate hæc ſequuntur:

I. Magiſtratum Chriſtianum non indirecte tantum, ſed directe etiam obligari ad ſequendum judicium Miniſtrorum Eccleſiæ in vocatione, promotione, correctione, exautoratione, punitione, coercitione, &c. paſtorum aliorumque Eccleſiæ ſubditorum, in convocatione & celebratione Claſſium, Synodorum, &c.

II. Magiſtratus Chriſtiani eſſe, decreta omnia Miniſtrorum, quæ ad publicum Eccleſiæ regimen pertinent, autoritate ſua ſancire ac ſtabilire contra omnes diſſentientes, reluctantes, & tergiverſantes.

III. Subditos & membra Eccleſiæ non obligari ad parendum Magiſtratui Chriſtiano, ſi quid ſtatuat aut decernat contra judicium Miniſtrorum Eccleſiæ, in rebus ad regimen Eccleſiæ pertinentibus; imo obligari ad non parendum.

Breviter; Magiſtratus Chriſtiani eſſe, ſtatutis, decretiſque Miniſtrorum Eccleſię parere ac ſervire: ſententias latas approbare, & exequi lictoris aut carnificis inſtar, aut, ſi malis, famuli ac mancipii inſtar.

Hæc omnia ex primo iſto fundamento conſequi, natura rei ipſius docet, & praxis Eccleſiarum iſtarum omnium, quæ fundamentum iſtud tenent & rerum in Regno, Repub. aut ſtatu ullo potiuntur. Matricem ipſam Eccleſiarum omnium, Genevam tantum vide, quæ axioma hoc Calvini ut & cætera omnia ejus placita mordicus tenet atque amplectitur: Quæcunque ex eo ſequi diximus, ea iſthic omnia in uſu ſunt, etſi non deſint aliquando, quibus hierarchia iſta diſplicet. Magiſtratus omnia, velit nolit, ex Miniſtrorum arbitrio geri ſinit: Quin & autoritatem ſuam iis commodat, ubi ea opus eſſe Miniſtri judicant. Crimen læſæ divinæ Majeſtatis eſſe creditur non parere Miniſtrorum decretis. Hinc nemini in ea ſedem aut domicilium figere licet, niſi qui conſenſum ſuum cum Miniſtris iſtis per om-

nia profitetur Sacroſanctæ cœnæ communione. Idem hoc confirmant non obſcure Cenſores hi, hoc ipſo in loco, cum *Magiſtatus poteſtatem αὐτοκρατορικὴν* & *ἀρχιτεκτονικὴν in eo poſitam eſſe* dicunt, *ut pietatem & ordinem Eccleſiæ*, (à Miniſtris ſc. conſtitutum) *legibus ſanciat ad vigorem publicæ obſervantiæ.* Quod revera aliud nihil eſt, quam Magiſtratus eſſe, exequutioni mandare & autoritate ſua politica, quam vocant, ſancire ac rata eſſe jubere Miniſtrorum decreta ac ſtatuta, prout aperte ſatis innuunt, cum deinde ſubjiciunt, *Magiſtratum poteſtate iſta ſua uti debere, non tantum quod boni publicique ordinis ſit tuitor; ſed etiam quod membrum Eccesiæ Chriſti ſit, cujus eſt quoque, externam ſuam poteſtatem (qualiter omnia membra pro modulo quæque ſuo facere debent) conferre ad Eccleſiæ bonum, & ſe ejus nutritium præbere ac præſtare.*

Oſtenditur ſententiam Cenſorum à Reformatis multis Theologis aperte damnatam eſſe hodieque damnari.

Atque hæc omnia ipſiſſimum Papatus aut Papalis imperii arcanum eſſe qui non videt, næ is in meridie ipſo cæcus eſt. Hæc cauſſa eſt, cur non pauci Reformati doctores ab iſta ſententia ſe prorſus abhorrere profeſſi ſunt, tanquam à ſententia, quæ ipſiſſimum Pontificiæ hierarchias ἀκροθίνιον eſt. Inter quos principem locum tenent omnes fere Magnæ Britanniæ Theologi, prout ex diſputationibus eorum doctiſſimis contra Pontificios manifeſtum eſt. Cum his ſentiunt, Muſculus, Martyr, Paræus, Brentius aliique non infimi ſubſellii Theologi. Ac Theologos Magnæ Britanniæ quod attinet, ſententia eorum in propatulo eſt. Eam flectere aut interpretatione elaborata torquere velle, ut conveniat cum ſententia horum Cenſorum, adeo vernile ac putidum eſt, ut mirum ſit, ſi Walæum veſtrum, qui id in libro ſuo de officio Miniſtrorum Eccleſiæ &c. tentavit, inſtituti ſui non pudeat: Nimirum ſic ex capite Eccleſiæ pes & brachium, ex ſupremo gubernatore Miniſter Miniſtrorum fit, qui decreta & juſſa eorum ſancire & exequi tenetur, ad vigorem publicæ obſervantiæ. Verba Walæi videantur, & jurare auſim, neminem ſani cerebri reclamaturum: quin & ipſos Pontificios clamaturos, neſcire ſe quis inter ipſos & Anglos de Primatu Regis controverſiæ ſtatus ſit. Profecto candidius multo (etſi durius non nihil) ſententiam Regis & Theologorum Magnæ Britanniæ expreſſit Petrus Martyr in commentariis ſuis in 1. librum Samuelis cap. 8. pag. 50. cum ait: *Atque hoc fortaſſe eſt, quod Rex Angliæ voluit, ſe ſecundum Chriſtum appellari caput Eccleſiæ. Putavit enim eam poteſtatem, quam ſibi Papa uſurpaverat, ſuam eſſe, & in ſuo regno ad ſe pertinere.* Ita eſt. Candor hic eſt, quem obfuſcant nebulæ iſtæ interpretationum. Huc

Theologos M. Britanniæ, cum Remonſtrantibus ſentire, teſtimoniis & rationibus evincitur.

enim

enim redit controversia inter Britannos & Pontificios: An potestatem istam jurisdictionis exterioris, quam Papa antea sibi vendicaverat, Rex quilibet in regno suo non habeat, & quidem immediate à Deo, id est, ut recte *Becanus in refutatione Apologiæ & Monitoriæ Præfationis, Iacobi Magnæ Britanniæ Regis, ad Imperatorem, Reges & Principes*, & in Refutatione *Torturæ Torti*, ait; *An Rex sit supremus Iudex Ecclesiasticus, qui sua autoritate à nullo alio in terris dependente, possit convocare Synodos, iis præsidere, controversias circa fidem & religionem dirimere*, (intellige quatenus exteriori jurisdictioni subjacent, nec aliter) *beneficia conferre, Episcopos constituere & deponere, & similes religionis actus exercere? Hoc enim est*, inquit, *habere primatum, quoad gubernationem exteriorem:* Nisi hic controversiæ status ponatur, fatendum utique est Anglos & Pontificios inter se ἀεροβατεῖν; Imo, si Anglorum ista est sententia, quam iis tribuit Walæus, fatendum est eandem esse utriusque partis sententiam, ac proinde controversiam sopitam. Etenim quæcunque Walæus Regi tribui ab Anglis asserit, eorum ne syllabam quidem negaverit Pontificius. Tu Lector, quisquis es, judica. Hæc sunt Walæi verba, libri sui pag. 116. 117. *Quando Angli Regem supremum Ecclesiæ gubernatorem vocant, tum non id volunt, quasi Rex Ecclesiasticam aut spiritualem potestatem ad regendum Ecclesiam à Christo acceperit, secundum quam vicinior Christo sit quam Ecclesiæ Ministri, qualem Papa sibi arrogat; Nec id volunt, quasi Rex tantum Deo & verbo ejus subjectus sit; Ministri autem non subsint immediate Christo & verbo ejus, sed Regis nomine Ministerio fungantur, aut Ecclesias spiritualibus mediis regant, Nam Rex, qua Rex, non habet spiritualem potestatem; quare nec eam exercere possunt Ministri Ecclesiarum, nomine Regis: Sed id volunt, Regem in Regno suo esse Politicum Ecclesiæ gubernatorem, ut Ecclesiam civili & corporali sua vi defendat, omnesque Regni sui subditos, qua Ecclesiasticos, qua sæculares cogat ad officium recte faciendum, prout supra diximus, hoc ad munus Magistratus pertinere. Atque hæc cura vocatur suprema, quia se extendit ad omnes, & cum corporali vi ac mundana gloria supra alias omnes conjuncta est: Sic tamen id accipi debere declarant, ut intelligatur, Ministros etiam à Christo mitti, non solum ad alia Ecclesiæ membra, sed etiam ad Regem ipsum, quem, ratione spiritualis hujus regiminis, volunt subditum esse Ministris Ecclesiarum, tanquam Ministris Christi, & Ecclesiæ instrumentis seu organis.* Hactenus Walæus. Hoc si ita est, quis vel perspicacissimus videat, quis sit controversiæ status inter Anglos & Pontificios? Tentet id Walæus, & sentiet aquam sibi hœrere, & se

& se in eodem cum Pontificiis, quantum ad principalem rem attinet, luto hærere; id est, se eandem prorsus sententiam tenere, quam *Becanus in tractatu de Primatu Regis Angliæ*, sub finem partis primæ cap. 8. ingenue & consequenter profitetur, cum respondet ad quæstionem, *Quod sit ergo officium Regis circa Ecclesiam? dicam verbo: Debent illam tuere ac defendere, non ut Domini, sed ut Ministri; neque ut judices, sed ut exequutores.*

Varios Reformatos Theologos cum Remonstrantibus idem sentire, eorum testimoniis & argumentis demonstratur.

Cæterorum Theologorum Musculi, Martyris sturmii, Paræi, aliorumque eadem est ratio. Testimonia eorum passim à nostris citata legere est. Musculus in locis suis communibus de Magistratu, *Se sentire & confidenter absque ulla dissimulatione adserere* profitetur, *Religionis instituendæ, gubernandæ ac vindicandæ potestatem supremam, pertinere ad eos Magistratus, quibus est merum imperium in subditos & potestas gladii, humanæque vitæ gubernatio & condendarum legum autoritas, N B. nullo ad hæc superiores potestatis requisito consensu.* Martyr eo usque progreditur uti paulo ante diximus, ut *Regem Angliæ* recte fecisse adserat, *quum secundum Christum Ecclesiæ caput appellari voluit, Putavit enim*, inquit, *eam potestatem, quam sibi Papa usurpaverat, suam esse, & in suo regno ad se pertinere.* Vide commētaria ejus in 1. lib. Samuel cap. 8. pag. 50. Sturmius in præfat. ad Principem Turchesium asserit, *In Magistratum cadere curam Ecclesiarum* ἀρχιτεκτονικὴν. *Paræus* in præfatione ad Lantgraviū idem prolixe tradit, cum *potestati civili architectonicæ, Ecclesiasticam & civilem simpliciter dictam, ut duas disparatas species subordinat*; & *Architectonicæ isti potestati non modo curam, sed præcipuam curam religionis* tribuit, *nec curam tantum passivam, ut est privatorū; sed potestativam & cum jurisdictione*, &c. Hæc si quis conciliare velit cum sententia Censorum, is citius ignem & aquam inter se conciliaverit. Quare pertinacia aut stupor Walæum vestrum habuit, cum tam longe dissita componere studuit. Usque adeò pervicax quorundam est ingenium, ut ineptire malint, quam veritati vel adversario hilum concedere; Nimirum hæ propositiones conciliandæ sunt: Architectonica potestas externo regimine regendi Ecclesiam competit sub Christo, Magistratui: &, Qui Architectonicam potestatem externo regimine regendi Ecclesiam tribuit sub Christo Magistratui, ille subducit Ecclesiæ Ministerioq; Ecclesiastico potestatem, quæ divinitus Ecclesiæ & Ministris tributa est. Item Magistratus habet immediate sub Christo architectonicam potestatem externo regimine regendi Ecclesiam, &, Ministri habent potestatem isto regimine regendi Ec-

clesiam immediate sub & à Christo. Item: Cura prima ac præcipua externa Religionis Magistratui à Deo mandata est, &, Curam Religionis immediate à Christo & sub Christo habent Ecclesiarum Ministri: Item, Potestas Ecclesiastica subordinata est potestati civili; & potestas Ecclesiastica immediate subest Christo: Hæ propositiones toto cælo distant: Et mirum admodum est, id à Walæo in dubium vocari, cum authores illi ipsi, Musculus saltem, apertis verbis profiteantur, se, cum istam suam sententiam proponunt, diversum sentire à cæteris; non Pontificiis tantum, sed Reformatis Theologis. Quod si quis insuper adhuc videat rationes, quibus prædicti Theologi sententiã suam adstruunt, fieri vix potest ut dubitationi ulli locus supersit. Duæ tantum, quæ passim occurrunt, & fere palmariæ sunt, videantur. *Prima est:* Repugnat naturæ Legislationis & ordinatæ gubernationis, ut Duæ sint in eodem populo potestates authenticæ sive architectonicæ, duæ diversæ legislationes & dominationes, nisi per subordinationem, perinde atque repugnat ut duobus in uno corpore locus sit capitibus: Hanc rationem habent fere doctores citati omnes. Eam autem quis non videt directe evertere sententiam eorum, qui statuunt Ministros, quoad regimen Ecclesiæ externum, immediate Christo subesse? Immediatum enim regimen tollit subordinationem, adeoque aut duo in uno eodemque corpore constituit capita, sibi invicem non subordinata, aut ex subalternato subalternans facit. *Altera ratio est.* Supremi Magistratus officium est, curare ut vera Religio vigeat, & collapsa restituatur; ut pastores officium suum faciant: &, non facientes, pro merito puniantur. Hoc officium, inquiunt, exercere non potest Magistratus qua talis, nisi autoritas & potestas ejus, quoad Regimen Ecclesiæ, sit supra Ministros eorumq; functiones publicas: Nam pone alterutrum horum accidere; Aut Ministros, sive omnes sive plerosque à vera doctrina sanctisque moribus ad hæreses aut vitæ profanitatem deficere; eosque nihilominus sibi persuadere, se certam viam in docendo & vivendo tenere; Aut, si doctrina publice recepta, falsa sit, Magistratum rectius edoctum judicare receptam doctrinam emendatione, correctione, aut revisione opus habere, contra sententiam & judicium Ministrorum Ecclesiæ; Pone, inquam, alterutrum horum accidere, fieri non potest, ut concipiatur, quomodo in hisce casibus Magistratus se gerere ex officio debeat, nisi statuatur, supremam potestatem & curam regendi Ecclesiam ipsi à Deo attributam esse; Nam nisi id statuatur, quando, quo jure, quomodo instituet Reformationem

tum pastorum, tum errorum? Iudicium suum si sequatur, potestatis suæ limitem egredi dicetur. Si pastorum judicium sequatur, nullam Reformationem instituet aut instituere poterit. Hæ sunt duæ rationes, quibus citati Theologi aliique sententiam suam confirmant; graviores sane ac solidiores, quam ut distinctione aliqua Academica eludi possint aut enervari. Pluribus hæc & prolixius à nobis tractarentur, si occasionem nobis dedissent Censores: Sed quia id in hac Censura factum ab ipsis non est, hæc pauca sufficient. Tantummodo nonnulla dicemus ad rationes eorum, quibus sententiam suam obiter confirmant.

Refellitur prima Censorum ratio contra sententiam Remonstrantium in Censura adducta.

Prima ratio eorum est: *Qui Magistratui subalterne sub Christo potestatem Architectonicam tribuit, ille Ecclesiam sacrumque Ministerium quod immediate subest Christo, Magistratui ita submittit, ut Ministri non modo Dei sed & Magistratus ministri dici debeant.* Nempe hoc ingens absurdum est! Quasi vero eadem ratio non militet contra Censores. Si Ministris immediate sub Christo tribuatur architectonica potestas regendi Ecclesiam, ergo Magistratus non modo ministri sive λειτουργὸι Dei, sed & Ministrorum istorum Ministri erunt. Deinde, Quid absurdi in eo est, si dicatur Ministros, quoad externum Ecclesiæ regimen, non Dei tantum, sed & Magistratus, qui Dei vicem in terris gerit, Ministros esse? Subordinata non pugnant, & manifesta est ratio, quæ istud non esse absurdum arguit. Nam alioquin alterum horum duorum statuetur. Aut Magistratus non Dei tantum, sed Ministrorum ministros esse, aut eos eandem architectonicam potestatem collateraliter & immediate sub Christo habere, juxta Ministros Ecclesiarum. Eligat utrum volet Censor. Si prius adserat, rationem suam enervabit, cur enim absurdum videri debet, Ministros non Dei tantum sed & Magistratus Ministros esse, & absurdum non videbitur, Magistratus, qui diserte διάκονος & λειτουργὸς sive Minister Dei vocatur Rom. 13. 4. 6. non Dei tantum, sed Ministrorum etiam ministrum esse? Si posterius adserat, collateralitatem, quam ubique damnare videri vult, à Deo institutam esse ut dicat necesse est. Verum enimvero animadvertendum hoc loco est: Quando adseritur, absurdum non esse ut Ministri non Dei tantum, sed & Magistratus Ministri sint, id eo sensu accipiendum non esse, quasi Ministrorum ministerium simpliciter dependeat à Magistratu, ita ut ministris non nisi ex præscripto & jussu Magistratus verbum Dei docere, Sacramenta administrare, & disciplinam Ecclesiasticam aliasque functiones exercere liceat. Absit. Nam ministri

Observatio necessaria ad pleniorem sententiæ Declarationis intelligentiam.

Magi-

Magiſtratus Miniſtri ſunt, quatenus Magiſtratus Dei miniſter eſt; Quare ſi judicent in conſcientia ſua, præſcriptum Magiſtratus non eſſe Dei præſcriptum, ſed divinæ voluntati in verbo ejus expreſſæ repugnans, non modo non poſſunt; ſed & debent Miniſterium Magiſtratui recuſare: *Oportet enim Deo magis parere quam hominibus*, Act. 4. 19. Sed id eo ſenſu accipiendum eſt, Quod Miniſtri, ſi Miniſterio publico in templis lociſque publicis, quorum Dominus eſt Magiſtratus, fungi velint, præter aut contra Magiſtratus voluntatem in locis iſtis publicis docere aut agere nihil debeant. Alterutrum enim faciendum eſt: Aut parendum eſt Magiſtratui, ſi juſta & verbo Dei conſentanea in locis iſtis fieri jubeat; Aut ſi contraria jubere aut vetare nobis videatur, nulliſque rationibus à propoſito ſuo dimoveri poſſit; cedendum eſt locis & functionibus iſtis publicis, & conſcientia Deo integra reſervanda eſt, docendumque ex præſcripto Dei ſeorſim in locis privatis, in quæ Magiſtratui jus non eſt; imprimis, ſi ſint qui doceri & inſtitui velint. Rebellare, aut per tumultum & ſeditionem ſe opponere Magiſtratui, aut loca publica per vim retinenere invito Magiſtratu, nunquam licet. Nullius conſcientia obſtringitur ad docendum in locis publicis. Aliud eſt docere, aliud docere in locis publicis juri Magiſtratus ſubditis. In his qui docere volunt, Magiſtratus ſunt miniſtri; neque invito magiſtratu tentare quicquam debent: Aut ſerviendum aut credendum eſt & docendum ubi licet, & Magiſtratus jubendi ac prohibendi jus non habet.

Altera ratio eſt, *Hoc modo, loco unius Papæ, tot Papæ erunt, quot ſunt ſupremi Magiſtratus*. Et hæc ratio contra Cenſorem militabit ſi retorqueatur hunc in modum; Si miniſtri immediate ſub Chriſto poteſtatem architectonicam regendi Eccleſiam habent, tum loco unius Papæ tot erunt Papæ, quot miniſtri aut Miniſtrorum Synodi: verbi gratia, Calviniſtæ, Lutherani, Anabaptiſtæ, Arriani, Samoſateniani, Bruniſtæ, Puritani, &c. ſinguli in ſuis Eccleſiis Papæ erunt. Hoc ſi abſurdum non videtur Cenſori, cur ſi idem Magiſtratibus ſupremis, Regibus ac Principibus tribuatur, abſurdum videbitur? Certe *Petrus Martyr* non dubitat adfirmare, uti ſupra vidimus, Regem quemlibet in ſuo regno eandem poteſtatem circa externum Eccleſiæ regimen habere, quam Papa ſibi hactenus injuſte uſurpavit. Quare, ex ſententia Martyris, tot erunt Papæ, quot Reges Principeſque. Plura hic reſpondere non eſt neceſſe: Ratio enim hæc Cenſoris nihil ſolidi in ſe habet, ſed ſpeciem tantum & larvum, quam ei dat odioſum Papæ nomen, quod tamen non minus in ipſos Cenſores, Secunda Cenſorum ratio refellitur.

quam in Magistratus quadraturum esse, si ratio retorqueatur, jam demonstravimus.

Tertia Censorum ratio refellitur.

Tertia ratio, quæ tamen obscurius proponitur, est: *Magistratus est membrum Ecclesiæ, ergo Ecclesiæ & Ministris ejus subditus est.* Et hæc ratio contra Censorem retorqueri etiam potest hunc in modum, Ministri etiam sunt membra Ecclesiæ; ergo pari jure regimen Ecclesiæ supremum sub Christo iis non competit. Deinde, Magistratus, qua Magistratus, non est membrum Ecclesiæ, non magis quam Pater, qua Pater, membrum est Ecclesiæ; uti Pater, qua Pater Dominus est familiæ suæ, sic Magistratus, qua Magistratus, Dominus est Reipublicæ suæ, *Omnis enim anima potestati illius subdita est*, uti diserte dicitur Rom. 13. 1. Denique, si omnino quis velit Magistratum, qua talem, membrum Ecclesiæ esse, certum tamen est, eum non aliter Ecclesiæ membrum dicendum esse, quam quatenus Ecclesia Christi corpus est, quod fide & sanctimonia vitæ cum Christo capite conjunctum est. At hic quæritur, an magistratus Ecclesiæ membrum sit, quatenus Ecclesia significat cœtum, qui in publicis & jure magistratus subditis locis convenit, & externis functionibus veluti unum corpus ligamentis ac vinculis, compactus ac conglutinatus est: Hoc sensu enim magistratus, qua talis, non est membrum proprie dictum, cœtus istius, sed Dominus, cujus imperio tum loca, tum quæ in locis istis geruntur munia, subdita sunt: Concludam rem hanc verbis Paræi, quæ optime ad eam quadrant: *Atqui*, inquit, *Principes Christiani sunt oves? Regi ergo verbo, non regere verbum Dei debent.* ἄρχοντες *sunt*, νομοθεσίαν *habent. Regere igitur Ecclesiasticos, non regi ab illis debent.* In præfat. ad Lantgravium.

Quæ porro de potestate Magistratus in convocandis Synodis, cum opus est, de ejus præsidio, suo scilicet loco, aliisque Synodicis actibus, &c. in Declaratione adseruntur, *ea omnia*, inquit Censor, *suo modo & gradu illis competere possunt.* Solicita hæc & macra Censoris oratio satis arguit, quid Censor velit. Divinatione opus non est, ut intelligatur, quid sit, *Omnia ista suo gradu & modo* Magistratui competere posse: Ex antedictis haud difficile est id colligere. Qualis modus & gradus potestatis, talis modus & gradus autoritatis in convocandis Synodis, talis modus & gradus præsidentiæ in Synodis, talis denique modus & gradus curæ ac providentiæ, ut in Synodis omnia secundum Deum gerantur. Ex potestatis gradu, quem in regimine Ecclesiæ Censor Magistratui tribuit, cæterorum omnium modus ac gradus æstimandi sunt.

Sed

Sed addit Censor, *hoc omnino mirum est, cum fateantur Magistratus id officium esse, ut publicum Dei cultum sartum tectum conservet, omnesque Præsidis partes ei tribuant, easque ab eo agendas, qua Magistratus est, agnoscant; quod executionem tamen, quæ officio ejus respondeat, quæque in potestate coactiva consistit, ei detrahant.* Ubi Censor? Viceris si id eviceris. Remonstrantes non sunt adeo à Sole aversi, ut, cum Magistratui in regimine Ecclesiæ architectonicam potestatem tribuant, potestatem tamen coactivam ad exequutionem necessariam ei detrahant. Potestas suprema sine cogendi potestate, nil nisi potestatis umbra aut larva est. Qui supremum jus habet in personas, loca & functiones publicas, is, si fieri aliter non possit, refractarios cogendi jus habet. Neque tamen coactio illa est coactio, qua conscientiis subditorum aut Ministrorum Dei vis fit. Nihil minus. Neminem obligat sua conscientia ad docendum in locis publicis, invitis iis ad quos ea pertinent: Aliud itaque est, Magistratui tribuere potestatem coactivam, quæ Ministros constringere possit simpliciter ad docendum aut non docendum quod ipsi rectum videtur. Aliud ei potestatem coactivam tribuere, qua Ministros possit constringere, ut doceant quod ei rectum videtur, in locis templisque publicis. Istam potestatem negant Remonstrantes competere Magistratui: Ad docendum enim, & ad docendum quod rectum Ministris videtur obligatur conscientia Ministrorum, ex lege superioris domini, id est, ex generali caritatis & speciali vocationis divina lege, quam refigere Magistratus nec potest nec debet. Hanc ei plena manu tribuunt. Suarum enim rerum quilibet est Dominus. Quare cum Censor subjicit, *Remonstrantes hac in parte cum Socino nullas partes Magistratui concedere in regimine Ecclesiæ*, satis aperte testatum facit, se mentem Remonstrantium aut non intellexisse, aut studio deditaque opera ad calumniam & invidiam detorquere voluisse.

Refellitur instantia Censorum de Magistratus potestate coactiva ad exequutionem necessaria.

Verum, inquit Censor, *ad totam hanc materiam verbis Augustini respondemus, quæ habentur in Epistola ad Bonifacium comitem de moderate coercendis hæreticis*, &c. Nempe, Augustini verbis sententiam suam proponere Censor maluit, quam suismet ipsis: Ea tamen, ut ut commode accipi possint, non tantum ad sententiam suam, non dico de hæreticis moderate coercendis, sed de iisdem supremo supplicio afficiendis, (sic enim verba Augustini accipere quis potest, si velit) detorsit, sed etiam sic protulit, ut ex iis hanc conclusionem inferat: *Unde quoque apparet, quam vere ab illis dicatur, Magistratui jus non esse iis, qui extra publica loca, modeste & salva semper obedientia superioribus*

Augustini autoritate frustra pugnare Censorem ostenditur.

rioribus debita, solius Religionis & conscientiæ caussa cœtus faciunt, molelestiam facessere. Nam quæ consequentiæ ratio, Augustinus ita olim judicavit, (posito etiam quod plane idem cum Censoribus senserit) ergo qui contra sentiunt, eos apparet verum non dicere: Quasi vero tanti sit autoritas Augustini in re tam magni momenti, imprimis cum certum sit Augustinum hac in re admodum sibi ipsi dissimilem fuisse, & cum diu multumque à vi omni abstinendum esse credidisset, tandem Donatistarum & Circumcellionum furore ac rabie motum, ad rigidiora & severiora consilia prolapsum esse. Haud difficile foret, Augustinum sibi ipsi, & Patribus longe illo antiquioribus opponere, quibus severa ista & non nisi multo post ex occasione probata consilia displicuerunt. Sed non libet stramineis hujusmodi autoritatibus litem protelare.

Diluitur Censoris ratio, quod libertate Religionis concessa janua aperiatur ad omnes hæreses & schismata.

Rationem Censoris videamus quam subjicit. *Hoc sane*, inquit, *nihil aliud est, quam apertam januam aperire ad omnes hæreses & schismata;* Speciosa oratio, sed revera vana ac futilis. Nam I. Aliud est hæresibus & schismatis omnibus januam aperire, aliud iis aperire januam, qui nullo infallibili judicio convinci possunt, quod placita eorum hæreses sint, imo qui placita sua hæreses non esse persuasissimum habent, ultro alioquin & libenter eas abdicaturi & deserturi. Nemo Christianus hæresibus januam aperiri vult; omnes ab iis videri volunt alienissimi. Sed & nemo jus sibi arrogare debet de aliorum placitis statuendi quod hæreses sint, eo usque, ut quia id sibi persuadet, corporali ulla pœna animadverti velit in eos, qui placita sua hæreses esse nesciunt, & nescire se profitentur, imo qui idcirco, quod contrarium credant, mori malunt quam à placitis sui contra conscientiam suam discedere. II. Tantum abest, ut, si segreges cœtus solius Religionis & conscientiæ caussa institutos Magistratus permittat, idcirco januam aperiat ad omnes hæreses, & schismata, ut contra eo ipso hæresibus & schismatis januam pro virili & optima ratione occludat. Hæreses enim alia ratione tollere velle, quam per liberam & inoffensam conscientiarum convictionem, tantundem est atque tenebras velle discutere alia ratione, quam per lucem: Vim adhibere ad pellendas errorum tenebras, est luci veritatis diffidere, & de conscientiis convincendis desperare. Quare, qui veritati fidit, ejusque præsidio & vi segreges cœtus destrui vult, is recta via januam hæresibus studet occludere. Schismatum, quæ ex diversitate opinionum solius conscientiæ caussa fiunt, eadem est ratio. Ea per vim tollere, est oleum igni addere & vel ex uno schismate plura, vel

quod

quod enatum eſt, plane deſperatum reddere. Nihil enim ad hæreſes aut ſchiſmata ſtabiliendum potentius fortiuſque eſt, quam ſi credatur, ea non niſi per vim opprimi poſſe. Violentia refugium creditur eorum, quibus doctrinæ ſuæ fides ſuſpecta eſt. III. Metus hic eſt incertæ rei metus & vanus. Incertæ rei metus eſt, quia incertum eſt an hæreſes ullæ naſcituræ aut ingreſſuræ ſint, etiamſi janua aperta ſit; & ſi omnino natæ ſint an non ilico rurſum ſint evanituræ, & veluti larvæ ad veritatis liberæ Solem diſparituræ. Vanus etiam eſt metus; Nam ſi veritatem non habemus, quid periculi? multo minus periculi, ſi eam habemus. Nec enim veritatis vim digne æſtimat, qui mendacium aut errorem ei prævaliturum credit, niſi vi fulciatur. IV. Poſito tamen, veriſimile admodum eſſe, hac ratione multas magnaſque hæreſes bipatentibus portis ſe in Eccleſiam & Rempub. diffuſuras eſſe; quid periculi inde pro ſe ſuiſque metuere Cenſores opus habent? Hæreſes illæ, nullius ſaluti officere aut nocere poſſunt, ex Cenſorum ſententia. Electos per eas ſeduci, impoſſibile eſſe credunt. Reprobi, ſive per eas ſeducantur, ſive non ſeducantur, nihilominus tamen reprobati ab æterna ſalute manent decreto irrevocabili. Cur itaque tantopere ſibi metuunt Cenſores ab hæreſibus aut hæreſium caterva? Fidem electorum non quatiet unquam hæreſis, ne peſtilentiſſima quidem: Reproborum ut quatiat, neceſſe non eſt. Denique, ſi omnino incommodum hoc grave eſſe & revera metuendum eſſe credatur, prout fortaſſe videbitur iis, quibus, inepta iſta Cenſorum de ſeductionis impoſſibilitate ſententia, diſplicet, tum videndum eſt, an non plura & multo magis metuenda incommoda ſequutura ſint, ſi ſegreges ejuſmodi cœtus per vim prohibeas ac reprimas: ut omnia non enumeremus, hæc perpendantur. I. Hac ratione, conſcientiarum libertas ſimul ac ſemel ſuffocatur atque eliditur: Non quidem libertas ſentiendi quod velis, hanc enim ſuffocari impoſſibile eſt, ſed profitendi quod ſentis & agendi quod ex præſcripto Chriſti agendum eſſe credis. II. Hac ratione, aliis, ubi viribus prævalent, idem jus in nos noſtroſque conceditur, quod nobis ubi prævalemus, in alios ſumimus. III. Hac ratione, eorum querelas, qui ſub jugo aliorum gemunt & ſocii fidei ac Confeſſionis noſtræ ſunt, ut injuſtas & iniquas damnamus. IV. Hac ratione, Reformationi omni januam occludimus, ſi Dominans Religio, falſa, idololatrica, ſuperſtitioſa aut tyrannica ſit. V. Hac ratione, Eccleſiam & Rempub. aut hypocritis aut atheis implemus, dum eam liberam volumus ab hæreticis & ſchiſmaticis. Denique hac ratione damnamus

III.

IV.

Incommoda multa & gravia, ſi libertatem Religionis aut ſectarum tollas.

mus proceres Patriæ noſtræ, omneſque Reges ac Principes, qui ſectas varias, hæreſibus judicio noſtro diffluentes, æquis oculis tolerant & autoritate ſua protegunt. Utrum hæc incommoda graviora non ſint, quam id unum quod Cenſor hic alllegat, Lector judicet.

Oſtenditur libertatem iſtam concedere non eſſe ruere ad Eccleſiam, & cum Eccleſia Rempub. totam evertendam.

Addit Cenſor, *Hoc eſt ruere ad Eccleſiam, & cum Eccleſia Rempub. totam evertendam, & Magiſtratus omnem autoritatem elidendam & eludendam.* Eccleſiam quod attinet: Quaſi vero metuere opus habeat Cenſor, ut ea ruat & peſſum eat, ſi hæreſes vi non opprimantur. Quid? Ergone adeo ingens periculum imminet veritati ab erroribus, ut non contra potius errorum omnium internecio à veritate ſperanda ſit? Sane, ſi iſta formido nos tenet non ſatis bene de cauſſæ noſtræ bonitate ſentimus. Tum, quod obſecro periculum Eccleſiæ ſuæ metuit Cenſor, qui eam nec totaliter nec finaliter per hæreſes ſeduci poſſe credit & firmiter ſibi perſuaſum habet? Rempublicam quod attinet, eam multo minus periculi manet à cætibus ejuſmodi licet numeroſiſſimis. Nam libera veritatis diſquiſitio in ea commune privilegium tum eſt omnium ac ſingulorum: Nemo ab eo excluditur. Omnes pariter ac promiſcue eo gaudent. Quamdiu autem id manet illæſum atque integrum, tamdiu, ſeditionum, turbarum ac factionum nullum eſt periculum. Ipſa libertas tranquillitatis ac ſecuritatis mater eſt & nutrix. Ubi illa opprimitur, ibi factionum, turbarum ac motuum plena fiunt omnia. Hinc videmus non paucos Reges Principeſque, poſt omnia ſeveriſſima remedia fruſtra tentata, tandem ad libertatis hujus indulgentiam, veluti ad ſecuritatis ſuæ aſylum & communis obedientiæ vinculum, confugiſſe. Germaniam, Galliam, Poloniam & hoc noſtrum Fœderatum Belgium vide inter Chriſtianos: Inter nō Chriſtianos, Vide Turcas, Ægyptios, Iapanos alioſque. Mera in iis malacia & tranquillitas eſt, quando libertas Religionum, quæ in iis viget, bona fide ſua cuique integra conſervatur. Nec laborant unquā motibus, niſi ubi libertati iſti metuitur. Tum enim fæces odiorum atque irarum, quæ aliquatenus ſubſederant, rurſum efferveſcunt, Religionis amore concitatæ, & quietem Reip. acutiſſimis ſæpe paroxiſmis turbare incipiunt, nec bona fide deſinunt, niſi Libertas obicem ponat & repagulum figat. Galliam civilibus bellis & cruore innoxio madidam, Rex pacatam habere cœpit, ubi cœtus ſuburbicarios ſegreges indulſit Reformatis. Simulatque contrarium metuitur, repente convellitur regnum totum inteſtinis motibus & nutat: Et tu, ô Germania, veteris Imperii imago, floruiſti diu altiſſima in pace ſolius Libertatis be-

Experientiam contrarium docere, fidem faciunt non pauca regna, quæ libertate hac conceſſa florent, erepta, graviſſimis motibus laborant.

tis beneficio: Nuper concussa meram vastitiem vidisti & desolationem subditorum tuorum. Et miraculum eris omnibus, si erepta libertate Religionis, tuta stabis atque expers motuum. Poloniæ regnum viguit vigetque, & pro Christiani orbis muro est, inter varias ac pene innumeras Religionum sectas. Apud Ægyptios quatuor vigent sectæ, ut author est Ioannes Leo lib. 8. quarum antistites inter se sine odiis concorditer vivunt. Apud Iapanos, magnum potentemque populum, novem Religionum sunt genera, integrumque est omnibus pro libitu quam velit sectari, adeo ut familias multas reperias, in quibus vir huic, uxor alteri, filius item alteri alterique adhæreat, nec turbat id quidpiam domesticam pacem, uti Epistolæ Iapanicæ referunt: Apud Turcas omnis Religio libera est, nulla imperii divisione. Sed quorsum hæc exotica? Annales nostri ævi videantur: Quoties circa Reformationis incunabula libellis supplicibus repræsentarunt Imperatori, Regi, & gubernatrici Parmensi Ecclesiæ nostræ, ex re Patriæ ac Reipub. esse, ut plures una Religiones aut Religionis unius sectæ, earumque exercitia in iis libera permittantur. Conscientiis alioquin vim fieri, & tumultibus novis semper causam dari. Et hæc cum ita sint, mirum utique videri debet, Censores hos nunc directe contrarium adserere, & libertatem aliis concedere, nihil aliud esse profiteri, quam ruere ad Ecclesiam & cum Ecclesia Rempub. totam evertendam. Hoc est, quod ille ait, sententiam suam veluti aliquod navigium ex Reipub. tempestate moderari & ad fortunæ cursum atque arbitrium inflectere: Concludamus hanc rem dicto uno atque altero, & manum de tabula retrahamus. De Valentiniano refert Ammianus lib. 25. eum *hoc moderamine Principatus sui inclaruisse, quod inter Religionum diversitates medius steterit, nec quemquam inquietaverit, neque ut hoc aut illud coleretur imperaverit, nec interdictis minacibus subjectorum cervicem ad id, quod ipse colebat, inclinaverit.* Regis cujusdam Gothorum hanc fuisse vocem refert Cassiod. lib. 10. variar. Epist. 26. *Cum Divinitas diversas Religiones esse patiatur, nos unam non audemus imponere.* De Maximiliano annales nostri hanc æterna memoria dignissimam sententiam referunt: *Nullum enormius peccatum dari posse, quam in conscientias imperium exercere velle. Qui enim conscientiis imperare volunt, eos arcem cæli invadere & plerumque terræ possessionem perdere.* Utinam hæc Christianæ mansuetudinis & æquitatis exempla antistites Religionis ac pacis, ob oculos ponerent Regibus populorum, ac non horrida illa & sæva aliorum Imperatorum, quibus dirum, istud

iſtud carmen, Ure, ſeca, columen ac propugnaculum imperii viſum fuit! Melius multo ſe haberent res Chriſtianorum. Nunc, quia id non fit, ſperandum eſt ut aliquando fiat à Cenſoribus his aliiſque, ubi eos ab utraque bile ſanaverit dies & quies. Uti muſtum tempore opus habet ut deſpumet, ita animi aliquando temporis tractu egent, ut deſæviant, & fæces ejiciant opinionum pariter atque irarum. *Tempus eſt*, inquit Medicorum Princeps, *in quo occaſio: & occaſio, in qua tempus, Medela tempore, eſt etiam ubi occaſione contingit.*

Ad Concluſionem.

AD umbilicum uſque pervenimus cum bono Deo. Tempus eſt τὴν κορωνίδα ἐπιθεῖναι. & manū de tabula tollere. Hæc ſunt, quæ ad vindicias Declarationis Remonſtrantium contra Cenſuras quatuor Theologorum Leydenſium dicenda habuimus, non pro merito rei cujuſque, ſed quantum ſectionis cujuſque argumentum poſtulavit. Nunc, quod Cenſor hic optat, idem nos optamus, ut tu, quiſquis es, Lector, diligenter & auraria, quod dicitur, trutina expendas, jure an injuria Cenſoris Declarationem Remonſtrantium tot atrocium convitiorum verubus transfixerint, tot aculeatarum ſuſpicionem obelis compunxerint, tot deformium ſtigmatum maculis inuſſerint, ut eam veluti Cenſoria virgula notatam, tribu moverent & in Ceritum, quod dicitur, tabulas relatam, populi manibus extorquerent. Si bene animum advertas, videbis nullas hæreſes, ſeu veteri ſeu novo ſchemate in orcheſtram productas, diſerte ac nominatim à Cenſoribus adnotatas eſſe, ſed meras ſuſpiciones, hariolationes, conjecturas & detorſiones utramque Cenſuræ paginam facere; A prima ad ultimam uſque ſectionem non occurrere niſi verbum *videtur*; perinde ac ſi id unum egiſſent Cenſores, ut Declaratio, non eſſet, ſed videretur hæreſium atque errorum omnium Odyſſea. Pelagianæ hæreſeos nomenclatura infamant nonnulla, ſed, quæ apertiſſimæ ſunt veritatis, & à Pelagii hæreſi toto cælo diſtant: Leviculas quaſdam diſſenſiones, & quas Declaratio cum variis Theologis Reformatis habet communes, tam atrociter exaggerant, ac ſi ex muſca elephantum facerent. Sane nos, poſt omnia diligenter & bona fide expenſa & perpenſa, aliud deprehendere non potuimus, paratiſſimi alioquin culpam fateri, veniam precari, & gratias agere. Neque tamen diffitemur eſſe in Declaratione quædam, quæ non uſquequaque conveniunt cum Cen-

ſorum placitis, & receptis quarundam Scholarum opinionibus: ſed ea talia ſunt, ut vel neceſſario vinculo cohæreant cum Prædeſtinationis articulo, vel, ſi cum eo non cohæreant, inter ea cenſeri debeant, & à non paucis Theologis cenſeantur, quæ in utramque partem credi poſſunt, ſine concordiæ ruptura. At quæ neceſſario & explicita fide ab omnibus & ſingulis credenda ſunt, ea omnia ubique illæſa ac ſarta tecta reperies. Enimvero id religioſe, mediate, ac ſcrupuloſe operam dederunt Declaratores; ut omnia, quæcunque ad praxin Chriſtianæ pietatis aut informandam aut promovendam pertinent, accurate definirent. Inde enim neceſſaria æſtimant, & nullo negotio à quolibet Chriſtiano, ſenſu tantum communi prædito, æſtimari poſſe credunt. In cæteris, ſi quod aut definit, aut reticet, aut in medio ponit Declaratio, liberam diſſenſionem permittunt, & libertatis indulgentia, pacem redimendam eſſe, exiſtimant. Diſſentiendi tamen pruriginem & altercandi ſcabiem procul eſſe volunt ab omnibus, quibus veræ pietatis ac pacis ſtudium curæ ac cordi eſt. Eſt enim, ut Galenus recte ait, malum quavis ſcabie inſanabilius, & fere eorum proprium, qui victoriam magis amant quam veritatem; & gloriam ſuam potius ex diſſenſione quærunt, quam fructum ex aliorum ædificatione. Hæc ita eſſe non modo ex iis, quæ hactenus in Cenſuræ hujus examine dicta ſunt, verum etiam ex hoc ipſa Cenſorum concluſione manifeſtiſſime liquet, cum aſſerunt; *Remonſtrantes non modo recedere in pluribus, quam profeſſi antea fuerant, ab Eccleſiis Reformatis, ſed etiam* (nota emphaſin Lector, *quod ſine horrore & dolore non dicimus*, inquiunt) *in fundamentali Reformationis articulo puta de Juſtificatione, infauſto illi Socino ſe ſocios præſtare.* Quid enim inde aliud ſequitur, quam apud Remonſtrantes omnia Reformationis fundamenta integra atque illæſa ſtare, ſi unus de Juſtificatione articulus excipiatur? At, in eo ipſo articulo, quam recte & ſane cum Orthodoxis ipſis ſentiant Remonſtrantes, examen Cenſuræ capitis 11. manifeſtum facit. Nimirum huc redit univerſa, quæ circa articulum iſtum eſt diſſenſio ſive controverſia; An fides ſive creditio illa, ut ſic loquamur, qua credimus nobis remiſſa eſſe peccata noſtra, ſive qua apprehendimus miſericordiam Dei, & Chriſti Ieſu pro nobis ſatisfactionem, nos coram Deo juſtificet, qua ſimpliciter talis actus eſt, an quatenus actus vivus eſt, id eſt, conjunctam ſibi habens vel actualem reſipiſcentiam, vel ſaltem firmum ac deliberatum animi propoſitum de vita tota ad normam Chriſtianæ Religionis, auxilio divinæ gratiæ,

cum timore ac tremore instituenda. Hoc est quod Romonstrantium Declaratio adserit & profitetur, nihil aliud. Tu Lector judica, an hoc tale sit, ut fundamentalem Reformationis articulum evertat, & sine horrore ac dolore à Censoribus dici non possit: Profecto, si omnino hac in re Remonstrantes errare contingeret, error eorum idcirco solum veniam mereretur, quod ad necessitatem resipiscentiæ & bonorum operum fortius stabiliendam, in errorem istum imprudenter incidisse judicandi essent. Adde, Quod Censores ipsi adeo timide hæresin hanc impingant Remonstrantibus, ut eos non directe cum Socino sentire, sed Socino propiores quam Reformatæ Ecclesiæ (NB.) videri posse, adeoque Socini quædam interpolare & incrustare, concludant. Qua oratione satis testatum faciunt, sententiam Remonstrantium de Iustificatione sic conceptam esse in Declaratione eorum, ut hæreticam eam esse, aut Ecclesiarum Reformatarum sententiæ repugnantem, sine scrupulo adfirmari non possit. Quod porro ait Censor, *Remonstrantes jam profiteri se in pluribus, quam famosis quinque articulis de Prædestinatione recedere ab Ecclesiis Reformatis, cum antea in iis consensum suum saltem verbis essent testati*, id falsum plane ac vanum est. *Falsum*, quia semper testati sunt, se considerationes alias plures adhuc habere, quas in legitima Synodo examinandas proponere parati erant: Nec testati tantum id sunt, sed & scripto consignatas eas ordinibus patriæ suæ mittere jussi sunt, & pro se quisq; miserunt: Tum, Revisionem Confessionis & Catecheseos uno semper ore in Synodo fieri postularunt, non obscure significantes eo ipso esse alia quædam, quæ accuratius examen mereri, & ad Synodi justæ ac legitimæ tempus differenda ac non propalanda esse judicabant. Consensum interim cum fratribus suis, non verbis solum, sed reipsa semper & bona fide testati sunt, palam publiceque, liberas tantum sibi reservantes privatas collationes, tum inter se, tum cum omnibus, quos libertate ista non offendi, sed veritatis amore ac studio in utramque partem omnia expendere ac trutinare haud gravate velle, videbant. Qua in re jure suo, & quod Christianis omnibus, ac nominatim divini verbi præconibus ac professoribus, ex æquo commune est, uti se credebant. Liberæ, amicæ & seriæ de rebus controversis qualibuscunque collationes, privilegium Christianorum omnium sunt. Veritas per eas eruitur, aut stabilitur aut illustratur. Cotes sunt judiciorum, & animorum Soles. Tolle eas, torpor & stupor habebit Christianum orbem. Infallibilis sententiæ præsumtio in eo dominabitur, unde definiendi temeritas, decernendi audacia,

cæca

cæca atque præceps alios damnandi libido, aliaque infinita mala ſcaturiunt. *Vanum* etiam eſt, quia plura iſta, in quibus nunc diſſentire ſe profitentur Remonſtrantes à Cenſoribus, talia non ſunt, quæ fundamentalem ullum Reformationis articulum, ut Cenſor ipſe hoc loco fatetur, lædunt, ac proinde in quibus licet diſſentire ſine ſalutis æternæ periculo, aut pacis & concordiæ jactura. Si aliter credunt Cenſores, omnibus votis exoptamus, ut id nobis demonſtrent: quod quo fecerint luculentius, eo gaudebimus magis, modo ingenue directe atque aperte agant, neque dubitabimus publica culpæ confeſſione pacem eorum redimere, & Deo gratias agere.

Interim Cenſores cum gregalibus ſuis recogitent, quam immanium peccatorum ſe reos fecerint, quamque gravem divini Numinis iram in ſe concitaverint, quod, ſolius hujus libertatis & mutuæ tolerantiæ odio, inſanis conſiliis & pertinacibus ſtudiis ſuis, autores fuerint ſupremis poteſtatibus, ut propter meram diſſenſionem in quinque articulis, in quibus tolerantiam antea Lutheranis non ſemel obtulerant, nec ullam aliam ob cauſſam, tot fidi, & de patria, atque Eccleſiis ſuis optime meriti paſtores, non modo Eccleſiis ſuis extruderentur, ſtipendiis ſuis privarentur; verum etiam, tãquam καθάρματα & βδελύγματα, patria ſua proſcriberentur, in ergaſtula nebulonũ compingerentur, æternis carceribus manciparentur, & cum familiis liberiſque aut fame inediaque enecarentur, aut prodigioſo ſilentii promiſſo, conſcientiam & bonam mentem ejurare cogerentur: Quod tot ingenia, ad optima quæque nata atque erecta, in herba, quod dicitur, ſuffocaverint, & ad infima vota depreſſerint: Quod tot florentes Eccleſias, patriæ & Reformationis amantiſſimas, paſtoribus ſuis orbaverint, & jam per decennium integrum, ſegreges, inermes, atque innoxios earum cœtus; edictis, minis, mulctis omnique perſecutionis genere vexari, & per armatorum militum incurſiones, virginum ſtuprationes, veſtium direptiones, ædium ſpoliationes & demolitiones, per cædes & ſanguinem diſturbati curaverint: Et, ne quis hæc invitis ipſis facta credat, quod indies adhuc libellis ſuis ſupplicibus, conſiliis ſtudiiſque, quæ jam in propatulo ſunt, & in officinis omnibus proſtant, ſummas poteſtates ad moderatiora, ut videtur, conſilia hic illic inclinantes, ſine intermiſſione ſolicitent atque incendant, ut edicta ſua, mulctarum & carceris æterni pœna ſancita, inviolata atque æterna eſſe velint, & perſequendi finem non faciant: quod præclaros illos quos ſupra nominavimus viros, fratres, concives ac ſymmiſtas quoſdam ſuos,

nullius criminis reos, ſed ſolius bonæ conſcientiæ ſtudio, fidem domino Ieſu datam abnegare renuentes, alios octo, alios ſeptem, alios ſex, alios quinque annis integris in arce Lupeſteinenſi arctiſſima militum cuſtodia detineri ſuadent, neque unquam, vel verbo, vel facto eos in rectam, quam putant, viam, revocare tentaverint: quod piam illam ſanctamque animam, *Eduardum Poppium,* nunquam ſatis laudatum, nunquam ſatis laudandum Chriſti ſervum, in carcere iſto contabeſcere atque emori fecerint. Quod fæcem Romuli, ſentinam vulgi, contra omnia jura ac leges, in bona, domos, & vitam innoxiorum & ſolius Religionis ergo congregatorum civium graſſantem, nunquam vel dicto ullo repreſſerint; quin contra, licet moniti rogatique, tribunitiis ſuis concionibus, invectivis Philippicis, conſiliis in ſpeciem religioſis, ſed revera ſanguinariis, veluti follibus, quotidie ad rabiem uſque incitaverint atque inflammaverint, aut ab aliis incitari atque inflammari impune permiſerint, hodieque adhuc ſine contradictione aut cenſura ulla permittant, cum maximo non infirmorum tantum, ſed bonorum omnium ſcandalo.

Hæc inquam ſecum recogitent Cenſores, ut verbis eorum utamur, memores ſeveræ illius ſententiæ Chriſti: *Væ mundo ab offendiculis: Quiſquis enim offendit aliquem ex parvis iſtis, qui in me credunt, præſtiterit ei, ut ſuſpendatur ſaxum molare ex collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Quam formidandam ſententiam ne aliquando in eos ferat ſummus conſiliorum factorumque omnium Arbiter, ſupplicibus votis & ardentibus precibus eum rogamus, ut tempus ii concedat, quo tantorum peccatorum ſeria pœnitentia ducti, contrariis conſiliis, ſtudiis, factiſque ſe ei approbent, atque ita gratiam & miſericordiam conſequantur in illuſtri & tremendo illo die domini noſtri Ieſu Chriſti, Eccleſiiſque Reformatis poſt tot vulnera, redeat pax, concordia & tranquillitas: Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM:
a denotat priorem, b alteram folii Paginam.

A.

INDEX.

Con-

H.

I.

L.

Actus,

Deus

R.

quomodo

S.

T.

V.

con-



INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ,
Quæ in Apologia elucidantur.

INDEX.

3

INDEX.

FINIS.

ERRATA.

In Præfat.	à 3 a lin.	17 latent	*pro*	latet.
	à 3 b	24 enim		eum.
	ibid.	29 laboret		laboraret.
	ibid.	30 laboret		laboraret.
	è 2 a	25 quorum		quarum.
	è 3 b	12 justissima		justissimè.
	è 4 b	30 & species		additur *dele*.
Folio	3 a	10 digidi		digiti.
	25 b	2 definiatur		definirent.
	53 a	13 *ante* revera		Sed.
	302 a	31 certam		rectam.
	260 b	7 Consilium		Consilia.

Ibidem linia 26. Hic neglectum est nomen D. Pauli Lindenii. Meretur viri optimi pietas, &, quam cum reliquis in tolerandis æterni carceris molestiis communem habet, invicta patientia, ut illud sine causa & non sine gravi editorum culpa præteritum esse intelligat Christianus orbis.

